








TYPUS PHILOSOPHIÆ MORUM.

Vis et decor omnis in imo.



Floram ornat, recreátq; sitim, sistitq; cruorem,
Sic decus, illicium, sic panacæa malo est.

Ioseph Iäger Sc: Tyrnaviæ.

Ad Arbitrium Superiorum.

IDEA SAPIENTIS,

Id est:

PHILOSOPHIÆ MORUM

PARTES TRES,

ETHICA, THEO-POLITICA, OECONOMICA,

Summariâ methodo comprehensa,

Problematicis Quæsitis, & Emblematis illustrata.

AUTHORE

R. P. ANTONIO VANOSSI, è Soc. JESU.




TYRNAVIÆ,

TYPIS ACADEMICIS SOCIETATIS JESU,

ANNO M. DCC. XLVI.


BIBL. THEOLOGIAE PROV. HUNG. S.J.
IHS
1935



PRÆFATIO AUTHORIS AD LECTOREM.



Abes lector benevole summariam Philosophiæ morum Synopsim. Tractavêre materiam hanc plures laude suâ dignissimi: Raynaudus, de Raconis, Vernulæus, Lipsius, Savedra, Barclajus, & alii cum Philosophorum Principe Aristotele. Quorum alii fusissimo calamo partem unam, vel alteram Scientiæ hujus complexi; alii vel Scholasticâ, vel Politicâ duntaxat methodô sunt prosecuti. Mihi, quòd hoc non obstante, argumentum idem, hócque tractandum pacto delegerim, illud momento erat cumprimis, quòd teste Antiquitatis, & Sapientûm ævi nostri coronâ, Sapiens esse possit nemo, qui hac non præcellat Philosophiâ. Quis porro

excellat in eo, cujus ne prima quidem noverit fundamenta? Græciæ certè, & Latio veteri is erat Philosophiæ hujus decor, & gloria; ut cùm aliam ferè ignorârint, huic uni annos complures sacrare dignum operæ pretium censuerint. Hodie vel solum Philosophiæ nomen, quia multos tanquam acerbior cortex, tomorum item legendorum improbus terret labor; scholasticum sepo sui tractandi modum, brevíque compendiô, quid Sapienti cuivis expetendum, fugiendúmve in omnem vitam sit, indicavi.

Neque est, quòd verear, alienam, ùt dicimus, in messem nos falcem immittere, sive dum Politicæ, sive dum Oeconomicæ summa capita pertractamus. Neque enim aliam nos Politicam prosequi visum est, ac eam, quæ Sapientes quosvis, quales publico natos, & Moderatores esse o-

por-

porteat, formet; atque ideò Theo-Politicos, quod Philoſophiæ eſt proprium. Neque arcana Statuum, Regnorum, aut Conſiliorum eâ cauſâ diſquirere libuit, ne vel hujus notæ argueremur, vel ſummariæ doctrinæ limites excederemus.

Ethicas, Politicásque doctrinis Quæſtiones, emblematis, & ſymbolis mixtas inſperſimus, erudito complurium genio ſatisfacturi, utilíque è mente Horatii, dulcia permixturi. Plura in Politicis, & Oeconomicis qui cupiat, rem vel bellicam duntaxat, vel agrariam, nauticam, hortenſem, &c. tractantes, per me licet, conſulat, non Philoſophos. Quorum opus per Univerſalia ducit, è quibus facilis ad particularia ſit progreſſus. Neque enim aut villicos, aut olitores, aut vinitores nobis formare propoſitum, ſed Sapientes ſui, rerúmque ſua-

rum curatores, experientia his fundamentis nixa, cætera facilè te docebit. Aliam quidem me fateor viam initurum fuisse, si laboris Philosophici calamum, & mentem non vetuisset contentio.


Tu lector amice, innocua temporis furta sin utiliter, benevolè à me certè locata, æqui, boníque consule: & sin probare propositum libeat, vel oppellam; nè reproba, & votis satisfecisti. Habebis, si eruditionis sis amans, sin aliquid, quo erudiaris, vel oblecteris, id certè, quo lectorum memor reddaris. Lucianum esse si libeat, unum id in aurem dictum habe: Aut aliter facturus, aut emendaturus, si *(per tempus)* licuisset, eram.

PRÆ-



PRÆLIMINARIA.

QUID ETHICA? PARTITIO? OBJECTUM?



Quisquis es, errorum sexcenta pericula pensa;
Sis Nestor, Juvenis, Cræsus, an Irus, idem est.
Erroris, vitæque eadem sors: te nisi ducat
Regula, quam spectes, quámque sequâre ducem.

ETHICA, seu moralis disciplina, ipso vocis etymo Græcis ἠθικὴ, ab ἦθος, quod *mores* significat, dicitur; ùt, quæ mores hominis (parvi illius orbis compendii) præceptis suis instituit. Scientia hæc pars Philosophiæ princeps est, quam Aristoteles quidem l. 2. Metaph. c. 1. & Theophrastus in

Theoricam; seu *speculativam* primùm, quæ in solius veritatis cognitione consistat; deinde in *practicam* divisit, cujus finis sit *actio*. Platonici tamen, & Stoici meliùs in *naturalem*, *rationalem*, & *moralem* sunt partiti. Rationem more suo sapientissimè Aug. l. 8. de civit. Dei c. 4. explicat per similitudinem dicens: tria sunt in artifice necessaria, ut quidpiam efficiat, natura, doctrina, usus: quorum primum ingeniô, secundum scientiâ, tertium fructu dijudicatur. Sic triplex est Philosophia. Naturalis propter naturam. Rationalis propter doctrinam. Moralis propter usum. Nos omissâ naturali, seu Physicâ, & rationali, seu Logicâ Philosophiâ, moralem duntaxat, & quidem brevitati, & oblectamento consulturi, omissâ scholasticâ methodo, persequimur, quæ teste Tullio l. 5. Tuscul. quæst. à Socrate primum è cœlo in terras deducta, privatis domuum, & Civilibus Urbium communitatibus est introducta. A Platone, deinde Aristotele, cumprimis à Seneca ad omnem rationis amussim est exculta. Palatum hæc promulsis ut acuat ampliùs, secundas veluti mensas addimus, quæsita nonnulla; eruditam legentium curiositatem tantisper oblectatura.

Tametsi Aristotele l. 2. Eth. c. 2. teste *agere secundùm rectam rationem commune sit*; eò quòd recta ratio ingerat homini quasi impetus ad rectè agendum, & honestè; Ethica tamen est necessaria, quia id Aristotelis dictum tantùm est verum, donec prima hominis innocentia nihil vitiorum malitiæ attrahit; quæ nisì arte, & industriâ excolatur, & curetur, instar ægritudinis hominem corrumpit sensim.

Dividitur Ethica in *Monasticam*, *Oeconomicam*, & *Politicam*. Homo enim considerari potest, vel sibi soli consulens, & sic Monastica à Græco μονὲς dicta eundem dirigit. Vel spectari potest ùt domûs, & communitatis Paterfamilias, quem erudit Oeconomica. Vel quod divinissimum est, prout præter dicta duo habet curam etiam salutis publicæ, legum, æquitatis, & Judiciorum, quem Politica instruit. De quibus Philosophorum Princeps 178. libros scripsisse fertur, exiguæ tamen supersunt reliquiæ. 10. scilicet libri ad Nicomachum, 7. ad Eudemum,

demum, quorum alter filius, alter discipulus erat. Duo magnorum Moralium, Politicorum 8. & duo Oeconomicorum.

Quare cùm auditor hujus scientiæ sit solus homo recti, honesti, & Patriæ amans, & nulli malum desiderans: objectum ejusdem materiale remotum est voluntas humana. Proximum verò est actio humana prout ad rectitudinem dirigenda.

Formale est rectitudo, seu honestas operationis dependenter à conducibilitate ejusdem ad ultimum finem inducta. Finis est beatitudo per actiones rectè ordinatas obtinenda. Unde vides Ethicam esse Practicam, cùm finis ejus semper sit praxis. Sic Aristoteles l. 2. Eth. c. 2. præsens tractatio non est speculationis causâ, quemadmodum aliæ (non enim fit, ut cognoscamus, quid sit virtus, sed ut boni efficiamur: alioquin nulla esset ejus utilitas) necessè est, ut de actionibus, quomodo agendæ sint, consideremus.

Neque dicas: Aristotelem l. 1. Eth. c. 3. dicere, Juvenes minùs esse idoneos Moralis scientiæ Alumnos, eò quòd plerumque æstu passionum abrepti, Ethicæ præcepta non curent. Nam intelligendus is est solùm de Politica, ùt quæ ætate, & experientiâ discitur; secus Ethica, quæ cereis animi motibus frænandis plurimùm conducit. Actum enim agas, si vires sumant ineradicabiles. Unde alibi Aristoteles ait: nihil referre, *an ætate sit juvenis, an moribus? non enim est culpa in ætate, sed in eo, qud pravis affectibus servit.*



PHILOSOPHIÆ MORUM PARS PRIMA.

MONASTICA.

QUÆSTIO I.

Generalia Moralitatis Principia.

§. I.

Quid beatitudo hominis?



Hic scopus est, hic meta viæ; nè tardior instes;
Fac spectes oculis, æthera sæpe tuis.
Nam quot ibi stellas, totidem calcaria cernes,
Quæ stimulent tardos ad sua regna pedes.



DOCTRINA ETHICA.

ARs per Aristotelem *nihil temerè, aut sinè ratione* cùm *faciat*; per eundem verò cùm *melius sit, quod naturâ, ac sit illud, quod arte præstatur*; certum videtur, nihil in orbe agi, aut agere casu solo, sed

ſed ad finem omnia deſtinari. Finem Philoſophus l. 2. Phyſ. c. 3. nominat, *cujus gratiâ aliquid fit.* Hic intentione præcedit actionem operantis, executione conſequitur. Media è contra ad finem præcedunt executione, intentione ſequuntur, cùm tantùm adhibeantur finis obtinendi causâ. Finis alius dicitur *qui*, ſeu qui ab operante intenditur; alius eſt *Cui*, *cui* ſcilicet intenditur. Alius eſt *proſecutionis*, alius *averſionis*, alius *operis*, alius *operantis*. Demum *ultimatus*, ad quem ex natura ſua omnia referuntur. Alius *non ultimus*, qui eſt medium ad ultimum finem conſequendum. Hominem ad felicitatem, ſeu beatitudinem conditum cum Sapientibus nemo dubitat. Felicitatis porro objectum, ſeu *beatitudo objectiva* eſt *Summum bonum*. *Beatitudo formalis*, ſeu felicitas eſt actualis rei illius fruitio, & poſſeſſio. Unde cùm Ariſtoteles 2. Phyſ. c. 7. felicitatem dicat eſſe *bonam actionem*, vides, quòd hic finis non ſit ultimus, quia ſcilicet per bonam actionem homo dirigitur ad ſummi boni fruitionem, tanquam ultimum terminum. Vides item, quòd cum dormiens ſopitis ſenſibus operari non poſſit, formaliter etiam beatus non ſit. Ità idem l. 1. Eth. c. 8.

De objectiva hominis beatitudine 288. opiniones veterum fuiſſe refert Aug. l. 9. de Civ. DEI. Quorum alii cum Ariſtippo in voluptatibus corporis. Alii cum Craſſo in divitiis, ac bonis fortunæ; alii in fama & honore cum Periandro. Alii cum Stoicis, in virtute ſola, & rectè operando conſtituerunt; ità ut morbos, dolorem, pauperiem *non mala*, ſed *rejectanea* tantùm dixerint; cùm tamen his contraria, valetudinem, fortunas, &c. bona eſſe exiſtimaverint. Ego cum Ariſtotele l. 1. Eth. c. 10. & Tullio ſentio: beatitudinem formalem eſſe *ſecretis malis omnibus cumulatam bonorum omnium poſſeſſionem*, quæ tamen in hac vita haberi non poſſit. Unde Solon ſapienter: *nemo, quoad vivit, felix. Finis eſt expectandus;* ille ſcilicet, *ut ex perfecta virtute operans, tandem ſecundùm rationem vitâ defungatur.* Quodſi verò DEI operatio (qui beatitudine præcellit omnibus) juxta Ariſtotelem eſt contemplativa, & ex humanis feliciſſima ſit illa, quæ huic maximè eſt cognata; propterea, quòd DEI to-

ta vita beata ſit, hominibus verò eatenus ſolùm, quatenus ſimilitudo quædam ejusmodi operationis ipſis ineſt; negari non poteſt, principalem beatitudinem perfectam in contemplatione DEI conſiſtere; ità, ut *DEUS ipſe ſit beatitudo objectiva*; formalis verò beatitudo ſit ejus cognitio intuitiva, amor, & quaſi unio. De Raconis q. 2. A. 2. His accedit delectatio, certitudo de perpetuitate, immutabilitas in voluntate, &c. de quibus plura Theologi. Propter hanc felicitatem æternam mala Phyſica fiunt bona, & beatitudo mundi nugæ ſunt, in comparatione hujus. Si porro æternitatem animæ in dubium voces. vide Politicam infrà.

QUÆSTIO ETHICA.

An infelix quis eſſe poſſit, quia felix?

AFFIRMATUR.

QUantùm nomine ipſo alienus, tantùm merito magìs, an demerito ſuo proximus ſortis ludibrio, quisquis felix. Vide fortunæ ludum, orbis circus eſt, ac theatrum. Pila dulcior, frequentior, quidnî etiam facilior nulla, quàm quem ſecundo, ùt aiunt, natum Numine Gratiæ aluêre. Sejanus orbis Dominæ, Belizarius Orientis Imperii, Anna Bolena Angliæ quanta nomina, nè dicam Numina! quid ſingulis excidii, atque adeò infelicis ruinæ an cauſa, an magìs occaſio? placuiſſe Cæſari, triumphâſſe Juſtiniano, Henricum octavum amoribus ſic laqueâſſe; ut ſui impotens ambitus, cùm terminum nactus, quò creſceret, non haberet, ſuo eundem lapſu decreſcere oporteret. Nempe grandia omnia, ùt præcipitia ſemper ſunt, ſic vertigini proxima. Lux nimia, tametſi ſuo digna pretio, quia hebetat aciem, ingrata ferè. Cedris Libani minantur fulmina, dum contrà myrica tenuis ſui ſecura. Littora legere & commodi eſt, & ſecuritatis. Altum qui petiit, ô quoties undis, ventis, æquoreis piſcibus fabula primùm, tum etiam eſca, ut fieret, prœmium tulit. Squallent favore Cœli altiſſima ferè culmina, intonſis rupibus cœlo æmula, dum valles pluviis fœcundantur, & frugibus,

bus. Ut si unum illud magnitudinis abundans sit præmium, cætera omnia altiore posse despectare supercilio. Cave, anceps alea est. Invidia ferè, quos elidere nequit, rodere ùt minùs, gaudet. Dens acerbus, si non semper destinato interitu, at lacerato certè gaudet nomine, hoc uno viperino satìs litatum credens genio, si cùm virum ipsum felicem non possit, meliorem ejus partem, famam dico arrosam crudele furori suo solatium, & Trophæum statuat. Sed & illud felicitati jure quodam est proprium, quantùm super alios efferri, tantùm super se ipsum; eò periculosiori fato, quò sui minùs securus alienis est odiis, qui his ipsis fortunæ Etesiis se securissimum credit. Olei in morem labitur ridens alveus, at fundo tempestates coquit, & fulmina. Mentitur, ùt solet, Alcyonem siren blandiens, non ut recreet, sed ut perdat. Memento Solonis Cræso etiam inter aspera inclamantis: *Cræse, Cræse, gloria tua est infelicitas maxima.*

NEGATUR.

ITane verò, fons prosperitatis, origo sit turbinis? Quæ communio lucis ad tenebras? ortûs, & occasûs? gloriæ, & ignominiæ? Ut nomine, sic sorte distent, felicitas, & excidium, oportet. Nunquam massica vitis spinas, nunquam Hesperidum mala tribulos gignent. Sint certa venena viperis, ambrosiâ pascit, & nectare, quos melior sors risu oblectat. Turgeant Favoniis carbasa, ut provehantur; vado fixa secus hærebit liburnica, non aliâ retenta anchorâ, quàm infelicitate. Vicina fulmini jactantur culmina. Quid laurô sublimius? immunis tamen. Quid olympô celsius? & quæ tempestas vel pulverem ejus proturbat? periculi res certa quàm maximi, alto subsistere; Cur, quos Dii amavêre, & Gentes, in sublime super vulgus tulêre? Furant in culmina Cœli injuriæ, solo æquant unum, dum sexcenta consistunt. Nulla proinde in orbe felicitatis seges est speranda, si omne illud spernendum sit semen, quorum vel unum sors & fortuna suppressit. Si qua pressit felices tempestas; pressit, non quia erant, sed quia visi; non eò nempe, quòd felices, sed quia felicita-

te indigni vel meritorum inopiâ, vel ignorantiâ ſorte ſuâ utendi. Dedecet mentem pumilam gigantæus clypeus; quod tutelæ futurum, ac decori, opprimit, non quia nocivum, ſed quia imparem gravat. Rodit livor æmulum? nulla ætas Ariſtarcho libera. Æquè, an iniquè vitam exegeris, Lucianum calcaneo imminentem feres. Rodat, ſe rodit magìs; more, quo lunam allatrant catuli; ſplendoris aut cursûs obicem ſtatuunt nullum, aures alienas, ſua ora flagellant. Apage tam exilem & illum animum, qui, dum ſecundi rident Favonii, ſibi duntaxat fidens, ſic vela pandit, ut ſorti diffidat nihil. Credulitatis illud, aut imbellis eſt animi vitium, non felicitatis. Quisquis fortunâ perit, quàm parum ſui, tam parum veteris illius eſt conſcius, ferreâ cautum fortunæ eſſe lege, ut incautis & credulis ſemper inſolentem ludum ludere pertinax geſtiat.

§. II.

Quid bonum, & malum in communi?



Quæ bona, quæ mala ſint? cùm ſit modò quæſtio: dicam,
Scire quod exoptas, ſis bonus, ánne malus?
Putrida ſi placeant, corvus; ſi vipera, Arachne es;
Flores virtutum ſi placeant, apis es.

Do-

DOCTRINA ETHICA.

FUisse olim nonnullos refert Aristoteles l. 1. Metap. c. 4. qui duo rerum omnium principia adstruxerint. *Bonum* pro bonis, *malum* pro malis: quem errorem Manichæi Pythagoræos secuti propugnârunt, quos S. Aug. l. de Genesi doctissimè confutat. Bonum omnes æqualiter definiunt, esse videlicet *id, quod omnia appetunt, & cui nihil deest ad perfectionem propriam.* Unde vetus illud: *bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Quæ tamen non ità intellige, quasi idem bonum omnes appetant; quia hoc solùm verum est de summo bono; vel quòd nullum sit bonum, quod non omnes desiderant; cum de ratione boni solùm sit, ut expetatur ab eo, cujus naturæ competit. Beatitas, quæ rebus ipsis inest, dicitur *objectiva;* illa verò, quæ ex parte actûs rem appetentis, dicitur *formalis.* Beatitas objectiva alia est *transcendentalis,* quæ convenit rei ideo, quia hæc res est. Alia est *naturalis,* seu *Physica,* quæ convenit rei propter naturam suam. Alia demum *moralis,* seu *honesta,* quæ convenit naturæ rationali secundùm rectam rationem operandi. Bonum dividitur in *honestum,* quod per se decet naturam rationalem, & propter se appetitur; ùt virtus, quæ etiam potest habere rationem finis. In bonum *jucundum,* quod corporis, vel animi voluptatem causat; ùt: cibus, & potus melior, honor, & laus. Denique bonum *utile,* quod juvat ad aliquid obtinendum, v. g. opes ad honores acquirendos. Hæc tria bona oportet esse conjuncta, nihil enim aliàs boni nomine meretur insigniri; cùm nihil verè utile esse possit, nisì idem sit honestum; ità Cic. de officiis l. 3. Quòd tamen vulgus sæpe in bonum tantùm apparens, tanquam in verum bonum feratur, rationem dat Aristoteles l. 3. Eth. c. 4. quia scilicet id vel causat simplicitas, vel mens excæcata. Sicut sanis hominibus salubria sunt, quæ verè talia sunt, ægrotis diversa placent, & diversa conducunt.

Aliud est bonum *animi,* seu id spectet ad *intellectum,* ùt scientia, sapientia, gratia illuminans, &c. seu ad *volunta-*

luntatem, ut eſt gratia ſupernaturalis inflammans ad omne bonum, inclinatio in bonum, virtutes morales ipſæ. Aliud eſt bonum *corporis*, quod ineſt ipſi corpori, ùt robur, valetudo. Huc referuntur bona extrinſeca, quæ extra corpus ſunt; præcipua ſunt honor, qui per Ariſtotelem l. 1. Rhet. c. 5. eſt ſignum æſtimationis de beatitudine honorati. Præſertim ſigna honoris publici, v. g. ſtatuæ, Coloſſi, ſepulchra, &c. quæ ſunt cauſa laudis, gloriæ, admirationis. 2dò. Divitiæ, & potentia, quæ ſunt rerum & gratiæ copia, quibus hoc ævo tribuitur plurimùm. 3tiò. Nobilitas, ſeu meritum familiæ, ut honoretur ob præclarè geſta. *Privata* eſt, quæ per originem parentum ducitur; *Publica* eſt nobilitas Civitatis, & gentis, quòd homo ſit ex tali loco, vel gente ortus, v. g. olim Cives Romani: ob quod Paulum Judæi non auſi flagellare. Hæc tamen Nobilitas ſola parví pendenda. Virtus enim, ut cum Savedra loquar, non naſcitur, ſed fit; hæc ſola germanæ nobilitatis mater. 4tò. Amicitia. Hinc fit, quòd nemo ſinè amicitia eſſe vel velit, vel poſſit. *Amicus* enim maximum eſt bonorum externorum, ità Ariſt. l. 9. Eth. c. 11. & l. 10. c. 8.

Malum ſeu imperfectum, quid ab oppoſito ſit, facilè intelliges, ſcilicet *id, cui deeſt aliquid ad debitam perfectionem.* Quod fit vel *negativè* per puram privationem, v. g. cæcitas in oculo, vel *poſitivè* ponendo contrarium, v. g. calor in aqua, dolor in corpore. Lepidum id ſanè, quod aliqui cum Carteſio & Stoicis cenſeant dolorem corporis nihil eſſe extra intellectum; cur æger, qui tamen ſapiens eſt, uri, ſecari, & amaris pharmacis torqueri non ſuſtinet? nónne vel mentem facilè firmaret in contrarium ſapientiâ ſuâ, ſi id, quod ſentit, nihil eſſet extra intellectum? Contunde artus omnes Philoſopho tali, & quære, an nihil ſit extta corpus dolor ille? & facilè audies clamantem cum podagrico, nè tumidum corpus vel premas, vel tangas; quia tum rectè affligi ſe ſentit, cùm à te etiam neſciens, neque te videns, tangatur.

Malum ibidem triplex eſt: 1. *Naturale*, quod naturæ contrariatur, ùt mors homini, & animali. 2. *Morale* ſeu *culpæ*, quod adverſatur rectæ rationi vel legi, eò

quòd

quòd hominem ratione præditum fædet. 3. *Pœnale*, seu *pœnæ*, quod propter culpam infligitur; aliàs per abusum dicitur *supplicium*, quia ob pœnam meriti supplices esse solent, ut pœnam evadant. *Reatus* pœnæ est meritum, quod ex propria culpa ponitur ad pœnam tolerandam. Malum *naturæ* subdividitur in mala *externa*, ùt paupertatem, amicorum jacturam, &c. opposita bonis externis suprà dictis. Licèt enim hæc omnia moraliter nec bona sint, nec mala; bona tamen, vel mala esse possunt causaliter pro varietate subjecti debilis, vel fortis, cui obveniunt. Malum *rationis* dividitur in *errorem*, & *ignorantiam*. Ignorantia est nescientia rerum, quarum scientia debita est statui, muneri, &c. ùt enim varia est ætas, & fortuna, sic varia hominem decet scientia. Aliarum enim rerum ignorantia non est naturaliter mala. *Error* est, qui intellectûs dictamen perturbans ad actiones malas inducit.

Celebris quæstio, an voluntas malum, ùt malum amare possit, facilè solvitur: negando id fieri posse, nisì colore boni proponatur. *Neque enim quisquam tam descivit à lege naturali, & hominem exuit, ut gratìs esse velit malus*, ait Seneca l. 4, de beneficiis. Ubi bene nota li *gratìs*. Ergo verum est, quòd licèt malitia ipsa odio sit, & pudori, fructus tamen ejus, seu delectabilitas, vel utilitas proposita movet ad sui amorem. Scilicet corrupta phantasia gypsum vel calcem appetit locò cibi.

QUÆSTIO ETHICA.

Utrum sapienti præoptandum vita longa, an fama?

PRO VITA.

STadium cursui, palæstra pugili orbis est. Non omnis passus Gygantæus est, ut bravium obtineas; neque vacat dedecore, rude velle donari, priusquam illustres texueris ab hoste manubias, & trophæa statueris. Obsidionales, Civicæ, murales si quem cinxerint laureæ, ùt palmarum, sic stipendiorum plurium ferè heros est. Grandia, ùt mole sua sunt grandia, sic tempore magnitudinem obti-

obtinent. Angusto operi comes semper est angustia temporis. Nunquam unius aut diei, aut anni periodo gloriæ suæ colossum virtus statuit. Naturæ & artis hæc regula, dum magna operatur, lustra, decades, sæcula in censum ducere. Nobilitas ut pretio sit, ævum ferat Praxitelem, & Apellem miratur ars, quot dies parandæ gloriæ requirebantur? Phœnicem ut Arabia felicior prodigium pariat, ævum numerat. Quid quid illustre, sumptu, labore, mente grandi fundatur, quidni etiam tempore? imò sit magnum nihil in orbe, cui magna non primitus, aut subinde amovenda pericula, remoræ, incommoda, quis omnia hæc nisì vitæ longioris & annorum serie triumphet? sors, & industria, virtus rerum omnium Pater est, mater mora. Ephesinæ Dianæ fana, Rhodios Colossos, Memphis prodigia celebrant fasti, neque tamen subticent tempora, quibus fundata. Palma, ut regiones ditet, lustris; flumen Urbes & orbem ut fœcundet, regiones plures decurrit, vectigalibus ùt aquarum, sic temporum spoliis eget. Ætate quod caret, pretio ferè caret. Sibi soli servit Jerichuntis rosa, nata vespere, manè mortua. Ut brevis tempore, sic affectu. Momentum fungos parturit, momentum perdit. Avaro nimiùm arctatur gloriæ limite, qui Adonidis tantùm annos cupit, non Nestoris. Vix momento designes grandia, nedum exequaris. Ut meritò sapienti vita brevis vixdùm semen, nedum meritum sit æternitatis. Albo, quod dicimus, corvo rarior in terris avis, cujus gloria meridiem obtinet linea unica.

PRO FAMA.

FAma vox exilis, res vaga, momentum grande. Non tempore, sed merito sapiens vitam metitur. Durant ingloria ferè animantia, cervi, corvi. Quæ pretiosa, non tempore, sed suo se commendant. Domesticum sit pretium, non alienum, quale & tempus est. Horatii Coclitis fortitudo, magnanimitas Scævolæ, candor Lucretiæ, constantia Senecæ, omnium gloria quanto stetit? momento pene dixerim mortem unà & æternitatem adferente. Parum interest, quanto ævo; dum constet, quantus degas?

gas? ævum querceta ferunt, non gloriam; dum pauciorum temporum arbor, ùt pomorum pretio, ſic affectu ſuperat vel myriadem horum. Quid intereſt, an procellis ſæculi jactêre, ſi vivas. An orbe toto, quia caſibus ejus major, meliori tui parte vivas gloriæ, & exemplo? nisì quòd dum vivis, exilium ſubeas; famâ è contrà vivens libertate gaudeas, quia gaudes æternitate tum nominis, tum felicitatis. Vivit ſapiens docens hic ſcripto, ille exemplo virtutis. Animum hæc, non tempora requirunt. Atque adeò momentum unum & ſemini, & merito ſapientis ſufficit, ut vivat ſemper. Virtute ſola monumentum nanciſcitur ære perennius, famam temporis & ſæculorum, quo ùt innocua magìs, ſic felicior vita eſt nulla. Quoties auditus ſapiens orbis vitam faſtidiens? Cujus ſtudia ambitus, fraus, furor, crepundia. Hæc lacrymas Heraclito, Democrito riſum, Diogeni linguam exacuêre. Quid horum ſapienti in votis? Cui ſola mens virtutis conſcia ſufficit, quæ eo duntaxat felix, quòd nullis temporum arctata limitibus, infelix tum primùm futura, cùm temporis jugum reciperet. Felicius vivit, qui ſui famâ triumphat. Neſcit hæc ægritudinis, & tædiorum moleſtias, quibus dum vita quævis obnoxia, aut acerbitate, aut metu ipſorum malorum mors magìs perennis dicenda eſt. Vive vel momento, dùm fama & virtus tua duret æternùm, vitæ melioris, & felicitatis terminum attigiſti.



§. III.

§. III.

Quid & quotuplex ſit actio humana? Ejusdem principia, & moralitatis.



Ambitio Scopulus, ſua cuique Cupido charybdis.
Vita mare eſt, ratio nauta, volupta notus.
Ah! quot in hoc ſcopulo, quot in hac periêre charybdi!
Navita dum rapidis vela dat ire notis.

DOCTRINA ETHICA.

ACtio humana eſt medium quoddam ad finem ultimum; alia dicitur actus *humanus*, qui fit cum plena advertentia; ùt ſcriptio, ſeſſio, &c. alia dicitur actus *hominis*, cui abeſt deliberatio, v. g. caſu moveo pedem, vel oculum. Actus *humanus* dicitur *elicitus*, qui immediatè procedit à voluntate. Actus *imperatus* eſt actus potentiarum, vel membrorum ad imperium voluntatis elicitus; v. g. ab intellectu, ſenſu, & membris. Aliquando voluntas actum ſecuturum imperat ſibi ipſi. Actus *internus* dicitur, qui in animo manet. *Externus*, qui ſub ſenſus cadere poteſt, ſeu dictis, ſeu factis. Omnes actus eliciti tendunt vel ad finem, vel ad media circa finem. Finem ſpectat ex Ariſtotele l. 3. Eth.

voli-

volitio ipsa (aliud enim est voluntas, seu potentia) *intentio*, & *fruitio*. Circa media versatur *consensus*, *electio*, *usus*. Volitio est simplex repræsentatio, & appetentia finis, sinè reflexione ad media, & ideo sæpe est inefficax, seu non sortitur finem suum, & dicitur *velleitas*. Intentio præter complacentiam, & amorem finis saltèm confusè, & indeterminatè cognoscit media, & per hoc differt à *volitione*, quòd hæc intentio semper sit efficax, cùm tamen inefficax volitio contrarii stare possit cum efficaci volitione finis alicujus, ùt vetus fert adagium: *vult*, & *non vult piger*.

Intentionem finis sequitur *consultatio*, seu deliberatio de mediis, de fine enim ait Aristoteles c. 3. non consultamus, quia sanitatem v. g. volumus; sed media eligimus, quæ ad finem inducunt. Facta consultatione immediatè ponit voluntas consensum, qui est complacentia in mediis ad finem conducentibus, nullius tamen præ reliquis determinatio efficax. Quando verò voluntas determinat, seu eligit determinatum medium, tunc consensum sequitur *electio*. Hæc electio sæpe tantùm per intellectum distinguitur à consensu, si medium ad finem consequendum sit tantùm unicum, tunc enim complacentia in medio, seu consensus, non distinguitur ab ipsa electione medii, & ideo à multis confunditur electio cum consensu.

Post electionem ponitur *usus* à voluntate, id est actus, quo se voluntas ad novum actum juxta D. Th. 1. 2. q. 6. a. 21. vel alias facultates applicat ad media exequenda. Dico *usus*; quia *fruitio* plus est, quàm *usus* per Augustinum. *Fruitio* enim est rei inhærere tanquam fini ultimo. *Usus* verò est rem exequi non tanquam ultimum finem, in quo propter ipsam rei bonitatem voluntas ultimò quiescat. Actus hi voluntatis, licèt à nobis non advertantur, in singulis tamen actionibus fiunt. Bruta consultatione carent, quia carent intellectu, voluntatem, cœcam potentiam regulante; quam habent homines. Unde quamprimum sensu objectum percipiunt, in illud tendentia utuntur, & fruuntur, quod etiam cœcitas, & malitia in sceleratis sæpe facit. Unde illud: *comparatus est jumentis*, & *similis factus est illis*.

Quòd

Quòd voluntas imperium in potentias exerceat, dubitat nemo. Quis verò ſit actus imperans, ſeu imperium rationis, ex ſuprà dictis actibus, dubitant plures. Cognitio certè, quæ uſui prælucet, imperium rationis eſſe non poteſt, quia aliud eſt mediorum aptitudinem cognoſcere ad finem, aliud actu eadem imperare. Ego cum Ptolomæo ſentio, quòd ſit *uſus* ipſe, ſeu actus voluntatis regulatus à ratione, ex quo ſequuntur actus imperati. Imperium enim univerſaliter eſt applicatio ſubditi ad agendum cum obligatione ad finem ſuperioris. Quod utique voluntati determinanti competit.

Imperium, ùt dicam parte 2dâ Philoſophiæ moralis cum Ariſtotele l. 1. Polit. c. 3. duplex eſt: *Deſpoticum*, ſeu *herile*, quod habet Dominus in mancipium, quod voluntati Domini non poteſt non obſequi. Et *Civile Politicum*, ſeu *regium*, cui ex juſtitia aliquando poteſt non obediri. Tale habet v. g. Rex in ſubditos, qui licèt ſubditi, tamen aliquam habent libertatem Potentiis corporis voluntas imperat deſpoticè, quia manus debet tangere, lingua guſtare, &c. ſi voluntas velit, nisì extrinſecum quid obſtet v. g. morbus. Appetitum verò ſenſitivum, imaginationem, &c. civiliter gubernat, unde ſæpe cogitationes noxiæ, imaginationes, ſenſus non ſtatim recedunt, dum voluntas imperat. Potentias reliquas v. g. nutritivam, vegetativam indirectè tantùm regit, prout videlicet illis alimentum dare vel negare poteſt pro arbitrio ſuo. Omnis actus imperans plurimorum ſententiâ intrinſecam ſibi habet totam moralitatem; per ſe enim dicitur bonus, vel malus, licèt nullus ſequatur actus imperatus: omnis verò actus imperatus tantùm denominativè dicitur bonus, vel malus, ſcilicet ab actu imperante bono vel malo, & ideo v. g. colloquium, ambulatio, &c. moralitatem habet ſibi tantùm extrinſecam. Principium actionum eſt homo, per intellectum, & voluntatem operans. Ille tendit in verum; iſte in bonum. Hæc duo ſunt principia innata, ſeu homini *intrinſeca;* alia ſunt *extrinſeca;* v. g. *directiva*, ùt lex: alia *acquiſita*, ùt habitus virtutum. Alia *infuſa*, ùt gratia habitualis. Utraque potentia habet actus, & habitus. Habitus per Ariſtotelem eſt facilitas orta ex frequen-

frequentatis actibus ad similes actus eliciendos. *Speculativus* est actus, qui tantùm contemplatur rei veritatem. *Practicus*, seu principium prudentiæ dicitur Aristoteli l. 6. Eth. c. 11. qui ad operationem dirigitur. *Voluntarium* dicitur actus voluntatis prælucente cognitione factus. *Involuntarius* est actus voluntatis non prælucente cognitione factus à potentia tamen capaci cognitionis, hinc bruta non faciunt actus involuntarios. *Spontaneus* est actus liber à coactione, factus etiam nullâ cognitione præcedente. *Coactus* est contrarius spontaneo, & datur etiam in brutis.

Voluntarium liberum dicitur, quod est immune à necessitate antecedente, & coactione. *Voluntarium* necessarium aliud est *antecedens*, seu absolutum, quod omnem voluntatis electionem antevertit, v. g. prædeterminatio, cui voluntas resistere nullo modo possit. *Voluntarium consequens* est, quod est à necessitate consequente, scilicet ex suppositione. Hoc voluntarium liberum *libertate indifferentiæ* (id est, quod positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, vel non agere) sicut per Theologos ad merendum supernaturaliter est necessarium, ità certum est dari in homine ex Patrum, & Scripturæ testimonio. Sic Paulus 1. Cor. 17. *non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* Aristoteles l. 1. de interpret. c. 6. *ad quid sunt humanæ consultationes, si hoc, quod facimus, necessariò fit?* Liberum & voluntarium duplex est: *Immediatum*, & *mediatum*; itèm *formale*, & *virtuale*. Formale est, quod in se ipso intenditur, v. g. volo furari aureum. *Virtuale* est, quod intenditur in causa, v. g. scio me in hac occasione semper facere malum hoc, malum fit voluntarium, quoties occasionem sponte adeo. Aliud denique est *directè*, aliud *indirectè* volitum. An verò libertas sit voluntati penitus intrinseca, vel sit partim extrinseca, cùm hæc parum juvent ad actuum moralitatem, Theologis discutiendum cedo. Utì etiam illud, quæ scilicet principia tollant, vel minuant libertatem, breviter id solùm nota:

Quòd libertatem tollat *necessitas physica*, *omne involuntarium*, *inadvertentia*, & *ignorantia invincibilis*, id est, dum post diligentiam sufficientem habitam aliquis

rem ſcire non potuit. Secus eſt de ignorantia vincibili & ſupina, ob hanc enim punitur, ſi quis legem, & jus commune neſciat, quod ſcire facilè poterat, & debebat. *Metus* ſecundùm quid tollit ſolùm, id eſt, infirmat voluntarium, quia actio licèt ex metu facta, tamen procedit ab intrinſeco, ſeu voluntario; ùt patet in homine merces ex metu naufragii in mare projiciente. Paſſiones v. g. amor, odium, &c. ſæpe potiùs augent voluntarium. Libertatem tamen aliquando concupiſcentia vehemens per ſanctum Thomam minuit, & conſequenter minuit peccatum in ratione liberi propter cæcitatem, quam offundit intellectui, & dicitur peccatum *fragilitatis.*

QUÆSTIO ETHICA.

An Philoſophia parandis fortunis proficua?

NEGATUR.

SI lingua, Divini eloquii ſenſu, incendium grande; vires ſuas nullibi acriùs exſerit, ac in Philoſophos. Conſumit cultorum ſuorum domeſtica, nedum fortunas augeat acquiſitis. Lippis quid tritum ampliùs veteri illo: *Dat Galenus opes; dat Juſtinianus honores: Pauper Ariſtoteles cogitur ire pedes.* Et meritò; Aliud diverbio veteri eſt ſcapha, aliud ſquamma. Aliud ſus, aliud Minerva. Quid ergo rei aut publicæ, aut privatæ conferat ſtudium, quod Deorum hominúmque conſilio, quieti, non labori ſacrum. Hinc lucos inter ac nemora ſapientum quondam Stoa, Peripatus, Academia. Quaſi verò aut præter, aut ſupra hominum ſit communionem, velle ſectari ſapientiam hanc, & curis rei domeſticæ intendere. Quem experientia rerum Magiſtra non erudit, næ ejus in ſicco hærebit celox, & tarda domeſtico in fundo parſimonia dictaturam geret. Quid porro experiatur publicæ rei is, qui ne nomen quidem rerum novit? niſì plutei, librorum, aut lampadis? Nempe Philoſophorum, ùt ſcire ſolùm voluptas, ſic hæreditas ferè eſt tota, ſed macra admodum, quia fortunarum inops, & vacua. Vis cauſam? verborum plauſtris, diſtinctionum laqueis, quæſtionum tor-

tormentis, quid rei familiari minùs neceſſarium, minùs Reipublicæ opportunum? Legibus fundatæ, auctæ, provectæque ſtetêre Respublicæ, non noctibus ejusmodi, quas vel Attica omnis ſuo cum Athenæo ignoret. At Sapientum calculo iisdem ferè conſiſtunt, augentúrque principiis omnia, quibus cæpêre. Quid Pythagoræo ſilentii ſeptennio Pater familias pariat domi? quid lucubrationibus diurnis ſi in ſuppetias noctes petat Bellidux, actura arena eſt? Enim verò, neque terminorum, ac ſubtilitatum acie (penè, quod res erat, dixerim, aranearum telis) Palæſtram Martis ſaluti Patriæ, neque ſancita Codicis tutelæ urbium, neque Galeni placita incolumitati publicæ, ac tuorum expedies. Ætates cenſe, faſtos conſule, ſors eadem Philoſophiæ à veteri eſt. Phœrecides, Empedocles, Diogenes, Socrates, cæteráque ſomniantium nomina quid unquam? an non res anguſta domi? nunquid curta ſupellex omnibus? Nimirum umbris, quos placet paſci, aut ventis gloriæ, mortalium ſtudia his cenſum non ferunt. Non probatur illis ferè, quod orbis ſententia eſt: jure proinde ſinè oſtraciſmi lege, talionis fato, eorum juxtà non probantur orbi ſtudia. Quoties, qui profundiſſima naturæ abdita ſuas inter Stoas atque Peripatum rimati feliciùs, cæcutivêre ad ſingula? Domi aquilæ, talpæ publico. Et horum auſtero ſilentio, Catoniano ſupercilio, abſorptis ingeniis fortuna, gratiæ, occaſio faveat? quibus ferè parantur fortunæ, ſtant rerum publicarum perinde ac privatarum impendia. Videas proinde monſtra hominum ejusmodi vili ferè lacernâ vix oſſibus rodendis ſatis dare; nedum Politicis, bellis, aut forenſibus apta ſtudiis. Quaſi verò vel eò impotes, quia dum poliendo intenti ingenio, ſiderati, abſorpti, enthei evasêre. Dum contrà ſexcentorum hodie, praxim, non ſpeculationem colentium, urbes & regna moderantur conſilia; gazas omnes fortunæ, & auri rivus inaurat, feliciorum vel eò, quòd Ariſtotelem nè primis quidem labris deguſtârint.

AFFIRMATUR.

EOne tandem abjectionis deventum? ut ſupra promptuaria & caminos par ſideribus ipſis non ſapiat animus,

dum interpres ejusdem, lingua, quæſito huic vel locum tribuit diſceptandi? ô tempora! itáne verò? fortunis parandis proficua non ſit, ſinè qua ars melior quælibet, nè artis quidem ſibi vendicet nomen? Andabatæ noſtras ipſi tenebras amemus? noſtrorum ipſi bonorum incurii, quia ignari. Tolle orbi Philoſophiam, Peripatos cum Julianis damna; tenebras Reipublicæ, peſtem Patriæ, excidium Civibus induxiſti. Hâc jacente animâ, jacebunt ſcientiæ omnes, umbra quidem, non tamen, quod hodie ſunt orbis commodo, corpus. Parandis fortunis quid aptius obſervato benigniori ſiderum influxu, mutationibus temporum, diſcreto caloris aut tempeſtatum præſagio? neque enim pares ſeminum, morborùmque ſunt vices Lunæ creſcentis primordiis, quæ ſunt cadente: & hæc omnia, quo pacto noverit is, cui ſcientia hæc artium Magiſtra deficit? Medicus, ſi paræmiâ veteri incipit, ubi Philoſophus deſinit; ſublato fundamento, quid ſuperſtruas? Legum inter ſeſe pugnantium vis, quantis ſæpe ſcrutanda ingeniis; reddenda momentis momenta, promenda cauſæ æquitas, verbô: decernendum de ſumma rerum, Urbium, Regnorum, vitæ, ac ſanguinis jure. Et ſententiam dicat, momenta penetret, argumentis convincat, qui vix verbi vim, nedum rerum ſubſtantiam penetrare doctus per Philoſophiam? Æthiopem me hercle antè reddideris candidum, ac imperitum per Philoſophiam ingenium id probârit. Garriat vulgus inutiles has quæſtionum ſentes, Mœandris aſperioribus annos, ac ætatem conteri, rem domeſticam his peſſumdari, non augeri. Fremant cauponantia ejusmodi cerebra, quantum libuerit, coquinariam, aut nummulariam Philoſophiam malint, quàm eſſe ſcientiam. An non ditior fortunis ſuis ille, qui omnia ſua ſecum geſtat, pectoris videlicet, ingeniíque bonis, quibus ſi ſors cætera rapiat, parare poſſit abrepta. Hinc ſua Philoſophis ſemper gloria, Majeſtas, quódque comes eſt, Fortunæ. Ariſtotelem Philippus quanti? Macedonem Philoſophia ſapientem juxtà fecit, atque Belliducem. Quid Athenis Zeno; Dionyſio Plato; Trajano Dion; Athenodorus Auguſto? claves ille urbis à ſenatu, triumphi communionem alter, aurigantem ſibi Plato nactus tyrannum. Quæ feli-

felicior olim Respublica, ac ubi aut Reges Philoſophi, aut Reges philoſophati? Empedoclem ipſum ſalutem ſuorum dixit Græcia, dum Philoſophiæ ductu, peſtilenti voragine obſtrui doctâ, fame patriam liberavit. At enim egentes fuêre Philoſophi, aut illuſtres togâ, ſagóque ſexcenti, quos Philoſophia non genuit; illuſtriores futuri hi, ſi Philoſophi ante, quia acutiores; egentes ferè illi, quia vel cum Crate volentes, vel Philoſophaſtri magìs, quàm philoſophantes. Neque eſt, quòd vereâre umbris per Philoſophiam obtundi, aut enthea reddi ingenia. Te tibi reddit, non eripit. Philoſophia ſana, tibi ac publico vivere ut poſſis, docens. Imò verò ampla illi ſunt & patrimonia, cui non fundi, ſed culti per Philoſophiam ingenii opes ſunt amplæ. Tributaria ſibi meritô & induſtriâ parabit, quæ ſors aut hæreditas ſanguinis negavit. Hæc qui habeat, quid ultra fortunarum expoſcat? Denique Det Galenus opes, det Juſtinianus honores; Abſit Ariſtoteles, ibit uterque pedes.

§. IV.

Quæ actionum moralitas, & Corollaria?



Quò te cunque feras. novus, & novus implicat error,
 Et trahit in tacitos hinc, ſimul indè dolos.
Hìc niſì te ducet virtus Ariadna, periſti:
 Victima lethei ſis miſeranda vadi.

DOCTRINA ETHICA.



Oralitas actûs dicitur per ordinem ad suam regulam. Si huic conformis sit, dicitur *bonus*, *honestus*, *laudabilis*: si non sit conformis, est *vituperabilis*, *inhonestus*, *malus*, *&c.* Per regulam hìc non intelligitur consilium, suasio, monitum; his enim obedire etiam sinè peccato est liberum, nisì fortè contemnantur. Sed intelligitur lex directiva obligans ad agendum, vel omittendum quidpiam. Sive lex hæc sit *æterna*, & *imparticipata* cum Platone, id est DEUS ipse. Sive lex *participata*, id est, dictamen rectæ rationis docens nos, quid erga DEUM, proximum, nos ipsos nobis agendum sit; v. g. DEUM amandum, Parentes honorandos; proximum injuriá non afficiendum. Sive potiùs sit *conscientia* ipsa, quæ cum S. Thoma definitur, quòd sit judicium intellectûs dictans, quid hìc, & nunc agendum, quid non agendum, quid turpe, vel honestum.

Conscientia hæc dicitur *recta*, cùm rectè judicat. *Falsa*, & *erronea*, cùm falsè judicat quacunque de causa, & occasione. *Dubia*, cùm ob pares utrinque causas suspensus hæret animus; nè tunc malum morale, seu peccatum committas, ad unam partem te resolvere debes, judicando hanc tibi licere. *Probabilis* est, quæ rationes in utrumque habet probabiles, in hoc casu quidquid agas, prudenter agis. Nisì ob periculum damni proximi tenearis potiùs eligere partem tutiorem, juxta illud Judicum, & Medicorum: *in dubio pars tutior eligenda.* Illud universim de conscientia certum est, ante actum ab homine positum conscientiam esse ducem, & Magistram; in actu esse testem; & post eundem esse judicem, & tortorem. Ad has regulas reducuntur omnes reliquæ, scilicet lex *naturalis*, seu consensus Gentium, v. g. legatos non esse lædendos, pacta servanda, &c. Lex *positiva*, quæ in commune bonum à Superiore est instituta. Superior iste varius est, & ideo lex alia *Divina*, & alia *humana*. Alia *novi* testamenti. Illa etiam triplex est: prima quoad mores, scilicet in decalogo. Secunda quoad Cærimonias.

Tertia Judicialis. Alia eſt Eccleſiaſtica ſeu Canonica, à legibus ſeu Canonibus. Alia Civilis, authoritate Principis vel Magiſtratûs facta. Hæc rurſus alia eſt, *jus publicum*, plures gentes obligans v. g. imperialis. Alia eſt *privatum*, & *municipale*, quod regno vel Provinciæ tantùm uni ſtatutum. Harum utraque *ſcripta* eſt alia, alia *non ſcripta*, ſcilicet per traditionem ſolùm ad poſteros ex uſu, & conſuetudine devoluta. Harum quamvis obligare dubium non eſt, cùm *omnis poteſtas à Deo* ſit teſte Scripturâ, & *qui poteſtati reſiſtit, Dei* (id eſt primæ regulæ) *ordinationi reſiſtit.* Qualis verò lex eſſe debeat? quando rogari poſſit? quid de acceptatione, abrogationibus, irritationibus ſentiendum? Jura, & Theologi veſtigent.

Quæſtio duplex, an ſcilicet dari poſſit peccatum Philoſophicum? & an dari poſſint actus indifferentes, ſeu nec boni, nec mali? à Theologis fusè deducitur. Hæc ad utramque breviter habe: Peccatum Philoſophicum, ſeu actum contra ſolam naturam rationalem, id eſt, dictamen rationis commiſſum ab homine DEUM invincibiliter ignorante (ex hypotheſi quòd modicum ad tempus talis homo dari poſſit) ethicè dari poſſe propugnant nonnulli. Ratio illorum prima eſt, quia per Ariſtotelem ad formale peccatum nihil plus requiritur, quàm ùt malum aliquod morale ex ratione naturali eligatur. Sic enim ait 5. Ethic. c. 9. de injuſtitia, *quando quis ex electione lædit, tunc eſt malitia.* Et S. Thomas q. 71. à Theologis conſideratur peccatum præcipuè, ſecundùm quod eſt offenſa erga DEUM; à Philoſopho autem morali, ſecundùm quod contrariatur rationi. Ratio 2da: dari poteſt bonum formale morale Philoſophicum, & hoc, quia diſconvenit cum pura natura, præſcindendo ab ulla lege obligante, vel etiamſi hæc non daretur. Alii verò negant. Eò quòd non poſſit dari peccatum, quin hoc ipſo ſaltèm implicitè, & ſub conceptu convertibili agnoſcatur Deus. Nam ſi cognoſcitur actus illicitus, talis eſt propter legem prohibentis Superioris, qui certè ipſa natura rationalis non eſt, utpote obligabilis, conſequenter ſolus Deus. Quamquam etiam primæ ſententiæ Patroni judicent peccatum illud dici debere potiùs puram dedecen-

tiam rei, v. g. mendacii, quàm quòd ſit obligatio ſtricta vitandi: præſertim cùm minùs requiratur ad malum, quàm ad bonum.

Ad ſecundum ℞. cum D. Thoma, & plerisque, non poſſe dari actum indifferentem, id eſt: qui neque ſit malus, neque bonus. Ratio 1ma eſt: quia omnis actus hominis fieri debet propter finem, ſeu rationem aliquam per Ariſtotelem l. 3. Eth. c. 4. cùm autem actus ſpecificetur ab objecto & fine, juxta illud: *quidquid agant homines, intentio judicat omnes*: & finis nullus ſit moraliter neuter, quia vel convenit rationi? & tunc eſt bonus; vel non convenit? & tunc eſt malus; conſequenter nulla actio erit indifferens 2. Eth. c. 3. Ratio 2da eſt: quia vel actus v. g. luſus fit ex nullo fine? vel propter finem ultimum Deum? vel ob delectationem ſolam, utilitatem, &c. Si primum, tunc eſt otioſus, conſequenter malus ex illo Matth. 12. rationem reddituros *de omni verbo otioſo*. Nam otioſum per S. Thomam eſt, *quod intentione debitæ rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut piæ utilitatis caret*. Si fit ob ultimum finem, eſt actus bonus. Si ob delectationem ſolam, eſt moraliter malus, quia medium ponitur locò finis, ùt habet Auguſtinus: *omnis malitia uti fruendis, & frui utendis*.

Nota bene tamen *per accidens* poſſe dari actum indifferentem, vel defectu advertentiæ, vel quòd bona fide putetur actus eſſe indifferens, vel ob ignorantiam invincibilem operandi propter finem naturalem Deo ſubordinatum, vel propter Deum. Quamvis autem ad hoc, ut actus moraliter malus ſit, non requiratur, ut operer propter ipſam malitiam, ſed ſatìs eſt, ut advertatur malitia legi contraria; *malum enim ex quolibet defectu*: bonus tamen formaliter actus, & meritorius non eſt, nisì fiat ob finem honeſtum, ſaltèm virtualiter intentum. Ariſtoteles 2. Eth. c. 4. Non enim meretur laudari, qui ex ſola naturæ inclinatione manſuetus v. g. eſt, hoc enim habet etiam irrationale, v. g. turtur, ovis, &c.

Ariſtoteles dicens, *non omnia* eſſe *prava, aut ſtudioſa* (id eſt honeſta) *ſed eſſe aliquid eorum medium*; intelligit ex objecti ſpecie abſtracta à fine, ſic enim nec eſt bona, nec mala ſpecies. Sicut lignum ex ſe nec eſt ma-

gnum,

gnum, vel parvum, durum vel molle, & tamen in individuo omne eſt durum, aut molle, parvum aut magnum.

QUÆSTIO ETHICA.

Uter aptior fortunæ ludus, Nobilis, an Ignobilis?

PRO NOBILI.

ADverſis ferendis nec vires, nec moles corporis incondita tantùm, quantùm rebus humanis major anima confert. Hæc nobilem obtinet. Palladium magnarum mentium nobilis ferè eſt anima. Ut vulnus altius, majoríſque periculi, quod mentem, non itèm corpus ferit; ſic certior ſemper laurea eſt menti, cui dos natalis, ſub jugum mittere ſpiritus, & affectus. Minora ſunt, quæ vulgus pavet, ac, ut Nobilem feriant. Magno natus ſanguine, non niſì magnis æmulus. Trahitur cum ſanguine virtus, vectigalis locò cos eſt procella. Cælum ſedibus, terra ſuis convulſa cardinibus palæſtram ſtatuat; ſors, livor, orci furiæ unum in caput paciſcantur fædera: Nobile ſit, impavidum ferient ruinæ. Quin pulchrum Samſonis exemplo cenſebit omnibus congredi, hoc uno nomine triumpho dignior, quia tot ac tantis æmulos, imò Suppar. Novit Nautarum dexteritas, contortis rudentibus adverſis quoque Typhonibus medias inter procellas provehere carbaſa, ut obſequium fiat arte, quod natura ponit obſtaculum. Artem an compenſet, an ſuperet natura in nobili, anceps eſto. Pharus illi luctantes inter tempeſtates ac fulmina vox una: *Nobilis es.* Pavere neſcit, quem naſcendi conditio ſuper vulgus conſtituit. Quaſi verò adverſis major ſit anima, quòd humiles ſuper myricas lauro æmula caput nubibus inferat. Tributaria nobili ſunt magnanimitati ſtipendia, mortes, faces, diſcrimina. Fulmina faces illi ſunt gloriæ, quibus orbi clareſcat nomen. Ut quondam Cæſari Ponti furiæ, cùm nautæ trementi animos adderet; *Quid times? Cæſarem vehis.* Adeò vigor excelſus & indoles ſtirpem ferè conſequitur. Tremant ad minas turbinis, ad procellarum umbras imbelles, ſors alia nobilis, Fortes námque creantur forti-

 bus.

bus. Acriores nunquam ſcintillas vomit adamas, ac dum incudem patitur; glorioſiôr nunquam fax, ac dum nube Cœlum inducitur. Pudet Majorum gloriæ labem inurere: quin acrior ſtimulus eſt, facinorum gloriâ & ſuperare. At quando tam glorioſi arena triumphi, ac gloriæ? nisì cùm ſortis, æmulantûm, lividorum ſatellitium nobilem ſtipat. Quo quia cingitur roſa, ùt nube ſol, flores inter ac ſidera obtinent Magiſtratum.

Pro Ignobili.

Apage Nobilitatem, dum ſepoſito gratiarum lenocinio ignes Bellona loquitur, & ſors procellas. Non bene conveniunt, nec in uno corde morantur lacte charitum paſci, & fulmina ferre. Jovis alite vecti Ganimedes, ſinu ejusdem enutriti, quid in aſperis audeant? Actum egeris, ut quis heroëm induat, cui inter ſtivam, ac clypeos cunarum locò primùm recipi, & educari non conſtitutum eſt cœlitus. Prima virtutem cunabula, ùt leonem unguis & format, & indicat. Non troſſulis, ſed Herculeis lacertis gaudium eſt cum fortuna luctari. Hæc cos virtutis maſculæ minoris ferè ſortis nobilitat genios. Quaſi verò nobili ſanguis ſuffecerit, aliis hac forti magnanimitate animus ſit roborandus. Amplior communi hominum ſorti audendi copia, quia amplior eſt, & ferendi. Næ tu mihi palæſtritam Herculem dederis, qui deliciis ad nauſeam ab ovo, ùt loquimur, farciatur. Stadium præbe, quo deſiderentur commoda, & genio indulgendi facultas. Hæc ſorti domeſtica eſt minori, quam nobilis habeat nullus; qui porrò & quærat, rarus eſt. Quamquam nec id ſanguinis, aut proſapiæ privilegium eſt cœlitus, tutum eſſe à fulmine ſortis, vel eò duntaxat, quòd quiſque eorum homo gignatur. Sit quantumvis ſupra ſortem vulgi. extra aleam & tela fortunæ eſt nemo. Ferire, aut nocere ſoli quamquam nequeant catuli, allatrare tamen conceditur. Quò altior quiſque, eò caſui, ùt turbinibus propior. Summa petit livor, perflant altiſſima venti, Vatidicum firmat effatum. Onera comitantur honorem ùt plurimùm, neque faſtidia aut potiora numero, aut graviora ponde-

ponderc, ac in faſtigiis; quaſi verò non jam tiaris ac ſceptris; ſed & mortalium cuique Fenellæ pomum in patrimonium cedere oportuerit. Sint adverſa nobilitati juxtà atque mirificis communia, non communis tamen omnibus animus. Certiori longè telo impetitur ignobilis, ut certior in victimam deſtinatur. Anne tamen vel eò certior ejusdem caſus? Imò verò fortior cum Antæo conſurgit, quia Matri vicinior. Magnas trahunt ruinas ingentia pondera: quod humi natum, caſum non metuit; & vel eò fortius, quod debita conditioni ſuæ cenſeat vulnera, quibus ſors bacchatur, inſultat, triumphat. Rudior eſt concha unione, quem ſinu concludit, aceto ipſo rigidior, quia tempeſtatibus adolevit. Sic, ut ignobilis ſit naſcendi conditio, nobilitatem mens ſuperat, quia duris innutrita; eo ſibi plaudens, è mente Romani pugilis: Serpens, ſitis, ardor, arenæ, dulcia virtuti: gaudet patientia duris. Quæ nobiles vires proterunt pondera, delectant Milonem, quia gloria eſt Crotoniatæ, non niſi arduis adoleviſſe. Venenum ipſum in alimenta naturæ tranſivit Mithridati, & aliis, quia primo cum lacte aſſuetis. Quid igitur inſolenti fortunæ ludo titubet? qui, quid ejusdem ſint blanditiæ, felici ſortis infelicitate ignorat. Intercluditur reſpirium nimis alta petentibus, aëri nempe ſpiſſiori natura aſſvevit. Dum piſcis recentioribus innutritus fontibus, perit in ſtagni uligine. Sic deliciis aſſueta mens nobilis acerbitati ſortis ſuccumbit, cui tanquam ſibi temperato aëri alacris adhæret ignobilis, imò etiam deliciatur.



QUÆ-

QUÆSTIO II.
De Virtutibus.

§. I.
Quid Virtus in genere?



Certa mori potiùs, quàm labem ferre, Magiſtra
Sit muſtela animi, quisquis es, uſque tui.
Dum nive frons candet, niteat nive mens quoque: nè, qui
Albicat exteriùs, nigricet interiùs.

DOCTRINA ETHICA.

ETſi communiter dicamus actum bonum, ſicut *vitium* dicimus actum malum. Utrumque tamen meliùs per Ariſtotelem pro habitu ſumitur. Habitus virtutis autem ex Philoſopho eſt 1. Rhet. c. 4. *per quem homo redditur bonus, ut efficiat actum bonum.* Habitus triplex eſt, *naturalis*, vel habilitas recta utendi ſuis membris, ſanitas, &c. *Acquiſitus*, qui per actus acquiritur, ſic fabricando faber fies. *Infuſus* à Deo, ùt fides, ſpes, charitas animæ infuſa. Licèt natura in malum prona per virtutem vinci poſſit, vel per aſtutiam ſimu-

simulari, exstirpari tamen vix potest. Universim tamen boni, & mali habitus intenduntur actibus similibus, contrariis actibus minuuntur.

Quamvis virtus in genere sit duplex; altera, quæ intellectum perficit, & *intellectualis* dicitur, altera, quæ voluntatem ornat, & *moralis* dicitur; homo tamen is solùm dicitur sapiens, virtutis cultor, qui utramque complectitur. Virtus intellectualis est quintuplex. *Intelligentia*, cognoscit principia lumine naturæ nota, v. g. *totum est majus sua parte.* 2da *scientia* cognoscit res evidenter. Opinio enim formidat. Fides est obscura. 3tia *Sapientia* contemplatur altissima, v. g. Divina. 4ta *Ars* est habitus mentis cum recta ratione effectivus. Ità Arist. 6. Eth. c. 4. 5ta *Prudentia*, regula actionum bonarum, & malarum, ut homo agat, in quantum homo est, hæc tamen virtus est potiùs moralis.

Dividitur ab Aristotele l. 7. Eth. c. 1. Virtus in *semivirtutem*, seu *continentiam*, quæ est, dum malum cognosco, ex vehementia tamen passionis illud communiter committo, & hoc habent incipientes; *video*, ajunt, *meliora, probóque, deteriora sequor.* 2dò in *virtutem*, quæ licèt aliquando tentetur, vincit tamen appetitum; & hæc est proficientium in bono. 3tiò in *heroicam*, seu *Divinam*, quæ quia hominem appetitu suo ità superiorem facit, ut quasi major homine liber sit à tentatione, perfectorum tantùm est, & dicitur *Divina.* Semi-virtuti opponitur *continentia:* virtuti *vitium:* heroicæ adversatur *feritas:* quæ hominem feris similem facit, cùm agat omnia secundùm brutalem appetitum naturæ solius.

Virtutes *Cardinales* sunt cardo honestatis. Theologicæ versantes circa Deum, tres; *Fides*, *Spes*, *Charitas.* Credunt enim, sperant, amant Deum propter Deum. Cardinales sunt: *Justitia*, *Prudentia*, *Temperantia*, *Fortitudo.* Ad has reducuntur omnes aliæ virtutes. Harum omnium præstantia consistit in mediocritate per Arist. 6. Eth. c. 3. Quæ in eo sita est, ut habita ratione statûs, ætatis, &c. omniúmque circumstantiarum neque per excessum, neque per defectum pecces, id est, neque agas nimium, neque nimis parum. Non tamen intellige me-

dium

dium hoc esse medium *rei*, seu arithmeticum, sed sufficit medium *rationis*, seu geometricum, & convenientiæ. Excipio virtutes intellectuales, in quibus nunquam possumus peccare per excessum, aliàs excellens Dei amator, vel artifex ideo esset vitiosus, quia est excellens.

QUÆSTIO ETHICA.

Utrum major virtus, cedere invidiæ, an palàm cum eadem luctari?

PRO LUCTA.

PAcem elementis antè, quàm virtuti, & invidiæ dederis. Virtutis semper comes invidia. Quasi verò inevitabile sit pendendum pro foribus theatri virtutis & honoris tributum, censura linguarum. Nullus quondam honoris ad Sacraria aditus, nisì per culmen virtutis; par animi sors virtutem colentis, & livoris. Ignavum agat Mytecum, aut Codri sibi scruta deposcat, ingloria sago & togâ cucurbita jaceat, qui Theonem cupit evadere. Otiosæ duntaxat calamitatis, & socordiæ privilegium est carere viperino æmulantûm sale. Pascitur namque in vivis livor, ùt aranea flore. Sublata oculis virtute jacet enervis sinè sanguine tumens, eo solo felix, quòd se depastus: dum debita virtutem sequitur gloria, & vetus illud, quod jacenti Colosso Rhodio datum: *visus, cùm staret, minor*. Quodsi verò tanta sit vitio temeritas ad iniquè audendum, cur virtuti non sit ad triumphandum pro debito juxtà ac merito? Cedit insultans protervia, cùm virum sentit. Debile est vitium, alieno tantùm potens timore; scintillæ in morem, quæ si spernatur, adolescit in flammas. Fortunatas si cupias Insulas, vela pande, adversa licèt sint ventorum murmura. Timor, dum animum tuum coquit, gloriæ apicem sin eripiat, tardabit ad minùs. Solem æmulare, aperta fronte nubes rumpentem, & noctes. Fatuus ignis invidia est, quantum cesseris, crescit; quantum contempseris, & contranixus fueris, ringitur, & suffocatur. Scopulus esto, irruentem suo, non tuo damno rumpas. Hæc, sapiente teste, lex una est ju-

stitiæ,

ſtitiæ, ut nulli quis noceat, nisi injuriâ laceſſitus. Cos ferrô duriùs ſaxum attere, cùm ab eodem impeteris. Nè tibi ipſi injurius puriorem pectore flammam comprimens, & orbem exemplo deſtituas, & diſſimulatione multa contortos ſpiritus in phlegma detorqueas. Cautela nimia in terrorem, atque adeò virtus ſæpe in vitium degenerat. Sed & jocus eſt æmulis elinguis virtus; dum nemo non tentat rodere, à quo vicem dentis non metuit. Virtutis metu ſuum metitur robur livor, & inſoleſcit victoriâ, non jam occultè, ſed luce palàm audens proterere ſub vulnere trepidantem.

Cedendum.

PEriculi plena res, invidiæ palàm congredi. Cede, faciliùs, imò & feliciùs viceris. Acrior cietur tempeſtas, dum nubila diſſipantur, quia aggeratis viribus regrediuntur. In te liventes armas, & quibus hactenus fortunæ favor ignotus fuerat, in te concitas, ut crabrones hoſti fœdera paciſcantur. Quæ temeritas, oro, ruere in apertum hoſtem, ciere tibi ipſi exitium? ſic apes ſe perdere volunt, cùm tentant laceſſere. Regula princeps Belliducum: *nè quid nimis audacter.* Animus non deſit, virtus ſtratagemate vincat ſæpius; conſiliô fortior, quàm vi. Tranquilla ferè germana eſt virtus, gaudet victoriâ, quam natale extorquet meritum, non cruentus gladius Caſtrioti. Pax virtutem, vis furorem ſtipat ſatelles. Jovis aquila tela torquet in æmulos, ſtruthio eadem concoquit. Grandia fortem decent. Abſit, urticam æmulari velit, quisquis fortis nomen ſibi depoſcit, dum tangitur, lædere, & ferire gaudens. Stratagema plenum ingenii habe: cede tantiſper, etiam impari; laurum referes, dum herbam porrexiſſe crederis. Quod ſol Cælo, virtus mortalibus eſt; ſenſim rumpit nebulam, dum plenum ſpargat meridiem. Signat in horologio horas & tempora, non officit umbra; ſignat virtutem invidia, & ùt horologium, ſic virtus regit exemplô. Nunquam qui jacet, æmulum patitur. Certior magnitudinis nulla eſt teſſera, quàm trophæum livoris. Ut certior nulla imbecillis eſt oculi, quàm, ſi quem ſolis aſſurgentis feriat radius. Tortor ipſe ſui eſt livor.

Ut

Ut Ætna æstus vomens seipsam depascit. Portatilem in se ipso super tauros Phalaridis, & vulturem Titii orcum circumfert. Ignis ille solus tormento est liventi, qui alios Solis instar reddit illustres, vespertilionis aciem ferit. Ferendi sunt canes, ait Romanus Sapiens, non pro feritate, sed pro consuetudine allatrantes. Faciunt, non quòd furant, aut noceant, sed quia solent. Sperne; virtutis gloria est laneo cum Diis ulcisci pede.

§. II.

Quid Prudentia?



Si videas sociam scopulis hæsisse carinam
Tum Palinure tuæ carbasa flecte ratis.
Verte citò proram, cave saxa latentia: damnis
Qui sapit alterius, non perit ille suis.

DOCTRINA ETHICA.

PRudentia Augustino *rerum fugiendarum, & expetendarum scientia,* fine constituto media quærit, quídque agendum, vel omittendum decernit, Philosophus 6. Eth. c. 5. Ad prudentiæ integritatem per Ethicos cum D. Thoma, communi sensu requi-

requiritur *intellectus*, seu vis intelligendi prima principia per se nota. 2dò *ratio*, seu rationis præstantia in æstimandis rebus juxta pretium illarum ad finem ultimum. 3tiò *memoria*, quæ est notitia experimentorum & exemplorum. Hæc cùm requirant tempus, juvenes prudentes ex Aristotele 6. Eth. c. 8. esse non possunt. Suppleri tamen potest memoriâ præteritorum, & exemplorum notitiâ, lectione historicâ. 4tò *solertia*, est promptitudo expediendi res, maximè in repentinis casibus, & acumen ex levissimis indiciis rei connexionem advertendi; qui hoc acumen habent, dicuntur habere *Critirion* naturale bonum, seu *synesim*. 5tò *Docilitas*, est sollicita applicatio mentis ad hoc, ut doceri velit: optimum enim, & tutissimum alienis malis discere. 6tò *Cautela*, seu cura removendi incommoda, & impedimenta. 7mò *Circumspectio*, seu cura admovendi media, & quidem meliora ad finem; hanc qui habent, *sensati* dicuntur. 8vò *Providentia*, quasi futurorum prævisio, prospicit casus, qui evenire possent, quod difficillimum est, ob voluntatis, & circumstantiarum omnium mutabilitatem.

Prudentia ab Arist. l. 6. Eth. c. 3. triplex dicitur: *Personalis*, seu privata cujusvis. *Oeconomica*, seu familiæ. *Politica*, seu publica, ad quam refertur militaris. Id universim bene nota, nullam esse virtutem moralem, quæ non reguletur à prudentia, id est à judicio practico prudenti, & vero, quod nobis dictet hunc actum esse tutò faciendum, seu esse honestum. Dixi *practico judicio*, quia cum Ptolomæo & Moralistis Diss. 2. §. 1. aliud est judicium *speculativè practicum*, quod suadet rem faciendam sinè respectu ad omnes circumstantias. Aliud est *practicè practicum*, quod cum respectu ad omnes circumstantias dictat actum hunc securè faciendum. Et hoc est judicium prudentiæ proprium, ùt quæ per Philosophum c. 2. *est circa particularia, & per eam singula debent cognosci.*

Calliditas, ùt Arist. c. 12. si propositum seu finis honestus sit, est laudabilis; si pravus, est versutia culpabilis. Prudentiæ dupliciter opponuntur vitia: per excessum alia, ùt 1. *Prudentia carnis*, quæ secundùm solum appetitum,

non verò secundùm rationem ducitur. 2. *Astutia*, quia invenit simulata media ad finem. 3. *Dolus* repræsentat seu dictis, factis inventa astutiæ. 4. *Fraus* ad sola facta se extendit in executione. 5. *Sollicitudo* nimia, seu anxietas de rebus non admodum necessariis.

Per defectum opponuntur 1. *Torpor*, seu *negligentia*, per quam omittitur res, quam constitui. 2. *Præcipitantia*, quæ rem sinè prævia consideratione exequitur. 3. *Inconsideratio*, quæ circumstantias non sufficienter attendit. 4. *Inconstantia*, quæ iustar arundinis vento agitatæ facillimè à proposito deflectit.

QUÆSTIO ETHICA.

Utrum majus documentum Prudentiæ, verba, an facta?

PRO VERBIS.

UT Gallicanus Hercules, sic sapiens ac providus tripode digna loquitur semper. Verborum vicem oracula subeunt Delphica. Mentis index sapienti lingua est. Mensurâ hâc rectissimè animum dimetiêre. *Loquere Juvenis, ut te noscam*, jactabat Græcia. Providentiæ ancile princeps est: loqui congrua, dum, & quando. Philosophos mansuros plures crederet vulgus, si tacuisse nossent. Intempestiva vox heu quot Catastrophen fons? Quis fortior ad Granicum amnem Clito? quis eodem sibi nocentior? ruinam vox una fundavit. Leonem unguis, providam, & sapientem, & manum, & animam lingua signat. Procul Dodonæa æra, aut crepitacula Archytæ, quæ quia sonant plurimùm, parum aut nihil docent. Animi idæam cupis? linguam consule. Quod hic loquitur, sacrario tenetur. Limam ter subeant sensa, linguam vixdum semel. Cauti providentiæ gressus si sint, rarescunt: sic verba non præpropera sint, non abundent. Quidquid redundat, ipsâ sui copiâ improvidum. Ferè enim vix pretiosum est, quod abundat, vel eò, quòd obvium cuique. Samsone gloriosior nemo, dum Philistæos elideret, leonem protereret, fundamenta convelleret. Quanta hæc decora!

cora! at eodem infelicior nemo, pretio linguæ malè consultæ. En sacra. Constantino inter vetera, Alphonso Arragonum inter extera, Ferdinando, & Leopoldo Salomonibus Germaniæ inter domestica quid illustrius? Magna nomina, dum exercitus ducerent, fundarent acies, fœdera cuderent: at majora longè, cum Diis æmuli è solio jam in æmulos fulmina terrori, jam oracula funderent Majestati. Quid plura? nulli Eccho *Providi* nomen replicabit, cui non verba magìs, quàm facta calculum adjecerint.


PRO FACTIS.

Mira res, aucupari verba, dum facta vocis pondere non carent. Sileat lingua, loquantur facta, *Providi* nomen comparabunt. Si Platoni fides sit, providentia agendi est cynosura, vivendi regula. Fundum Argo-navium obtinent Navarchi silentes, Geographica metiuntur stadia, & silentio suo providentissimè cursum suum dirigunt. Taceat quamvis lingua, resonant in orbe præconia, dum quoties factum nobile est, Eccho reddit: *ipse fecit.* Sub rosa latere gaudent optima quæque, tam diu tractabilia, dum latent cum corallio in undis: dum è contra flumina, quia exili se fundunt alveo, garrulitate se produnt, & spectantes de littore saxum, aut scyllam, terrent. Digniùs longè citra verborum sementem agere grandia, quibus cúm æmulorum provocatur invidia, silentio agente prodigia, historiæ meritum fundatur. Lateat quantumvis auditu, omnium tamen oculi in ejus gesta figuntur, quantùm ignotus publico, tantùm ab eodem factis cantantibus adoratus. Sed & illud sapientibus tritum: actum agi vel illiade verborum, ubi facta momentum rei non addunt. Lacones sermone voluit Sparta, Heroës agendo grandia. Agunt hæc, qui secum plurima, cum aliis minimúm. Neque errori aut simulationi sic obnoxia sunt opera, ac ferè sunt verba. Pretium suum sit provido, etsi taceat, oportet. Ut jure Pythagoras Philosophos (quorum providentia dos est præcipua) formaturus, septennium silentii præceperit, meditationem videlicet agendorum. Rectè meâ quidem sententiâ. Providentia enim non tantùm linguæ,

quantùm actuum est Magistra. Cymbala sonantia, quia à sonitu pretium mutuantur omne, si taceant, carere pretio jure dixeris. Quare? quia quod de Luscinia ille: *vox sunt, prætereáque nihil.* Aliter actorum pretium, quod etsi taceat lingua, ipsis supereminet astris. Verba, ùt momento auras feriunt, sic facili cuivis stare videntur. Facta & antequam fiant, difficultatis; & dum fiunt, æmulorum; & postquam facta sunt, censuræ plurimúm pati necesse est. Calculum si omnium tulerint, hic vir enimverò dicendus. Mempe fumus quidam sunt verba, icon facta. Signat ille flammam, sed vanescit: refert hæc prototypon, sed æternitati. Quantò majus satisfacere ævo, quàm tempori: tantò sanè prudentius.

§. III.

Quid Justitia universim? quò refertur Pietas in DEUM, & Parentes?



Spéque, metúque procul; meritis, fac, munera pensa?
 Si tibi Justitiæ est: si pietatis amor;
Grata puer nuper fueras qui Sarcina Patri,
 Pòst tibi sit vetulus sarcina grata parens.

Do-

DOCTRINA ETHICA.

JUstitia à variis variè, ab Ariſtotele nomine juſtitiæ univerſalis pro omnibus virtutibus, quæ ſunt *ad alium*, ſumpta: hîc cum eodem Ariſtotele ſumitur pro virtute, quæ aliquem perficit ad alterum, ut illi jus, ſeu debitum ipſius ad æqualitatem tribuat, ità, ut ſit *pars Juſtitiæ untverſalis*, ſeu juſtitiæ rigorosè talis. Nam eùm, Platone teſte, *Meum*, & *tuum* in Republica eſſe debeat; quivis habet jus in rem; de qua cum veritate poteſtatis à DEO ſibi conceſſæ dicere poteſt: *hoc eſt meum.* Et hoc jus eſt objectum immediatum juſtitiæ, violatio autem juris hujus dicitur *injuria.*

Jus & *æquum* licèt Ariſtoteles hìc idem eſſe dicat, dei de tamen aliquomodo diſtinguit ſic: quòd æquitas ſit inſtar regulæ lesbiæ ſe ad omnem lapidis figuram aptantis, ſeu quòd leges mitiùs interpretetur. Cùm lex omnes circumſtantias, & caſus poſſibiles prævidere non poſſit, conſequenter exceptiones debitas nequeat facere. *Jus* verò pergit ſtrictè ſecundùm legem, & ideo æquitas fundata in regula naturali legem ipſam quaſi dirigit, & moderatur.

Æqualitas alia eſt *proportionis Arithmeticæ*, dum v. g. reddo centum, pro centum florenis; quæ etiam eſt *æqualitas quantitatum. Æqualitas proportionis Geometricæ* eſt, dum habeo reſpectum circumſtantiæ, perſonæ, meriti, &c. v. g. Cæſar largitur virtuti & fidei militis 10: ergo debet fidei, & virtuti Ducis 1000. Et ideo dicitur ſimpliciter *æqualitas proportionum*, v. g. ſicut ſe habent 4. ad 8. ità ſe habent 2. ad 4. ſcilicet, quòd utrumque ſit alterius dimidium.

Particularis juſtitia alia eſt *Commutativa*, quæ eſt inter privatos invicem conſideratos: & fit emptione, contractibus, dum alteri ad æqualitatem Arithmeticam datur res tantum valens, quanti valoris rem ille dedit; & ideo ut res diverſi valoris ad æqualitatem reduci poſſint, cenſet Ariſtoteles inventum pecuniæ uſum Eth. 5. c. 8. Alia eſt *diſtributiva*, quæ eſt in diſtributione bonorum Reipublicæ, & Communitatis, v. g. dignitatum, pecuniæ, &c. pro

diverſitate meritorum, perſonarum, &c. & hæc fit tantùm cum æqualitate geometricæ proportionis. Tertia eſt *Legalis*, quam habent privati erga ſuperiores.

Diſtributiva ſubdividitur in *remunerativam*, & *vindicativam*; illa præmiat merentes; hæc reos plectit. Nemo enim privatus privatum aut præmiat, aut punit. Neque ſufficit juxta Pythagoram tantùm pœna talionis, id eſt, par pari reddere, v. g. ſi alapa viro nobili à ruſtico alapâ viciſſim vindicaretur illata. Plus enim eſt hìc ad debitam æqualitatem neceſſarium. Plures ſunt actus juſtitiæ: 1mò: *Reſtitutio*, quæ rem ablatam reſtituit, & damnum compenſat, ſicut ſatisfactio reddit honorem per injuriam læſum. 2dò *Contractus*, qui per Juris peritos dicitur liberal, & voluntaria ultrò, citróque obligatio, re, ſcripto, vel verbô expreſſa. Conſenſus tamen neceſſarius eſt ſemper, ut quis obligetur in conſcientia. De multiplicitate contractuum vide Juris peritos. 3tiò *Judicium intellectûs*, quod dicitur Ariſtoteli 6. Eth. c. 3. annutus, vel abnutus ab objecto.

Judicium juridicum eſt ſententia Judicis, quæ decernit aliquid juxta allata argumenta, & teſtimonia. An Judex damnare poſſit, quem privatâ ſcientiâ ſcit innocentem, palàm tamen probatur reus? quæſtio celebris eſt. Probabilior ſententia negat damnari poſſe. Sed potiùs, ſi aliter fieri nequeat, officium à Judice deponi debere. Eò quòd juſtitia, quæ reperta eſt civium tutelæ, eisdem *per ſe* nocere nunquam debeat. Si dirigantur tormenta in obſidionibus ad partes urbis, ubi multi probabiliter ſunt innocentes, per accidens ſequitur eorum occiſio.

Juſtitiæ adverſatur injuſtitia, quæ, ſicut jus multiplex eſt, ità multiplici injuria committitur adversùs bona corporis, fortunæ, honoris. Niſì, ùt ait Ariſtoteles c. 9. quis juri ſuo cedat, & libertatem det alteri (ex ſuppoſitione, quòd juridicè, id eſt, per leges alteri cedere poſſit) aliàs enim non valet illud principium: *ſcienti, & volenti non fit injuria.* Ut porrò injuria committatur ab aliquo, neceſſarium eſt, ut ſciens is, & volens faciat actum injurioſum alteri nolenti. Si enim coactus, neſcius, vel non ſatìs advertens faciat, per accidens tantùm erit injuſtitia,

cùm

cùm ob talem actum non plenè, vel prorſus non liberum nemo jure poſſit culpari. 2dò dicitur *alteri nolenti;* ſecus enim poterit quis facere rem injuſtam in ſe, ſed non erit alteri injuria. Hinc etiam ſibi nemo poteſt facere injuriam. Quia ſi ſibi faciat rem injuſtam, vel facit ſciens, vel non ſciens? ſi ſciens, non facit nolenti. Si neſciens, itidem non eſt injuria, cùm hæc debeat eſſe à ſciente.

Juſtitia ſuum jus primùm tribuit DEO per religionem, quâ DEO ſummo rerum Domino, & principio cultus debitus tribuitur, idque non immediatè propter ipſum Deum formaliter (quia hoc ſolæ faciunt Theologicæ virtutes) ſed propter honeſtatem ipſius actûs. Actus religionis ſunt varii: Interni ſunt *devotio*, & *oratio*. Externi ſunt *adoratio*, *Sacrificium*, *juramentum*, *votum*, *&c.* Hæc religio in omnibus. ſapientiâ comite, ſic credit, ut quamvis altiſſima quæque myſteria intueatur, intellectum captivando in obſequium fidei, nihil tamen credat rectæ rationi diſſonum; quod tamen omnes ſectæ, & hæreſes habent, quæ, ùt habet Auguſtinus hom. 147. de temp. *quod ſolent videre, credunt; quod non vident, non credunt.* Illud univerſim certum, quod Plato l. 1. de legibus: *Omnis humanæ neceſſitatis* (pacis intellige) *fundamentum convelli, qui religionem tollit.* Vide ergo, ut hæreſes à contrario cauſa bellorum ſint.

Religioni adverſatur *ſuperſtitio*, dum cultus DEO debitus idolis tribuitur, vel DEUS modô non debitô colitur. Hujus rationis ſunt divinationes, obſervationes vanæ, incantationes, &c. pacta omnia dæmonis, expreſſa, vel occulta. 2dò. Adverſatur *irreligioſitas*, quæ committitur ſacrilegiô, perjuriô, &c. DEUM, vel ſacram rem inhonorando.

DEUM ſequuntur Parentes, poſt illum vitæ noſtræ authores; his tribuit juſtitia *pietatem*, utì & Patriæ, nativitatis loco. Parentes DEO æquat Ariſtoteles 8. Eth. c. 14. dicens: ſicut DEO immortali nunquam ſatìs pii & grati eſſe poſſumus, ità nunquam gratiam ſufficientem nos reddere poſſe parentibus. Huic adverſatur proditio Patriæ, & Parentum, contemptus, &c.

Parentibus, utì & Majoribus in nos poteſtatem habentibus jubet Juſtitia præſtari *obedientiam*, exequendo eorum mandata. Viris genere, doctrinâ, probitate, vel ætate illuſtribus *obſervantiam*, ſeu vivis, ſeu mortuis inter ſanctos degentibus; ſi enim vivos colere oportuit, cur nefas ſit mortuos? Benefactoribus imperat reddi *gratitudinem*, obſtinatione, & memoriâ beneficii, laude benefactoris, cùm oportet, mutui operis exhibitione, ídque eò ampliùs, quò communiùs ferè hominibus eſſe conſuevit, mala nobis irrogata marmori, bona contrà exhibita aquis inſcribere: id eſt, illorum meminiſſe implicabiliter, horum è contrà oblivîſci quàm primùm. Et licèt benefactores non ſint mercatores cenſendi, ùt qui beneficia ſua vendere velint, pro mutuis obſequiis; néque juxta Senecæ mentem: *actio in ingratum dari poſſit*, nihil tamen indignius homine, & feris ipſis deterius eſt *ingratitudine*, præſertim cùm meminiſſe officii nullô conſtet impendiô.

Omnibus denique vult Juſtitia tribui *fidem integram*, ſervandam in pactis implendis, etiamſi cum hoſtibus inita ſint; erga quos licèt calliditas bellica ſit licita, promiſſa tamen ſervanda ſunt, v. g. induciarum ad certum tempus prorogatio, indemnitas perſonarum certarum, &c. donec illa conſcientiæ, aut juri communi adverſentur. Ad hanc reducitur *veracitas*, ſeu concordia vocis & mentis. Cui, viro omni indignum, imò ut cum Ariſtotele 4. Eth. c. 7. dicam: ſummè perniciosum, & vituperatione dignum *mendacium* opponitur. Hujus ſpecies Ariſtoteles numerat *Jactantiam*, ſeu *arrogantiam*, dum quis ſe ipſum extollit: *ſimulationem*, & *hypocriſin*, dum quis ſe deprimit nimiùm, cum Socrate affirmante *ſe nihil ſcire*, & in hac ſimulatione ùt plurimùm tacita latet arrogantia, vel ideo maximè nociva, quia latens.

2dò debetur omnibus *affabilitas*, ſeu *comitas* colloquii citra adulationis & moroſitatis ſubreptionem. 3tiò *Urbanitas* apta, ſeu Eutrapelia, dextra in ſalibus, & jocis tempori & loco accommodis. Per quam eruditus à ſtolido, ingenuus à ſervili maximè differt. Sic tamen joci amandi, ut ſcurrilitas, ſeu loquendi audacia; cavillatio, ſeu convitia, atque ruſticitas fugiantur.

QUÆ-

QUÆSTIO ETHICA.

An gratia vultûs, & morum, muniis digniorem reddat?

AFFIRMATUR.

SI quæ orbis commodo ſuo vidit, aut periclitatus compendia, hæc Phyſiognomorum fuêre. Amœna corpora (horum cum Lucretio erat regula;) mens amœna inhabitat. Laboribus quondam, favoribus hodie, ſi non Dii, venalia certè habet omnia mundus. Rapiunt hos ſibi Placentini. Rarus publico prodeſt dotibus, nisì ſublevet favor. Deſint merita, adſit forma, & comes gratia, virtus in terris creatrix, quæ ex nihilo poteſt omnia, aderunt omnia. Virtus ipſa ſinè forma & favore ingrata eſt, ſcelus contrà ipſum jam placet, cùm perſona placet. Orationem aptiſſimam cenſet Eloquentia, quæ tametſi careat nervo, lenocinio gloriatur; quaſi verò vel invitas in obſequium cogat voluntates, atque adeò omne tulerit punctum. Bravio dignior nemo, quàm pro quo liberalior donis ſuis perorat natura. Tanta eſt virtutem inter, atque adeò meritum inter, & formam communio. Quo enim pacto injuria ſit, aut eſſe poſſit gratia ei, cui natura pretium longè maximum contulit, non alio ſanè munere, quàm ut rapiat, dum delectat. Munera, & munia gratiæ ſunt, aut Principum, aut Senatûs; melior porro arctiórque nulla communio, ac Gratiarum; rectè igitur gratias gratiis vultùs & morum, vectigal pendiſti, non præmium contuliſti. Provida rerum parens natura, ùt prodiga eſt minimè, nîl ſinè fine operans, ità quos ditat, ditari ampliùs cupit. Hamum præbet, quo nectat, dum operæ pretium ferat. Aurum nisì fulgeat, argentum nisì niteat, metallis cæteris non eminebit. Forma moralem utrique contulit dignitatem. Sol chorum ſiderum ducit, Luna nocti imperat, carebit uterque imperio, ſi ille fulgore, hæc candore, auro, & argento æmula eſſe deſierint. Nempe eſt formæ ſuadendi maxima vis, & perſuadendi. Rumpuntur obſtacula, conatus improbi è ſenten-

tia mellei fiunt, cedunt è veſtigio conſilia omnia, dum blandum amorum faſcinum pondus addit petenti.

Negatur.

QUid ità? purpuriſſus ſit aut meritum, aut gradus ad faſces & purpuram? Falleris, ſi à candore vultûs candidatum ſtatuas dignitatum. Sexcentos natura belliſſimos, imbelles tamen animo, nullos judicio unà conſtituit. Rara formæ dos virtutum communio! quod Vates olim de una: *rara eſt concordia formæ, atque pudicitiæ*, quidnî facilè de omnibus dixerit? Ut liberalis, non prodiga tamen ferè eſt natura, tantum virtutis animo quærendum ſinit, quantum decoris tribuit corpori non quæſitum. Quid flore elegantius, aut picturis? quis tamen illi fructus, his in ſenatu vox? oblectant, nec famem tamen, nec pericula amoliuntur. Præſagium flos equidem eſt, ſed heu, quàm incertum! Erras, mihi crede, erras, ſi à flore fructum continuò certiſſimum concludas; pruinas, ventos, inſecta conſule, & quovis vere dictam leges veritatem firmatam. Par vitri & floris ſors, fragilitas nativa. Pentapolis poma nitore ſuo heu quam ſaniem tegunt! non oculis fallacibus, ſed animo crede de meritis judicanti. Quàm ſæpe amænior forma, Minervam pinguem, conſiliis, officiis, bellis ineptam tegit! Durus ſæpe cortex, quàm dulcem tegit nucleum? Si concham videas ſcabritie, calcabis; & tamen, quantum gerit utero pretium? Squallentes rupes gazas tenent viſceribus. Ut lacerna vilis, aut dolium, grandem Philoſophum, ſic Therſitis forma ingentes ſæpe tegit animos. Formæ damna virtutum dote cælum compenſat. Virtus non ſortis, ſed animi eſt præmium. Cur ergo quod virtutis eſt præmium, ſorti, id eſt colori cedat in prædam? Væ Reipublicæ, cui ſic conſultum! quàm ſæpe ſolem mentitur color, qui lunam omnem inconſtantiâ ſuperat? Majeſtatem, & providentiam mentis petunt munera, non gratiam.

§. IV.

§. IV.
Quid Temperantia?



Mars; labor, & morbi: pestes damnantur, & ignes,
Quòd pereant tantis plurima turba malis,
Parcite; deliciæ plures, atque otia perdunt,
Quos Bellona nequit, vina, epulæque necant.

DOCTRINA ETHICA.

TEmperantiæ virtus *corporeas voluptates moderatur, ac potissimùm eas, quæ gustu & tactu perficiuntur.* Ità Aristoteles l. 3. Eth. c. 10. Virtus homine cumprimis digna; velut quæ privatum excolit hominem, cùm reliquæ virtutes sint ad alterum. Quanquam in Juvenibus, & divitibus laudanda sit maximè, ut qui majorem intemperantiæ nacti sunt occasionem per ætatem, & circumstantias, omnem tamen sui amatorem juxta Clem. Alex. l. 2. strom. c. 11. Deo simillimum reddit. Præsertim cùm propter ingenitam homini delectabilium concupiscentiam, & aversionem tristium, habitum illius difficile sit comparare. *Verecundia, & honestas* temperantiæ partes sunt integrantes; 1ma fugit res illicitas. 2da prosequitur res, statum, ætatem, & circumstan-

cumſtantias decentes. Potentiales ſunt 4. *Continentia*, ſeu firmitas animi, quæ frænat appetitum concupiſcibilem contra appetibilia tactûs, vel guſtûs. 7. Eth. c. 4. etſi vix differat à temperantia, Ariſtoteles tamen ait *intemperantem* ex electione operari, *incontinentem* verò ſolâ perturbatione agi. 2da eſt *manſuetudo*, frænum appetitûs iraſcibilis, & dos Principum propria. In hac moderatur *clementia* pœnas infligendas. *Miſericordia* egenis compatitur, & ſublevat, ad quod ipſa natura inclinat, nè fortè cum Stoicis lenitatem hanc animi infirmitatem eſſe putes, quaſi verò prudentem, dum natura ipſa nos compati jubet, dedeceat miſereri. *Atrocitas* ſeu *crudelitas* eſt exceſſus in pœnis; *indulgentia* eſt remiſſio nimia culparum, vitium utraque. 3tia eſt *Modeſtia*, virtus componens omnia ad decorem ſtatui convenientem, nè per *faſtum* excedat, & per *abjectionem* deficiat in cultu, & ornatu corporis, familiæ, &c. 4ta eſt *ſtudioſitas*, quæ frænat innatum homini ſciendi deſiderium; quo abrepti complures in curioſitatis noxiæ ſcopulos abducti, inutilia ſibi, imò & noxia, è librorum non dicam fontibus, ſed lacunis hauſerunt. Ut ſunt illa fallendi temporis *abortiva*, & *rationis* (ùt ajunt) *ſtatûs* principia è Machiavello, quæ omnia ùt religioni, conſcientiæ, puritati adverſantur, ità igni & aquâ prohibenda. Cùm hoc uno fallendi temporis ſtudio, diſpendium fiat temporis, & æternitatis. Sed plures, Raynaudo l. ultimo de virtutibus, & experientiâ teſte repereris, qui in omni eruditionis ævi noſtri penè dixerim luxu doctrinæ, ad cætera omnia alacres, in ſolis artibus literarum torpeſcunt.

Subjectivæ partes ſunt *caſtitas*, & *ſobrietas*; 1ma vel penitus abſtinet à delectabilibus tactûs, vel certè juxta rationis, & Dei leges utitur. Conſervatur ea plurimùm conſtanti honeſtâ occupatione. Fugâ occaſionum, & ſobrietate. Sinè Cerere enim, & Baccho frigere Venerem vetus eſt adagium. *Sobrietas* potum, & cibum moderatur; *temperans enim cupit, quæ oportet; quando, & prout ratio præſcribit.* Cùm è contrà intemperans ſtatui hominis incongrua appetat, ſicut Phyloxenus gruis guttur optabat, ut delectatione cibi & potûs diutius frueretur.

Qui

Qui non multa, ſed ſingularia in cibo & potu appetit, non *intemperans* eſt Ariſtoteli, ſed *delicatus*. Culpandus meritò, ſi ultra ſtatum ſuum hæc appetat.

Temperantiæ adverſatur *intemperantia;* vitium propriè *ferinum*, tum, quòd humanam rationem dedeceat; tum quòd, nisì frænetur, ipſo ſui augmento hominem demùm reddat amentem. Unde bene Ariſtoteles: *eſt igitur voluptatum appetitio inſatiabilis, & operatio cupiditatis ſimilis amenti.* Verbô: ignis eſt, qui nunquam dicit, ſufficit. 2dò: adverſatur ei *inſenſibilitas*, Stoicis *Apathia*, ſeu *ſtupiditas* dicta, eò quòd ſtolido ſuo naturali ſtupore, nec in illis circumſtantiis loci & temporis frui velit rebus jucundis, & utilibus, quibus ſecundùm rationem oporteret, & expediret. Et quæ nullo caſu movetur velut ſtatua, ubi meritò commoveri deberet. Hinc bene dicitur à S. Thoma *ſtupor naturalis*. Sed tales albo corvo ſimillimi ſunt.

Temperantiæ regulas has habe ex Philoſopho. 1. Turpi nunquam delectare. 2. Jucundo utere ad decentiam, non velut fine ultimo, ſed naturæ indulgendo. 3. Noli triſtari, ſi tibi jucunda, licèt illa honeſta fuerint, deſint. 4. Sanitatis & vitæ tuendæ neceſſaria media, ſi delectabilia ſint, præ reliquis appete. 5. Rationi concupiſcentia pareat, ùt puer Ludi-Magiſtro. c. 12.

QUÆSTIO ETHICA.

An bellô, an intemperantiâ plures necati?

PRO BELLO.

AD Grajas olim Kalendas damnatus, qui primus mare audaci tentârit findere ſulco. Quantò penè dixerim dignior inauſpicatis his votis, qui Martis, & Bellonæ ſtudia primus orbi invexit. Quid eſt, quod crudelia hujus non ſentit fulmina? nemo tamen homine ampliùs. Unius in excidium laborant, quæ unius ſunt officiô & obſequiô condita. *Enſes, tela, faces, juratâque tartara Ditis* pleno ruunt agmine, in quem ſcopum? homo, ut pereat. Quid intereſt inter Martis & mortis theatra?

tra? litera unica. Quantum colludunt nomine, tantum tibi ô homo alterius in nomine ſignatur omen alterius. Stagnârunt mortibus campi Pharſalici, Romani ſanguinis inebriavit flos. Decolores ſanguine & fluctus & maria, tinxêre exercitus. Cannarum, Thraſimeni, & Trebiæ prælia, Martelli unius Agaunenſem triumphum ſi recolas, Superi! quot orco myriades in ſuppetias lectæ. Adeò ſolatium Marte dignius nullum, quàm quod crudelitas in hominem ſuis mortibus ſtatuit. Moderatur omnia humanus animus. Conditus ille ut regat, ut ſubſint cætera, & regantur. Unum proinde in triumphum duci Mars gaudet, ut unius hominis triumpho orbis totus in triumphum ducatur. Peſtis nulla, contagia nulla, bellis atrociora. Sæviunt illa, aut lento, aut raro igne, hæc perenni ferè, decumano, & ſui impote furore. Hora hìc Cataſtrophen inſtruit, quam annorum curriculi cæteris malis non reddunt. Dignum enimverò furore barbaro crudelitatis trophæum! Pompejos, & Antonios, duo recole capita, horum gloriæ quot Urbis Dominæ civibus eſt litatum? myriadem exceſſit victima. Darii Perſarum Principis vis quanta contra Macedonem? Siccandis fluminibus, & tegendo penè Helleſponto par erat potentia, impar tamen ſatiando rictui Bellonæ. Crudelis vorago, quæ dum funere paſcitur, paſtu ipſo famis ſentit augmentum. Vide crudelitatis ingenium, an ingenii crudelitatem? Catapultis, arietibus, & fundis veterum, æs reboans & ferrum Mars ſubſtituit; quò ampliùs juxtà ac certiùs eum feriat, cujus conditum eſt ſecuritati. Tuta quondam erant Cœlo æmula culmina, fami ſoli cervices ſuas ſtratura. Hodie Olympus ipſe tremere, imò & per auras volare doctus eſt, dum Bellona ignibus loquitur, quibus animet in volatum montes & petras. Sed quo fructu? Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Ità quondam. Hodie: Bellonæ jocus eſt mortalem perdere gentem.

Pro Intelligentia.

Augiæ ſtabulum, aut Caci ſpelæum intemperantiæ habe Prototypon. Tanta eſt voraginis utriusque communio.

nio. Nemo adita illa nefasta subiit, quin ceciderit victima. Pari fato huic litatur Numini. Abdomen, vah quantum, quámque, ùt dulce, sic grande, grandium ferè Numen! Grandium, inquam, ùt qui facultatibus utuntur, ut mori citiùs, nè dicam crudeliùs velint. Paucis natura contentos jubet. Frui vult, non oppleri. Pasci, non oblectari. Servari, non opprimi. Felices, quibus parcam se fortunis sors exhibet, dum negat impendia, vitiis subtrahens alimenta: tantum addit vitæ, quantum demit fortunæ, ipsâ penè dixerim iniquitate pia. Dum contrà, quibus amplior est fortunarum seges, quod necessitati datum, consecrant voluptati; quóque vita paranda, aut servanda, eandem vel cruciant, vel pessumdant. Fabulata Græcia, & Deos symposiis capi, Baccho diffluere. Quid mirum sorte pari myriades hominum rapi in præceps? In præceps inquam. Quia quibus ætas, sidera, Mars, pestes nîl nocuêre, domestica nocuit vipera: Lyæi, aut multo stagnantes sumine pateræ. Torrentem exiguo tempore ingentia infamant damna. Mars, pestis, cæteráque nomina morborum torrentis sunt ectypon. Intemperantiam id unum acriùs commendat, quòd torrens sit, sed perpetuo bacchatus furore. Ingentia bellis cadere Regnorum & Provinciarum spolia, non diffiteor; non minore censu holocausta Diti consecrat aër veneno gravis; utroque tamen atrocior, quia sævior tyrannus ingluvies. Raptantur illi, perire ut debeant: centuriant ultro sese huic Numini mortales, felices sæpe rati, sic perire si possint. Felix Roma morbis libera, Medicorum ignara, dum rus, & fontes naturam pavêre. Delicias nempe Atticas, coquorum greges, peregrinas Phasidis, Phænicopterorum cupedias ignorabat plebs, & senatus. O felix ignorantia! quia vitæ & valetudinis parens. Hæc dum didicit, virtutem masculam, valetudinem dedidicit. O quot censeret Orbis Nestores! hæc si nesciret commoda. Vivere nos cupit natura, non luxuriare. Parcendum mero, parcendum gustui. Ampliùs te oblectabis utroque, quò minùs; quia longiùs. Vide sapienti judicio omnia, & cum Seneca *innumerabiles esse morbos non miraberis*. Causa sit unica: *coquos numera*. Hi crede mihi, Centuriatores sunt pestium, quibus

orbis

orbis scribatur orco devotus. Orbis dico. Gentes námque sunt aut regna, quæ Bellonæ furiis perstrepunt, atque id quidem tempore. Orbis omnis est, qui virus hoc sentit, perire eo velle, quo servari oporteret. Quódque crudeliùs, tempus nullum hâc peste immune, ætas nulla, sexus nullus. Frui rebus in vitæ commodum natura jubet. Vivere se non arbitratur humana ingluvies, nisì deliciis diffluat. Quasi verò id unum humanâ mente dignum sit commodum, quo valetudo, vires, vita perduntur. O Cæcitatem! dicam veriùs, amentiam!

§. V.

Quid Fortitudo?



Igne micet polus, & fulmen ruat æthere: laurus
Usque stat, & vires hinc trahit usque novas.
Exemplum tibi, nè timeas ferre ardua: si vis
Laurigeros inter nomen habere viros

DOCTRINA ETHICA.



Aucis de fortitudine Philosophus l. 3. c. 6. quòd sit *mediocritas inter timorem, & audaciam* seu *præfidentiam.* Materia illius sunt pericula, adversa, labores, mors ipsa pro Patria, vel religione, vel Deo sic disponente illata. Bello, & mari probatur

batur eadem. Neque tamen vel à nautis, vel à ficcariis exercetur fortitudo, qui pericula adeunt: cùm illi ignari, hi verò ex infamia, & audacia adeant. Oportet enim verè fortem æquitatis causâ se ad pericula resolvere. *Ferina* enim est Aristoteli fortitudo, *quæ aut inconsulta, aut non sine honesto dirigitur.* Duobus exercetur fortitudo, tolerantiâ durorum, & difficilium aggressione. Non tamen propterea (sentio cum Seneca) est fortitudo *inconsulta temeritas, neque periculorum amor, neque formidabilium appetitio.* Imò neque repugnat per Philosophum c. 7. fortitudini timor moderatus, licèt excludat timorem muliebrem ex levitate animi natum. Unde Seneca ait: *diligentissima in tutela sui fortitudo est.*

Partes quodammodo sunt *magnanimitas*, & *constantia.* 1ma 4. Eth. c. 3. hominem super vulgus extollit, ad actus heroicos exantlandos. Vulgus enim non magnis delectatur, sed communibus actibus. Unde magnanimus veram in omnibus *virtutem*, & *felicitatem solam* sectatur his potissimùm quinque capitibus. 1. Casibus non turbatur vicissitudinis humanæ, neque miratur admodùm; tanquam præconcepta sint magnæ menti omnia. 2. Honoribus non admodùm capitur. 3. Infimos quosque sublevat. 4. Injurias aspernatur, ùt se minores. 5. Beneficia compensat majoribus. Neque tamen ex eo magnanimos censeas aut eos, qui omnia contemnant; hi enim Aristoteli vel *arrogantes*, *vel tumidi sunt, vanâ gloriâ, & præsumptione elati.* vel audaces ex ambitu, jactantiâ incitati; aut illos, qui sibi mortem cum Catone adsciscunt, utpote qui Aristotele teste, intolerantiâ, & tædio rerum præsentium ad id inducti, suam in hoc ignaviam probant. Utraque enim magnanimitati opponitur; & *audalcia*, quæ omnia viribus suis minora existimat; & *pusillanimitas*, seu *ignavia*, quæ omnia viribus majora judicat, & se omni honore indignam.

Constantia virtutum laureola, seu *perseverantia* hominem ad perdurandum usque ad finem roborat; non obstante temporis, & circumstantiarum vel diuturnitate, vel arduitate. Opponitur huic ex Aristotele 7. Eth. c. 9. *pertinacia*, quâ quis in omnibus bene, maléque susceptis

ultra debitum perdurat. Itèm *mollitics*, seu *incoastantia*, quâ quis illicò à cœptis desistit.

QUÆSTIO ETHICA.

An heroi possit fuga ex prælio esse gloriæ?

AFFIRMATUR.

HEros est, qui igne ardentes bellorum flammas cruore suo restinguit; at major, qui rivo parcit, ut torrentem profundat. Stratagema sæpe illustrius generosam tegit ebrietatem, dum sui impos æmulus tum primùm virtute peti se sentiat, cúm tempestati succumbit. Sic Parthi vicêre. Non semper Venusino cum Vate pulchrum est pro Patria mori; tum nempe, cùm dilatá morte indies sic commoreris Patriæ fatiscenti, ut vita tua sexcentis mortem intentet. Sæpius amor ingeniosâ fugâ Patriam servavit, dum commune illud naturæ vectigal *mors* curarum unà, & discriminum, sed & unà felicitatis promovendæ terminum statuit. Somnus Salustio, quies Tullio, antidotum Euripidi mors est: absit ab amante in Patriam cæcum mortis studium; amoris cos certa adversa sunt, hâc, ut proberis, subduc te cladi tantisper, ut asperam magìs pro Patria, quia diuturnionrem sufferas mortem. Germana hæc dos magnarum est mentium, furore non agi. Caput discrimini subducunt non nunquam, non quia volunt, sed quia amoris ingenio jubente debent. Cedunt fortunæ bacchanti tantisper, nè cadentibus ipsis cadant omnia. Major sanè, & gloriosior amoris victima dum cedit, quia superstes, quàm si cadat. Sæpe se magìs, quàm Patriam diligunt, qui, quia sciri cupiunt, cadere volunt antè, quàm cedere; cùm tamen, quem hodie fatum perdidit, si mutâsset consilium, triumphos eidem, & Patriæ destinâsset. Quæ salus Reipuplicæ à morte unius, cujus vita sæpe omnia restituisset? Quoties salus Urbium, & exercituum unius in capite? laudatur ingeniosus amor Demosthenis, cur è bello fugeret, cùm quæreretur, dicentis, *ut me Patriæ servarem.* Fœneratur Patriæ, non furatur, qui sic fugiens id omne superaddit aucta-

auctarii, quod interea tulerit, vel patrârit. Ars eſt, non metus fuga ejusmodi, quâ dum ſe curis, ac ærumnis Patriæ ſervat, commoda ejusdem promovet, moriturus poſtliminiò toties, quoties pro eadem luctandum. Moriâre, ſi tuo in vertice felicitas non vivat publica, ſi dolor, & ignominia cladis aboleatur æternùm, ſi Patria hoc caſu triumphet. At dum ſemineci te anchoram ſubtrahis, quid ſi hoſtis juratus ſis, agas ampliùs? robore Patriam, privato funere publicam cumulas calamitatem. Stupor, aut pertinacia, non magnanimitas eſt, nè hoſtem videaris metuiſſe, ſecuturæ ſortis metu fugere ſexcenta mala moriendo potiùs, quàm fugiendo.

Negatur.

NEſcit generoſa mens aliâ ſiniſtris caſibus obviare dexterâ, atque unâ hâc adamante dignâ regulâ: *cædi potiùs, quàm vel unguem cedere.* Ut Spartana quondam Mater heroi filio clypeum præbuit cum dicto: *aut cum hoc, aut in hoc.* Non alio vultu dignatura filium, quàm ſi triumphator cum clypeo, aut in eodem pro Patria victima redierit. Stat nempe mori malle, quàm herbam cedere. Victoriam, atque adeò gloriam neſcit, quisquis fugit. Hæc fortitudinis indoles eſt, adverſis, ùt aquilam fulmine, nîl terreri. Neque vulnera ſentire oportet heroëm, cui plus mentis ſemper, quàm ſensûs natura conceſſit. Irritatur in æmulum leo, dum virtutem ſentit, cedit ignavus, atque adeò inglorius animantium grex. Tempeſtatem omnem arena coquat, mortibus ludens, conſtare pugilem oportet ſuo, dum ſe, ac ſanguinem circumfert. Receſſu æmuli inſoleſcit hoſtis, acerbior in damna, quàm antè fuerit præceps in vulnera. Paſſus omnis è ſtadio, alienæ gradus victoriæ eſt, & triumphi. Colum, & fœmineos decet animos fuga, non bellatores. Audentes fortuna juvat. Tentandum, quod inſuperabile credebas initio, ceſſit ſæpe ſuper vota quæque feliciùs. Se ipsâ ſæpe numero major eſt virtus. Poteſt, dum audeat. Opinione majora in ſe claudit animus decora. Pelion, & Oſſam ſuperarent ſexcenti, ſi umbras non vererentur.

Sæpe animi ſoli animos eripuerunt hoſtibus. Languet, dum ardentem ſpectat, vel certè hebetatur impetus. Lux gloriæ & honoris clarior nullibi, quàm dum umbræ ſiniſtri metûs calcantur. Æternitas gloriæ, & nominis ſi cordi ſit, terrorem profliga. A grandibus cæptis quòd multi deſciverint, hæc peſtis effecit. Deſignabant mente heroum prodigia, vix pumilo ſubinde pares. Aurea per fortunatam Colchidem vellera nunquam vidiſſet Jaſon, ſi aurâ quâvis abſtractus ceſſiſſet. Nunquam quies commendat pugilem. Dum ſecura loco ſtat alea, etiam Mytecus ignes ructat, & prælia. Inter pericula, aut conſtantia jacit anchoram, aut major omnibus cadit heros. Incudem fatigat adamas, arundo & ſtipula cedit auræ. Audere, ferè eſt vincere. Superat ùt minùs animo hoſtem, quisquis Patriæ cadit; jacet; quisquis fugit. Virorum hæc gloria; aut ſta, aut cade.



QUÆ-

QUÆSTIO III.

Virtutes humanæ.

§. I.

Quid Amicitia?



Rarus homo eſt hodie, cui non ſit amicus; at ille
Rarior eſt, aliquis cui ſit amicus homo.
Cauſam nôſſe cupis? dicam: pars plurima námque
Nomen amicitiæ, rem prope nullus habet.

DOCTRINA ETHICA.

HUmanas virtutes nomino, quia homine cumprimis dignæ. Amicitia præſertim, quæ virtus eſt ad alterum. De qua & Philoſophus fusè admodum l. 8. & 9. Eth. cùm ſinè hac felicem eſſe neminem judicet. Miſer enim conſolatore, beatus ſocio eget. De hac pugillum ſume.

Eſt hæc ex C. 2. & 5. *mutua plurium benevolentia, non latens, ipſorum gratiâ, fundata in communione bonorum: ſeu utilium, ſeu jucundorum, ſeu honeſtorum.* Dicitur *benevolentia mutua*, amicorum enim idem velle & nolle ex Saluſtio eſt, & vinculum ad mutua officia; quæ, qui

negligit, amicus non eſt; non tamen eſt habendus ùt inimicus per Ariſtotelem, maximè ſi non pravo animo id neglexerit. Dicitur 2dò: *non latens:* Ut enim ignis latere nequit, ſic amicitia; ùt minùs, ſi operibus probatur. Nisì enim amet uterque, amicus neuter eſt Platoni in Lyſide. Sic gaudent convivere, arcana pandere, obſequia ultrò non rogati præſtare, & his certare. Epiſtolis ùt minùs ſe inviſere, ut æterna ſit amicitia; neque enim fidendum ulli ampliùs, ac amico veterano, vetuſtate ipsâ pretium depoſcente. Hæc tamen omnia eò uſque præſtanda duntaxat, dum nihil conſcientiæ, aut legi diſſonum ab eo petitur; unde vetus illud: *amicus uſque ad aras;* id eſt, citra injuriam conſcientiæ. Hoſtis enim, non amicus, qui mali quidpiam à nobis cupit, vel authoribus, vel adjutoribus.

Dicitur 3tiò: *ipſorum grqtiâ*, quia ſi amici ſe non ament propter honeſtatem ipſam, ſed ob commodum, timorem. ſpem, &c. ex Ariſtotele c, 3. *non ſibi tunc homines mutuò ſunt amici, ſed utilitati.* Quam utilitatem cùm ſemper ſpectent pravi, neque ipſi inter ſe, neque cum bonis amici diu eſſe poſſunt. Unde quamvis amicitia ſæpe oriatur ex ſolo complacente conſpectu hominis nunquam viſi, DEO videlicet authore; aliàitèm ex inſtinctu naturæ, & rationis, ùt eſt inter Parentes, & liberos; communiter tamen per Ariſtotelem amicitia tantùm eſt proborum, ex ſimilitudine morum, indolis, &c. orta; ùt qui non ſua quærunt, ſed ſe mutuò: ſicut cicada cicadam amat. Dicitur 4tò. *Fundata eſſe in communione bonorum triplicium,* & ideo pro varietate horum triplex etiam eſt amicitia. Quamquam ſola illa amicitia dici mereatur, quæ eſt ob honeſtatem. Et ideo ſenes ferè parum apti ſunt amicitiæ, quia utilitati ſuæ ferè intenti ſunt. Juvenes itèm, quia naturâ inconſtantes, aut certè voluptatis ſolius causâ amicitias quærunt. Quæ, quia eâdem die ſæpe mutatur, eâdem pariter die fundata amicitia perit. Denique moroſi, mordaces, litigioſi, &c.

Ex his facilè conjicies, quàm rara ſit amicitia vera; cum Cic. l. de amicitia: ex omnibus ſæculis vix tria aut quatuor amicorum numeret paria: eò, quòd rariſſimi ſint,

qui

qui amicum ſolâ illius causâ & quidem honeſtâ ament. Tu ergo ſive ſecundâ, ſive adversâ utaris fortunâ, cum Ariſt. l. 9. Eth. c. 10. civiliter omnes cole. Sed cum Thianæo paucis te crede. Neque ulli horum, nisì cum quo multos ſalis modios ſumpſeris, id eſt, longo tempore probaveris. Omnia enim cum amico deliberanda, ſed de ipſo primùm. Invitus autem nemo in amicum aſſumendus eſt unquam.

QUÆSTIO ETHICA.

Utra amicitia melior, paucorum, an multorum?

Paucorum.

SOciale animal Philoſophis homo eſt. Feris, quàm humano genio dignior lex Pythagorica ſeptennalis ſilentii. Amicos natura ipſa depoſcit. Id tamen Heſiodi arbitrio ſapientiſſimum habe: nec multis, ſed nec nulli dicaris amicus. Medio, ùt ſemper, tutiſſimus ibis. Levitate non caret, qui fidens omnibus; quantùm fidit, tantùm decipitur. Sed & Catoniana procul eſto ſeveritas, quæ quia rigida omnibus, amæna nulli, inviſa orbi. Uterque errat. Tu ſic amicitiæ cole fædera, ut gratiis reddens gratias paucis præſtes, quod cupiant multi. Vix paucis candor tuus ſatisdabit. Tempus omne, conatus, & ſtudia ſi amicis conſecres, tantum egiſti, quòd plurima amori agenda reliqueris. Facta amorem probant; quis, ſi multis ſe partiatur, ſatìs omnibus unus? Multorum amicus diceris? eò ipſo debitor es. Nulla tibi hora tuta, quia tu tibi ferè es nullus, omnibus nempe dandus, quanto curarum diſpendio? cura, nè, qui neceſſitudine abundas, hoc ipſo premaris neceſſitate. Alieni favores redimuntur obſequiis. Sæpe inter multos non tu, ſed tua quæruntur officia. Rarus, qui careat fuco, cui inhiet latens. Tutiùs ergo id hoſpitalitatis obſerva: hoſpite nè careas, hoſpes nè pluribus eſto. Abundantia ipſa vilitatem, ùt rerum, ſic amorum ſæpe cauſavit. Nauſeantur joci, gaudia, dum copioſa, quidnî & amores diviſi? ùt rivus, ſic amor diviſus minore currit alveo, atque adeò jucunditate. Condimen-

tum Aristoteli sunt amicitiæ; discretio gustuum, copia nauseam parit. Veteri illo: *nimium, vitium.* Tam vitio data Scythis amicitia plurium, quàm mulieri uni virorum plurium consuetudo. Nempe Vate teste: *nullus amicus, ubi multi numerantur amici.* Limites habet humana potentia quælibet, amor ipse divisus frigescit. Unus Eurialo Nisus, Oresti Pilades, imò si Ciceroni fides, vix sæculis natum par nobile amantûm: qui ergo multos censeat? Solem unum heliotropium, acus nautica Polum, amans terminum teneat unicum. Multitudo erroris sæpe, doloris materia communiùs. Unum proba, dives in ævum es, si deligas, quem diligas. Cave, dextram cuivis injeceris. Melopepo amicus est, probandi plures, donec unus; non colore, neque cortice approbandus. Profunda flumina tentanda sunt bolide, priusquam iis te credas. Congaudere, condolere, amantium, non cujusvis est regula. Flamma, & amor divisus aut robore, aut diuturnitate caret. Amicitia frequentior, formicarum est cumulus, aut hirundinum tempus; abeunt, & redeunt illæ suo duntaxat aut commodo, aut incommodo. Advolant & revolant hæ suo solius commodo. Denique: Tempore felici multos numerabis amicos, tempora, si fuerint nubila, nullus erit. Aspicis, ùt veniant ad candida tecta columbæ, accipiat nullas sordida turris aves? Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam, nullus ad amissas ibit amicus opes. Terrent inconstantes genios sortis procellæ. Nunquam, qui his succumbit, par est germano amicitiæ auro. Puriùs hoc nunquam fulget, ac dum flammis vehementioribus coquitur; quia rara hæc dos est glebæ, tanti fit aurum; quia rarior prærogativa hæc est amantis, tanti unus tibi sit amicus.

Pro Multis.

QUis locuples adeò, quin indigus sit amicorum? hic unus in orbe thesaurus maximus. Infirma coronatorum sunt robora, nisì alienis fulta officiis, auxiliis, præsidiis. Ære faciliùs, vulgi sensus est, quàm amico sinè vitam exigi posse. Vel eò tamen, ùt auri, sic ferè amicorum copiæ crescit amor. Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecu-


pecunia crefcit, en typus amoris. Nulla inter homines conditio non fexcentis obnoxia procellis; eò acerbiùs fævit fors, quò mitiori turbine premit carbafa. Et coronati vertices egent officiis. Alternis blandiri, & fævire gaudet fortuna; nemo ex omni parte beatus, donec inter mortales, cenfendus. Nulla tantam in rabiem firmiora repagula, ac fæderata manus amantûm. Abfit Pylades, aderit Oreftes, confolans voce, levans obfequio. Caftorem Pollux, Pirithous Thefeum ex ordine excipiet, dum junctis quot capitum, tot amantûm ftudiis fit longa, tenáxque fides in finem exitii. Paucorum in pretio funt fædera, quantò magìs plurium? crefcit pretium copiâ, fi pretiofum fit, quod amatur. Aheneus fi unus, & alter fit murus, quantus erit exercitus? His ventis provehere, fortunatas nunquam non leges Infulas. Nîl pertimefcent auras carbafa, hi fi Favonii afpirent. Hoc femine gratiæ, gloriæ, honorum germinantur impendia. Ab his Planetis, quò copiofior, felicior tibi influxus; lúxque uberior, quò plura tibi fidera luceant. Unus fapienti vetuftati Deus, amici plures in votis; exequuntur hi ferè, quod ille defignat. Ubi amici, ibi opes Scytharum fenfu; ditiffimus, qui amicus plurimis.. Pluribus nititur fortuna, fi periclitetur. Sociatus labor majoribus quoque par eft muneribus. Plures oculi in amicorum commoda plura prævident, pluribus provident, atque adeò præfentibus confulunt, futuris profpiciunt. Unde Xenophon: non fceptro, fed pluralitate amicorum regna ftare tutiffima. Nîl civitate melius. Typus hujus amicitia per Ariftotelem eft. Et quæ Civitas finè civium numero? amari geftimus, & ftudemus omnes. Certè unius duntaxat amicus, aut avari nimis affectûs, aut afperioris, ac ut Rempubublicam moderetur, eft indolis. Abundantia amicorum, cum Platone loquor, virtutis, & prudentiæ figna funt multò certiffima, dum contrà majus vitii fignum nullum, quàm amicorum, & fidorum defectus. Felix effe cupis? felicitatis argumentum fume, fatellitium amicorum: fic rofæ inftar, tuo dives, alieno fecurus prœfidio. Felix & infelix eft rofa. Quia cincta, atque adeò tuta, felix: decore fuo quia omnes allicit, infelix. Ingeniofa profpexit natura, tantùm arcens,

 quan-

quantùm attrahens. Præstet tibi gratia idem. Comitate, morum cultu, candore omnes devinci. Solatium iidem, si premaris: decus, si glorieris: præsidium, si infesteris, futuri. Felicitatem multis cinctus tibi solam despondes, infelicitatis vel ipsum nomen te latebit.

§. II.

Leges, & adversantia amicitiæ?



Qui puer hic Iovis est, unâ venit, & fugit horâ:
Qui maturus amor, tardus; at usque manet.
Tu cole maturum, puerum fuge: námque virilis
Ut prior est, sic est hic puerilis amor.

DOCTRINA ETHICA.

PRima esto: non rogatus opportuno tempore subveni amico. *Secunda:* Suspicionibus, aut calumniis adversùs bene probatum nullum da locum. *Tertia:* Cum moderatione, vel adulationis, vel rusticitatis, officii aliquando commonefac amicum, si quid ei nocivum. *Quarta:* Amicorum omnia communia, citra tamen privatorum jurium incommodum; sæpe enim fieri potest, esse aliquem amicum personæ, inimicum

micum causæ. *Quinta:* Si amicus depravetur, si spes fructûs sit, emendetur; sin minùs, amicitia tollatur. *Sexta:* Eos maximè deteſtare, qui se amare fingunt virtutis ſolius, & honeſtatis causâ, & amant ſolius utilitatis ſpe.

Etſi amicitia paræmiâ veteri (*amor aut ſimiles invenit, aut pares facit*) ſit ferè inter æquales, latè tamen amicitia eſt inter omnes ſe mutuò amantes. Varia tamen pro varietate excellentiæ, & inæqualitatis perſonarum. Sic inter Deum, & hominem, Principes, & his minores eſt amicitia *dignationis*, eò quòd DEUS creaturam, Princeps minorem ſe dignetur amore, ſolius amati causâ; vulgus amicitias utilitate, juventus delectatione probat.

Sodalitius amor eſt inter fratres, vel ſodales. *Conſanguineus* inter ſanguine junctos. *Conjugalis* inter conjuges. Inter Principem, & ſubditos amor, propriè & ſtrictè loquendo, non datur, quia in his eſt timor Principum; nemo autem, quem metuit, diligit 2. Rhet. c. 5. Amandi tamen ſunt ità à ſubditis omnibus ſuperiores, ut major ſit amor ſubditorum in majores, quàm illorum viciſſim. Sic enim lato modo per Ariſtotelem, æqualitas quædam ſit inter eosdem ad amicitiam requiſita. Quamquam Chriſtianus amor etiam ad inimicos extendi debeat, & hic ab ipſis Ethnicis exemplis ſubinde demonſtratus, & commendatus cùm ſit, virtutem verè heroicam, & animum probat quaſi Divinum.

Amicitiæ adverſatur *inimicitia.* Originem ducit ex ira, contumeliis, odio. *Adulatio* item, ex amore proprio oriri ſolita. Adulatoris ſigna dat Philoſophus c. 4. 1. Omnia probare, vel improbare, quæ alter probat, vel improbat. 2. Nimium laudare alterum, unde laudati gignatur invidia. 3. Si quis ſe in amicitiam violentè inſinuet. 4. Si promptus nimis ad omnia. Denique ex 4. Eth. c. 6. id maximè vide, quo fine tibi amicus ſit; ſi enim ſuæ utilitatis causâ tibi addictus ſit: Juret, perjuret, certus tibi palpo manebit. Vel ſi tantùm ſecundùm tuam ſortem amet, de qua Poëta: Zoile vis cauſam, cur te non noſcat amicus? Spes raptas, non te nuper amabat amans.

QUÆ-

QUÆSTIO ETHICA.

Utrum amicitiæ fomentum firmius, præsentia, an absentia?

PRÆSENTIA.

SI fides Philosophis, exercitio actuum facilitas oritur. Præsentia amici, amoris est juge exercitium. Oculorum felicitas dux esse cogitur ad amorem. Sæviat irato turbine fortuna, blandiatur rursum mitiore Favonio, sibi securam jecit anchoram, cui comes lateri est amicus. Protei in morem turbinem intrepidus cum patiente; malaciam contra constanti excipit animo, utroque laturus amico remedium, dum sortis utriusque se si non metam, partem facit amore. Nihil vitæ huic amabilius, ac alterum censere in vivis *Ego*, cui non secùs, ac tibi pateant abdita, congaudenti, condolenti, hortatori. Efficaciùs hæc omnia more suo præstat amicus, si coram sortem tuam non tam videat ùt alienam, quàm experiatur ùt suam. Hœc est humanæ virtutis an conditio, an limes; quò remotè magìs, eò minore ut agat potentiâ. Calere cupis ampliùs? flammæ vicinior sis. Sic, quoties! ex oculis raptus, raptus es ex animo, verum illud diverbium. Nam verè, ùt observat Propertius l. 3. quantùm oculis, animo tam procul ibit amor. Faveat risu suo sol præsens, vigebunt, ridebunt, succrescent orbe omnia: absit tantisper, vita concidet, vigor flaccescet. En symbolum amantûm. Aristotele ipso Eth. 9. c. 11. suffragante, dum amicorum præsentiam tam in prosperis, quàm adversis jucundissimam censet, vel eò, quòd & *aspectu* consolationem præstet amicus, & *oratione.* Dum contra longinquitas ipsa remissionem sensim animo inducit, dum oblivio mentem occupat, & quo sinè vitam agere vix posse visi nuperrimè, hodie vix recordemur. Sic Memnonis artefactum mentitur animus, òbrigescente in lapidem affectu, suo dum sole privatur. Quid mirum? vultus, & vocis gratia fomentum sunt animi, candor actionum oleum flammæ perenne, similitudo denique morum conciliatrix amo-

amorum. Quæ omnia, quòd in abſentem non cadant, verum id Athenæi: *non ſunt amici, qui procul degunt.* Nihil virtutes moror, quæ mirificum ſunt amantis incitamentum, nil officia mutua obſervari illas vetat abſentia: hæc reſcindit locorum diſtantia. Ingenioſus amorum luſor malo ſuo edoctus: Sæpe periſſe amor eſt, per longa ſilentia viſus. Animæ pars altera amicus. Quis, abſentiâ mortem, ùt præſentiâ vitam tribui, miretur? hoc vota illa abſentium comprobant amicorum; uniri cupiunt, vel ideo, ut animentur quodammodo, aut certè tranquillitatem magnetica ſumat acus Polum ſuum contingens. Languet amor diſtans, flamma remota perit. Prima namque amantûm dos: coram habere, quod cupis. Naturæ illud ſive arcanum, ſive prodigium eſt, non ferri ultra limitem. Virtus cauſæ, ſi Philoſophorum ſenſu loquimur, uniformiter difformiter agit. Quaſi verò natura ipſa agere aut nolit, aut neſciat vi majori, nisì in ea, quæ viciniora. Aliud eſt pretium rei, aliud affectûs. Primum fama ſæpe conciliat, imò ferè etiam auget. Alterum ſola facit poſſeſſio. Amicitia, ſi perfecta ſit, utrumque habeat. Et voluptatis enim & mentis eſt complementum amicus. Pretium ſinè affectu multa merentur & ſibi vendicant, quæ non viſa. Affectum ſinè pretio eripiunt multa, quæ ſtatum dedecent. Utrumque, quia rarus eſt, meretur, & explet amicus præſens. Sic enim pretium ſui auget, quia in dies probatus: affectum, quia amori reddens amorem.

ABSENTIA.

QUid ſatietati cauſandæ aptius, atque adeo faſtidio, ac perennis communio? Nauſeatur & voluptas, & opes, quæ coram ſemper. Rarum, charum ferè: & abundantia dapum obtundit palati gaudium. Suavius eſt, quod multum appetitur; appetitur, quod abſentia ipſa deſiderabile reddit. Invide, dicebant Thisbe cum Pyramo, paries, quid amantibus obſtas? Congruit nempe abſentia ipſi amoris motivo. Amatur ardentiùs, quod grande. Grandeſcit & gloriâ, & nomine, quod eminùs ſæpe ſpectatur, dum è contra frequenti inter homines vitio minuit ſæpe præſentia famam, atque adeo amantis

gra-

gratiam. Sic Luna, quo à ſole remotior, ampliùs ſumit incrementum luminis; tantò ampliorem formans orbem, quantùm ſumit diſtantiæ. Jacet humi, quod obvium cuique. Ut meliorum odor florum, ſic nomen diſtantis fragrat amœniùs. Vitium id temporum, an naturæ ſit, dubites. Verum eſt per Diogenem, amicitia non jungit corpora, ſed animos, quos locus non arctat; verum tamen unà id Naſonis, remittendos non nunquam ardores, ut vehementiùs ardeant. Certè ſi anima ibi degit, ubi amat, magìs quàm ubi animat, quid refert abeſſe oculis, dum cordi præſens, eadem & majora præſtat amans, quàm ſi adforet? faſcinat oculos, cor paſcit, intellectum mentito alloquio ſibi ipſi furto dulci ſubducit. Quàm miſera foret conditio felicitatis, ſi id duntaxat oblectet, quod cernitur, quod ſentitur. Bruta ſenſu ſolo; majoribus paſcitur anima, delicias ſublimiores ferè exambiens. Quoties familiaritatem jugis fecit præſentia? familiaritas contemptum? Reverens ſit amor, ſi amicus: quis porro verendum credat, quem coram ſemper lateri habet. Imò, quod abeſt, nomen auget, & gloriam ferè: communi ſenſu, quo magnificum creditur, quod longinquum. Livor præſentia faſcinat, & decus elidit. Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit. Abſente authore celebrantur geſta ampliùs, & qui invidiſſent præſentes, admiratores ſunt, & laudatores. Sic reverentiam populi Majeſtati ſuæ raritate conciliant Gentes multæ. Ut ſanitatis, ſic amicitiæ pretium tum primùm advertitur, & amatur ardentiùs, cùm tantiſper eripitur. Pictores nobis Idea ſint. Separant ſua ad tempus opera, tum ex intervallo rectiùs judicaturi. Aſſiduitas cauſa eſt, quò minùs bene judicent. Sic rectiùs judicatur amicus, qui ex intervallo reviſitur. De nobis ipſis, quoniam adſumus aſſidui, minùs rectè judicamus. Quid, quòd vel fortuitò verbum, factúmve unicum Gordium amicitiæ vinculum ſolvat? *Dic modò chare nego, tollitur alter Ego* frequentiùs. Abſentes tum malumus, quorum errorem palliâſſet diſtantia. Amari nîl habet diſtantia, nisi quòd deſiderium cauſet, an hic ipſe blandus animi tyrannus ipsâ dulceſcit amaritudine. Dum, quia animus abſentem abſens audítque, vidétque

affe-

affectu, non oculo; amore non aure: vincula hæc blanda, quæ ſeparant loco corpora, arctiùs longè ſtringunt affectus, & voluntates. Ingenium id eſt amoris, quod ignis. Cuniculis concluſus, quia ſepiri non patitur, agit, quà poteſt, plurimùm. Sic amor jacturam præſentiæ, virtute majori vel in diſtantem ſupplere contendit. Nunquam tam vehementer urit ignis, quàm dum fabrorum dextera nonnihil aquæ affundit. Auget nempe reſiſtentia ipſa virtutem. Quaſi verò gaudeat natura ipſa obicem triumphare. Par eſt amoris germani dos. Reſiſtat nonnihil abſentia, idem illud, quod obicem ſtatuere velle videtur, in focum flammas colligit, ut urat acriùs. Tormentum nonnullis, quamquam blandum, audit amor. Cominus ſi agat, ſauciat, ſed quantùm lædit, tantùm reficit. Eminus dum agit, languere facit animum ſui impotem virtute ſuâ primùm: tum abſentiâ ipsâ. Titii nempe jecur eſt cor amici abſentis, quod quantùm patitur, tantùm dulci ſub vulnere creſcit.

§. III.

Quid Magnificentia, & Liberalitas?



Non bene ſubtractis ſtat honos, & gloria fulcris,
Qualibet aura loco, qualibet umbra movet.
At ſi hinc Majeſtas, ſapientia fulciat inde,
Tum bene conſurget, tum bene ſtabit honos.

DO-

DOCTRINA ETHICA.



Agnificentia propria Principum, & Magnatum dos, cùm nemo egenorum ſumptus facere poſſit; virtus eſt in magnis tantùm rebus ſe occupans: cùm liberalitas magnis perinde, ac parvis intendatur. Omnis enim Magnificus eſt liberalis, non tamen viciſſim. Ædificia publica, & privata, convivia, ludos, ſacrificia, dona ſpectat eo tantùm ſolius honeſtatis fine, quòd ſtatui & bono publico condecenter perferendo magìs operari ſtudeat, quàm ut ſumptui parcat.

Nemo in hac ſortem excedat ſuam: præterquam enim, quòd in vitium luxûs abſonâ hâc affectatione ſplendoris, & oſtentatione incurrat: Ariſtotelis inſuper placito N. 13. quiſquis ſupra dignitatem ſuam aliud aggreditur, ſtultus inſuper eſſe dicitur.

Sed neque *ſordidus, qui in omnibus deficit*, ſit, ſive aſſiduo ſtudio, quomodo ſumptibus parcat; & ſi quos honeſtatis causâ aliquando fors facere cogatur, quomodo eosdem ſubinde ubivis in privato reſarciat; ſive tarditate, & triſtitiâ ſolvendi: ſive denique ſtolidâ de ſe opinione, imò querelâ, quòd majora ſemper, & ubique faciat, quàm oporteat, quod ſtupidiſſimum eſt in hujusmodi peponibus.

Rhodes cum D. Thoma *liberalitatem* ad fortitudinem reducens ex Ariſt. l. 4. Eth. c. 1. N. 14. ſic definit: *eſſe medietatem circa pecunias dandas, & accipiendas.* Virtus ſocietati humanæ maximè congrua, nisì in duos incurrat ſcopulos *prodigalitatis*, vel *avaritiæ.* 1ma ferè juvenum eſt, & paupertatis mater, orta vel ex eo, quòd neſciant, quanto ſudore facultates parentur, futura non præcogitent, adulatorum amantes ſint, & ferè prodigi etiam ſint intemperantes, neque de ſuo, ſed prorſus alieno largientes: cùm paupertas turpia cogat.

2da ſenum eſt vitium, quos omnia vitia præter avaritiam deſerunt, & hæc ferè incurabilis eſt. Idque fœdiſſimum, quòd, dum prodigus aliis eſt utilis, avarus nè ſibi quidem, juxta Philoſophum N. 21. utilis ſit, & omnibus deteſtandus. Cauſas Ariſtoteles allegat duas 2. Rhet. c. 13. 1mò: quia ſenes vitæ cupidi ſunt, ad quam ſuſtentan-

ſtentandam facultates neceſſariæ ſunt. 2dò: Quia æſtimare ſciunt divitias, eó quòd arduè comparentur, facilè amittantur. Quod patet in millenis hæredum, quos avari ſcribunt, exemplis, quomodo veteri verbo: Der Sparer findet einen Zehrer. Quæ parâſti, cujus erunt?

In hos, nè impingas, has ſume, & accipiendi, & dandi regulas. 1. Nunquam aliena pete. 2. Tua duntaxat largire. 3. Rerum tuarum ſatage, ut largiri ampliùs poſſis. In dando porro, 1mò: Da citò, & hilariter. Citò; nam, qui citò dat, bis dat, nîl dat, qui munera tardat. Hilariter largire; leve enim munus pretium ſumit ab affectu. 2. Cautè cum reſpectu temporis, perſonæ, æquitatis, & decentiæ reſpectu tuarum facultatum. 3. Durius tibi ſit non dediſſe aliquando, cùm oportuit; quàm ſi non acceperis, ubi debuiſti.

QUÆSTIO ETHICA.

Uter glorioſior Princeps, literarum, an magnificentiæ amator?

PRO MAGNIFICENTIA.

QUod Cœlo ſol, orbi Princeps & regno eſt. Illum decus ornat auro illuſtrius, quo omnibus felicitatem partitur, & commoda; non minora ornant Principem. Quid magnis mentibus cum exiguo cortice? tametſi caperent, dedecent fines modici animum orbi ùt natum, ità parem. Ut à ſole deſumpto lumine fulgent, ornántque firmamentum ſidera, ſic aulæ, hortorum, ædificiorum pompa Principis nomen famæ orbis tranſcribant. Si ingrata virtutem taceat vetuſtas, rodat livor merita, lapides loquantur, timoris expertes. Miracula Memphis, Babilonis theatra penſilia, Bellaquei fontis delicias niſì coleret poſteritas, quis in iiſdem grandia Semiramidis, Ludovici, Niníque ſuſpiceret nomina? Non omnibus ſola in pretio eſt virtus, caligant ad eam hebetes multi, ùt ad ſolem noctua; lux minor ſi faveat, hanc imbecillitati ſuæ ſupparem celebrant, quia capiunt. Sic magnificentia Principis neminem non capit, cui, etſi ratio infirma ſit, ſenſus

ſus valent; & hujus gloriam, & laudem omnem ſibi Princeps vendicabit magnificus. Magnificentiâ metitur animum, & dotes vulgus. Meminêre faſti, non ſinè gloria, Romani illius portenti Neronis, non quidem eò, quòd ſentinam vitiorum Biberium populus compellârit, ſed quòd magnificentiæ cultor dignum Majeſtate ſuâ Palatium ſtruxerit, auream Neronis domum. Ut meritò eidem Philoſophus ep. 39. *Reperit tandem tuæ amplitudo fortunæ, quo tota æſtimetur. Par tibi jam aliquid novit orbis terrarum.* Sapienter. Magnos quid nisì magna decent? indigna res, animum, cui famulatur orbis, limite modico cingi. Quos ſuper Diogenis dolium auguſta naſcendi conditio ſublimavit ad purpuram, abſit, anguſtos ſentiant fines. Diis debentur omnia, Deorum ectypon Princeps eſt. Nisì magnificum vidiſſet Principem adulatio, nunquam eidem auſa foret accinere: Par Urbi domus hæc, Urbs orbi, neûtra triumphis & belli, & pacis, par Ludovice tuis.

Pro Literis.

ARs artium, Divinitatis conſilium moderari Rempublicam. Quis hoc auſit ſinè literarum præſidio? non ſinè cauſa Jovis cerebro nata Pallas fingebatur. Literas, & literatos diligat, qui fortis, & providus audire cupit. Nunquam Princeps felix ſibi, Populis, exteris audiet, nisì providus inſtar Argi proſpiciat Reipublicæ. Quid ad hæc magnificentia conferet aulæ? Providentior ille, qui, quot ſapientiæ lumina, tot agendorum oracula domi ſuæ alit, præſentium arbitros, auſpices futurorum. Alet, ſi ſapientiam colat, magnificus literariâ domo, munificus ſapientum cultu, & amore. Muros magnificentia tollit, & excolit, animos literæ. Monumentum illud vetuſtati ſubjacet, hoc ære perennius æternitati eſt ſuppar. Palladio tutum ſtetit quondam Ilium, regia Priami domus non ahenus erat, ſed ruinæ illicium. Thebis exciſis Alexandri imperio, parcitum domui Pindari. Major hoc facto Princeps, quàm ſquallentibus buſtis, victoriis, aut magnificentiâ Palatii. Bubo feralis ſignabat Athenas pro foribus, ſatelles idem eſt Palladis. Deam hanc tanta decet digni-

dignitas, quanta est animi immorantis, qui typus est divinitatis. Alexandrina Philadelphi, Alphonsi Neapolis Regum librorum emporia cedro sacrata sunt. Literis, & literatis, bibliothecis ampliùs, quàm regiæ profuderunt ærarii. Rerum omnium jactura optabilior iisdem, quàm doctrinæ vel minima. Æde unâ Constantinus centum, & viginti librorum millia texit, amanuenses sexcentos Mathias Corvinus constanti aluit industriâ, ut Caroli hodie sexti Augusti nostri (magnificentiæ prototypi, & artium Patris) laudatissima in Bibliothecas gesta orbi erudito comperta non referam. Par si Principibus quibusvis stetisset animo cura, prædicaret nomen æternitas. Fridericus secundus Viennæ, Carolus Pragæ, Leopoldus primus Vratislaviæ, magna Europæ nomina, dum Sapientum domos fundârunt, Sapientes se testati vivunt post funera, dum triumphant sacraria. Exedit palatia dies, firmat contrà Palladia, & cum his nomen fundantis. Quidquid in sapientes confertur, æternitati litatur. Neque enim par cæteris sapientem terminus claudit.



QUÆSTIO IV.

De paſſionibus, & affectibus humanis.



Phœnicem miratur Arabs, quòd neſcia fati,
Victima utut Phæbo ſacra, perennet avis.
Hócne typo, & fato minor eſt Deitatis imago,
Mens? perit iſta? Cedrus, nec tamen umbra perit?

DOCTRINA ETHICA.



Ctum eſt de virtutibus, quæ omnes ſolis affectibus coërcendis viam ſuam exſerunt. Quorum fontes ſunt *dolor*, & *voluptas.* Propter illum enim ait Ariſtoteles 2. Eth. c. 3. fit, ut ab *honeſtis abſtineamus;* propter hanc verò contingit, ut *mala agamus.* Idcirco etſi per eundem Philoſophum 2. Eth. c. 9. *à voluptate magìs ſemper cavendum ſit*, utrique frænando virtus moralis intenta eſt. Nos de affectibus breviter, ùt ad rationis imperium directi hominem ſui ſtatûs non immemorem deceant, agemus: tametſi eosdem affectata nimiùm, & vel ideo cenſuram non evadente induſtriâ Carteſius tractatu ſuo perſequatur. *Oratores* porro de iisdem tractent ad motum animorum dictione

ctione conciliandum. *Medici*, ut valetudini consulatur congruo eorundem temperamento. *Physici* denique ortum & vim eorum dogmaticè referant.

§. I.

Pauca de Anima.

ANima tribus constat potentiis: *memoriâ*, *intellectu*, & *voluntate*; pulcherrima Divinæ Trinitatis forma & creatura. Hæc anima, quamvis de se in omnibus hominibus æqualis sit perfectionis, inæqualis tamen perfectionis actus in variis hominibus producit, v. g. unus meliùs, citiùs intelligit, &c. ex hac causa, quòd anima agat juxta dispositionem organorum, sanguinis, cerebri, &c. hæ autem sunt inæquales in variis. Spissior in aliis, in aliis tenuior; hinc etiam unus habet ingenium melius, velocius, &c. memoriam tenacem; alter habet ingenium instar pistilli, memoriam instar cribri. *Memoria* meminimus præteritorum, & in futurum veluti penu recondimus placita. *Intellectu* scrutamur, & penetramus, quæ volumus; & nisì impediti simus, v. g. somnô, necessariò semper aliquid cogitamus. *Voluntas* operatur liberè in actionibus suis. Et licèt *absoluta*, *naturalis* seu *Physica* necessitas tollat illi libertatem, non tamen eidem tollit necessitas *moralis*; cùm scilicet tantùm cum summa difficultate quis potest resistere. quia licèt sit admodum difficile, tamen manet absolutè liberum; & consequenter laude vel vituperio dignum, quod agimus.

Voluntas aliter dicitur *appetitus rationalis*, quia operatur propter rationem. Præter hunc datur etiam in homine *appetitus sensitivus*, quem habent etiam bruta, & qui operatur sinè ratione. Hic appetitus cum *sensu interno materiali* (qui præter intellectum spiritualem in homine datur) causat legem repugnantem rectæ rationi, quam Paulus vocat legem membrorum Rom. 7. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Quod & Aristoteles l. 1. Eth. c. 13. confirmat: in anima quoque ipsa est aliquid præter rationem, quod ei

adverſatur, & reſiſtit. Anima hæc, etſi una in homine ſit, varias tamen functiones pro varietate potentiarum, membrorum, &c. habet. Intelligit per intellectum, meminit per memoriam, vult per voluntatem. Videt in oculo, audit in aure, &c. Principes functiones ſunt: *creſcere;* & hinc dicitur *anima vegetativa*, quam habet homo communem cum plantis, & brutis. *Sentire;* hinc dicitur *ſenſitiva*, communis etiam brutis. *Rationari;* hinc dicitur *rationalis*, communis cum Angelis. De hujus animæ variis ſenſationibus, organis, &c. Metaphyſicæ ſuum cedo campum. Unum illud in ordine ad præſens inſtitutum noto:

Intellectus per ſuum proprium actum, qui dicitur *intellectio*, triplici modo intelligit. 1mus eſt *apprehenſio*, quâ nihil judicat de objecto, ſed ſimpliciter illud ſibi repræſentat, v. g. leo, animal, &c. 2dus *Judicium*, quo velut judex decernit, ſenſum ſuum de hoc objecto aſſentiendo, vel diſſentiendo, v. g. *leo eſt fortis.* 3tius *Diſcurſus*, qui ex magìs noto, alterum, quod jam minùs notum eſt, deducit per concluſionem, v. g. ignem ex fumo.

Voluntas pariter tripliciter tendit in objectum: 1. *per ſimplicem complacentiam*, quæ, ſicut apprehenſio in intellectu, non vult objectum propriè, ſed afficitur illi velut ſalutando, & delibando. Quò referuntur volitiones ſub conditione: *vellem, ſi*, &c. *nollem, ſi*, &c. 2. tendit *per conſenſum abſolutum* verbi, *volo;* vel *diſſenſum*, verbi *nolo;* hæc tendentia eſt ſimilis judicio intellectûs. 3. tendit *per volitionem unius ex alio*, v. g. amo proximum propter DEUM; hìc voluntas quaſi diſcurrit.

QUÆSTIO ETHICA.

An conſultiùs orbi, unâ omnes Gentes uti linguâ? ùt corpus animâ.

AFFIRMATUR.

CReato in delicias orbe, in dominatum homine, unitas linguæ fundata eſt, in pœnam ſtatuta diverſitas. Animal ſociabile innocuas in unitate ſenſit delicias; Babi-

Babilonis partus confudit. Illa germen elyſium, pacis filia; hæc belli ſeu germen, ſeu parens. Nectuntur unitate linguæ corda, dum cuilibet, ùt quærendi, ſic ſua pandendi ſenſa coram eſt occaſio: eò quidem charior ſingulis, quò difficilior ferè Pythagoræa eſt lex, non tam imperio, quàm rubore ignorantiæ. Quàm dulcis amicorum communio, quos moleſta hodie interpretum cura ſollicitat, ardori moras ſæpe injiciens, ſæpe etiam ſeu arcanorum, ſeu amorum participem non patiens! Major conſulentûm felicitas, dum, quæ alieno ſæpe aut oculo, aut ſenſui credi oportet, judex ipſe confeſtim ediſcit. Firmiora amicorum fœdera, quæ hodie aut tardat oratio diſpar, aut certè nimiùm quantùm infirmat. Odio ferè alienus eſt ſanguis, & ſermo; & aſperior vix homini vita, ac alienos inter animos, alienâ quoque linguâ utentes. Exilium credas tædium, quod peregrino in ſolo inſcitia linguæ imponit: rubore proprio, riſu non rariùs alieno. Ars equidem non rara hoc ævo, malo huic ſuccurrere, & capaci memoria cum Mithridate plurimarum etiam gentium linguas mandare. Ampliùs colitur Princeps, ſuorum ipſe ſubditorum ſenſa intelligens; & patriam ubivis reperiat, quem domeſticum facit linguæ conditio. Non tum vitiandæ interpretationis periculum, procul adſtantium ſibilus, procul cura animi ſemper quàm maxima, atque adeò procul vetus calamitas. Ah! quis tantâ memoriæ gloriâ, qui non dicam Mithridatem, triginta gentium Dominum, totidem linguarum gnarum æmulari aut poſſit; aut ſi velit, ſufficiat tot linguarum centuriis? Quæ amabò ætas, quis ſenſus par oneri? Uni huic labori totam ſi ætatem conſecres, vix à limine balbus diſcipulus audias. Meliore fœnore grande illud æternitatis depoſitum, tempus, locandum. Non conterendum, nè dicam, peſſumdandum, eo fructu duntaxat, ut, dum in ſingulis proficit mens, ipsâ rerum copiâ ſibi moleſtiam cauſante, aut cuncta vel nolenter confundat; vel certè decumano labore theſaurum hunc partum conſervet.

Negatur.

NEmo inter homines adeò expers, aut mentis, aut luminis, quin noverit nîl inter mortalia charius varietate, nîl orbi eâdem illuſtrius. Lucullana, aut Tiburtina conſule theatra; amores conciliant, quia fontium, florum, & nemorum jucunda æquè, ac innocua in iis ludit varietas. Faſtidio eſt perennis rei ejusdem in cibis, cultu, & ſermone communio; varietas, quòd paræmia veteri, ferè comitem habeat venuſtatem; innocentes parit delicias. Naturam rerum Magiſtram ſuſpicimus, docet illa, ſe ipſam fatiſcere, ſi perenni ſibi cæli curſus conſtet aut pluviâ, aut ardore. Si ubivis placeat varietas, cur ſola in linguarum multiplicitate diſpliceat? Aliud varietas eſt, aliud confuſio. Eſto; principia linguarum errori, & culpæ ſint danda; pretium tulêre multa cum tempore, quæ culpata initio. Urbes hodie, Provinciarum præſidia, cæpêre à latrociniis. Ut harmonia vocibus diverſis, ſic ſuavitas mentium linguarum oritur variarum conſenſu. Sæpe etiam ipſa ignotæ vocis peregrina placita ſui acuunt deſiderium; ùt peregrina placent ferè, rapiúntque. Humanæ menti exercendæ, ac ſummis quibuſque aptandæ nîl congruum magìs, linguarum plurium ſtudio; quo ſolo, ùt ſinè æmulo virtus, flacceſcat memoria oportet. Dum contra, quos vili cum ſanguine ſors ad mapale damnâſſet, vel interpretes in aulas Principum delegit linguæ notitia, vel conſiliorum fecit arbitros, fæderum belli, pacíſque Judices, atque adeo ſalutis publicæ vindices inſignivit. Felices, quia tot viris, quot linguarum pollent notitiâ, Reipublicæ commodo ſuppares, cælitum æmuli, ſinè arcani periculo ſua ei ſoli pandere ſenſa poſſunt, cui dignitas Reipublicæ poſcit, fides ſuadet: non ſecus, ac ſi arcanis notis literas palam crederent, admirationi magìs futuras, quàm uſui. Natura parens non eâdem nobis voce aves jubet occinere: futuras tormento, ſi ubivis vox una perſtreperet. Par ſæpius eſt fatum animorum, quos, dum varietas nectit, terrarum ſæpius, ac Regionum ſtudio alienos à Patriis cultus, ac mores averſaretur.

§. II.

§. II.

Nonnulla de varietate complexionis humanæ, seu indolis.



Vox animi pictura tui est; hanc consule, si vis
Nôsse, habitétne tuos agna, lupúsve sinus.
Fallere nulla diu potuit; si prima fefellit,
Proditur extremo, quæ sit, & unde, sono.

DOCTRINA ETHICA.

INdolem hanc, quæ ex temperamento, ùt Medici loquuntur, ortum suum ducit, cùm ad passiones ipsas mirum quantum conducat, sic paucis expedio, quòd sit: *nativa propensio, seu inclinatio ad talem potentiarum usum, seu appetitus talium morum.* Contingit enim aliquos facillimos esse ad omne bonum, & hos dicimus *animam bonam* esse sortitos. Alios videmus ad iram, & omne malum proclives. Hæc indoles non est à sola anima rationali, ùt eruditè notat cum Aristotele Fabri hìc p. 2. n. 3. eò quòd anima ad omnes hos motus de se sit indifferens, sed ortum sumit ab organorum dispositione, & fibrarum facilitate, dependenter à quibus anima operatur. Sic ad hilaritatem, & voluptatem inclinant, qui de se facilè amant voluptatem, ob fibras ad hæc dispositas.

Dispositio verò hæc habetur à temperamento in quovis homine, puero, vel adolescente, viro, vel sene. Temperamentum recentiores passim explicant per *commixtionem*, seu *complexionem*, Quæ fit remotè quidem ex 4. qualitatibus miscibilibus, *flava*, & *atra bile*, *pituita*, & *sanguine*, ità quidem, ut quæcunque harum qualitatum in homine superet, illa deinde det denominationem v. g. sanguinei, melancholici, cholerici, phlegmatici. Sanguinei sunt calidi, & humidi. Biliosi, calidi, & sicci. Melancholici sicci, & frigidi. Phlegmatici frigidi, & humidi. Temperamentum optimum est, si frigidum à calido, & siccum ab humido modicùm superetur.

Præter hoc indolem causant etiam *Parentes*, quorum sanguis in liberis est. 2*dò Nutrices*, bibitur enim cum lacte venenum. *Mella puer sugit, sugit cum lacte venena: ista ferum reddunt moribus, illa probum.* 3*tiò Educatio*, quæ dicitur altera natura. Ad quam refertur clima loci, in quo degimus *Cibus*, quem sumimus. *Tempus*, quo vivimus. 4*tò Adversitates*, & *morbi*, quæ morosos faciunt homines. 5. Sexus ipse. Cæterùm, naturam seu indolem lapsu temporis mutari mutato temperamento, experientiâ constat in pluribus, ùt v. g. qui hilarioris sunt genii, in morosissima entia cum tempore mutantur. Præsertim verò contingit illud per habitus acquisitos, de quibus dicitur: *consuetndo est altera natura*, cùm aliquis videlicet sæpe speciei alicujus actus exercet; quia videlicet, cùm per actus tales disponantur organa ad facilitatem similium actuum plurium, oritur habitus; & sic contingit aliquos fieri, v. g. iracundos per frequentationem iræ. Iste habitus iræ acquisitus naturalem inclinationem sæpe mutat in melius, illum frænando; nè juxta beneplacitum erumpat; sæpe autem depravat.

Curiositati ut serviatur, quamquam cum Socrate, & aliis Sapientibus censeam, ex phisiognomia, seu vultûs aspectu sæpissimè fallente non posse cognosci hominis complexionem, si scilicet hæc rationis fræno compescantur: Inclinatio tamen ex his frequenter conjici potest non modicè. Si quem videas pro ætate sua corporis validi, carnosi, faciei rotundæ, & rubicundæ, capillo nonnihil cri-

spo,

ſpo, ſubflavo, & molli, ſtaturæ item majoris, vocis firmæ, velocioris motûs, & linguæ, *Sanguineum* ùt plurimùm eſſe pronuntia. *Cholericus* è contrà mediocris fermè ſtaturæ, vel parvus, & macilentus. Capillos ferè criſpos, & retortos, vocem reſonantem, & elatam, faciem vel ſubrubram, vel citrinam, vel ſæpe bilioſi morbi periculis ſubjectam.

Phlegmaticus vaſti communiter eſt corporis, & pinguis. Rarioris capilli, & mollioris. Faciei modeſtæ, & ùt plurimùm quietæ, nè tædio motus ſibi crura confringat. Venas habet anguſtiores, pulſum tardum, quem multo ſumine præpeditum vix advertas. Sudoris eſt multi.

Melancholicos natura fingit ſtaturæ ferè majoris, vel certè macilentos inſigniter. Crine denſiori, & nigro. Facie & cute ſquallidos. Inceſſu reſtudineo, vultu, & capite inſtar umbræ terram ſpectante. Pulſus eis ſubdurus; invidiâ, & triſtitiâ laborant.

Fronte, oculis, vultu mendacia ſæpe leguntur, bene canit Poëta. Certiora ſunt complexionis indicia inclinationes ipſæ: ſic inordinatè Sanguineus cibos, & convivia amat. 2*dò* ſi copioſiùs bibat, ſecreti ſervandi eſt impotens, inſtar bullientis aquæ ſua, & aliena pandit arcana. 3*tiò* ad choreas proniſſimus, ut videat ùt minùs, ſi exercitium negetur. 4*tò* curis moleſtis ſe minimè fatigat, genio ubique indulget, in arduis promptus, ſed ùt primùm difficultatem advertit, deſiſtit ab illa. 5*tò* moribus levis, & inconſtans. Multa proponit, pauca præſtat. 6*tò* Seria in jocum vertit, ſibi placens, ſe non ſinè admixtis mendaciis laudat, útque aliis placeat, ſollicitè curans. 7*mò* Melancholicos non ſinè ſale traducit; unde ſi rerum potiatur, morionibus carere nec poteſt, nec vult. Vexari tamen non facilè ſuſtinet, ut verum ſit illud: tange montes, & fumabunt. 8*vò* Pronus in amores; amare, & amari blanda illi eſt Muſica; veſtitu ornato gaudet, comit ſe ſtudiosè inſtar fæminæ toto habitu. 9*nò* Purè ſanguinei non magnam boni nominis curam præſeferunt. 10*mò* verecundi ſunt, & ideo cogitata, & ſenſa non pandunt libenter. Rariùs etiam iis, quibus deceret, plenè ſinceri.

11*mò*

11*mò* exiguæ ſunt prudentiæ in ſe ipſis regendis, affectibus abripiuntur, præſentibus fruuntur, de futuris nil ſolliciti; maximè ſi hæc illis moleſtiam aliquam adferant. 12*mò* nisì bilem mixtam habeant, ſcientiarum non multùm capaces ſunt; unde communiter pingueſcunt, & , cúm craſſioribus cerebri humoribus abundent, pinguioris Minervæ ſunt troſſuli. En tibi ſynopſim:

Largus, amans, hilaris, ridens, rubeíque coloris,
Cantans, carnoſus, ſatìs audax, atque benignus.

Cholericus, prædominante in ipſo calore cum ſiccitate, ad hæc ferè proclivior eſt: 1. ad graviorem iram, ſæpe & rabiem, quâ, ſi in alios ſæviendi copia deſit, ſibi ipſi non parcit, mordens ſtultè brachia, capillos evellens, caput parieti illidens. 2. Vindictæ clàm, aut palàm cupidus, ità, ut ſi eum offenderis, ægrè admodum in gratiam redeas cum eodem. 3. Audax, & ferox eſt, præceps in concludendo, & exequendo, quorum ſubinde pœnitet, poſtquam acta ſunt. Plus impetu, quàm mediorum delectu agitur in ſuas intentiones. 4. Gloriæ non leviter ſtudet. Unde aliorum fortunæ, gloriæ invidet; imò conatur eandem vel impedire, vel certè minuere. 5. Amicus conſtans eſſe neſcit, facilis transfuga ab amico, præſertim, ſi gloriæ, honoris, aut fortunarum inde ſperet augmentum. 9. Subdolus eſt. Diſcordias, & rixas ſomniat. Suſpicionibus agitur, & ſi conjiciat de aliquo aliquid etiam falſum, meram ſe cenſet habere ſcientiam æternæ veritatis. 7. Mendax eſt facilè in iis, quæ ſibi gloriæ ducit. 8. Multùm garrulus, & plurium verboſum ob ingenii, & memoriæ vivacitatem, & tantâ abundat loquendi copiâ in converſatione, ut ſolus loqui volens, vix alios loqui ſinat; ſtentor magìs, quàm locutor. 9. Prodigalitatem, ebrietatem, compotationes diligit, vinóque ob bilis copiam facilè ſuccumbit. Unde ferè rixoſus. 10. In conjugio ferè imbellis, regitur, & gubernatur à fœmina. 11. Indomitus, & non raró impoſtor. 12. Sibi ſoli ſapiens. Verbô: Cholericus.

Fallax, iraſcens, hirſutus, prodigus, audax:
Aſtutus. gracilis, ſiccus, croceíque coloris.

Melan-

Melancholicos ſiccitas, & frigus prædominans his reddit obnoxios. 1. Solitudinis, more ferarum, & buborum amantes ut ſint. 2. Scrupulis, & tentationibus admodum anguntur, unde proverbium vetus eſt: *recreatio dæmonis eſt melancholicus.* 3. Illicitas magias facilè complectuntur. Unde vultus plerumque teter, & horridus eſt. 4. Vehementi laborant phantaſiâ, unde non rarò delirant; & ſe, vel DEUM Patrem, vel Angelos, vel mortuos, vel aliud quidvis ſtultiſſimè, & pertinaciſſimè credunt. 5. Facillimi ſunt ad deſperationes, & laqueum ſibi injiciendum. 6. Suſpicionibus pleni, credentes ſe ab aliis deſpici, timentes, nè decipiantur, Zelotypiæ plurimùm dediti. 7. Duri capitis, & intractabilis, judicii tenacis, ingenti gloriæ calcari laborant: his proprium eſt: *qui volet ingenio cedere, nullus erit.* 8. Invidi, & triſtes de aliorum ſucceſſu, carpunt omnia. 9. Parci, avari, Eucliones, ad minutiſſima rei domeſticæ advertentes, etiam quisquilias, & ſcruta. 10. Per cuniculos ſupplantant alios, ſi in propriam cedat gloriam. 11. Rigidi in alios. 12. Aulicarum cærimoniarum oſores acerrimi, quia ineptiſſimi. Quid multa? melancholicus ferè:

Invidus, & triſtis, cupidus; dextræque tenacis;
Non expers fraudis, timidus, livénsque colore.

In Phlegmatico, ubi frigus, & humor prævalet, hæc reperies: 1. Somnolentiam, & laboris fugam. 2. Sedulam ventris opiparè habendi curam. 3. Animum reſolutionis nullius, inconſtantiam in propoſitis. 4. Timorem, & puſillanimitatem, ità ut terrore in omnia inducatur. 5. Ineptitudinem ad artes, & ſtudia. Ad Ethicam ineptitudinem ſummam, maximè ad Politicam partem: bonus civis, conſul peſſimus. 6. In converſatione tacet, aut vix loquitur, nisì ventre bene paſto. Denique.

Hic ſomnolentus, piger, & ſputamine multo,
Eſt hebes huic ſenſus, color albus, buccáque pinguis.

Illud tamen hìc obſerva: non eſſe neceſſe omnia hæc ſigna, ſeu inclinationes in unum convenire, ad hoc, ut hujus, vel illius naturæ quempiam eſſe judices; ſed ſatìs eſt, ſi plura quis habeat; præſertim ſi cæteris hæc majora ſint, & potiora.

QUÆ-

QUÆSTIO ETHICA.

An ex forma ſapiens de virtute animi feratur judicium?

Affirmatur.

RES mira ſemper virtus eſt. Nihil igni ſimilius, ſplendore, gloriâ, ductu exempli. Celari, dum maximè petitur, poteſt minimùm; àdeo repaguli, adeo fuci ipſius impatiens. Gaudet publico, ùt publici causâ à benigno Numine conceditur. Excubat in medio tibi pulchra modeſtia vultu, Protheſim ponit Vates. Apodoſim continuò addit: Virtutem Dominam quis neget eſſe domi? En, quàm legitimâ concluſione arguit, quaſi certiſſimum mentis pondus ſit vultûs, morum, formæque indicium. Si quem aliàs inter homines, temerarium dedecet eſſe ſapientem. Ut cujus verba oracula, geſta omnia viva ſint regula. Quid porro temerarium magìs, & inſolens, quàm eo ipſo, quod natura certiſſimum vult eſſe ſpeculum, formâ, inquam, & habitu non metiri aut virtutes, aut vitia? Aut ſimplicem enimverò genium ſibi creditum habeat, qui non è colore, & ductu pretium iconis; aut obtuſi ſit cerebri ingenium, qui non, ùt vidit, noverit & de corde ſentire. Rarus profectò, qui ſic aſtutam geſtat ſub pectore vulpem, ut non aliquo ſui indicio, aut vultu ſe prodat, aut moribus. Julianum, illam Orthodoxæ fidei peſtem, & propudium, Apoſtatam fore quondam ſapienti Gregorio quid, nisì vultus acerbior, ſuperbâ calce terram proterens greſſus, elatior humerus, vox inſolentior notavit? Nec ſinè Numine, quia non ſinè mali eventu. Atque erràſſet utinam! Felici complurium errorum, & damnorum impendio error unus redimeretur. At contrà, ut taceam ſexcenta: Ottomannicæ Portæ legatum quid coram Leopoldo I. quondam parvulo ſic attonitum reddidit, ut né verbulum quidem proloqui, utut cuperet, poſſet barbarus, unius in ætate exili Principis vultum intentum? Virtus, ajebat, & Majeſtas vultu ipſo ſignata; quâ quantus olim Orientis maſtyx futurus ſit, certis indiciis

ciis præſagiebat. Felicem Auſtriam! felices nos! quia vel ab hoſte aruſpice veritatem noſtris commodis edocti ſumus.

Negatur.

INdigna res ſapiente architecto, fundamento vili molem; indignior ſapiente, fallenti veſtigio pondus grave committere. Parem igni virtutem dotibus eſſe compluribus, nemo dubitat. At, ô quoties fatuis ignibus luſa eſt oculorum credulitas. Lucent hi exiguo tempore, incerto limite, ut fallant nempe, non ut ducant. Stellio non unus inter homines eſt, aut genius, aut ingenium. Sæpe, quod leo nequit, vulpina tentat cauda. Virtuti aſtus obtenditur. Non unam hoc in theatro luſit fabulam dolus. Proteum unum cenſuit antiquitas, legiones hodie deflet priſcus candor, quos nè Momus, aut Argus ipſe ſat judicet perſpicacìter. Adeo dextro ſidere Mercurium ſæpe ſtipes, ùt acerbiſſimum vinum hedera quàm amæniſſima mentitur. Minoëm orbi redde, & ſi vultûs, ſi morum, ſi vocum tornata ſpectet veſtigia, non uno nomine operam ludet. Adeò vulgaris, unà & religioſus hodie eſt habitus mentiendi. Vulgaris frequentiâ, religioſus arte diſſimulandi. Libet paſſim præferre, non quod licet, ſed quod libet. Libet autem pro conſuetudine, quod expedit pro opportunitate. Ut Jupiter quondam jam Aquilam, jam bovem doctus eſt ſimulare. Mendacium vivens cupis? vultus aſpice, & formas hodierni ævi. Id unum paſſim conſentire fateberis, diſcordiam vultûs, & morum. Gaudet videri, & dici ùt minùs, quod eſſe nequit fraus. Pretiúmque id operæ ſatís habet, credulis impoſuiſſe. Et hic tamen colori ſapiens ſuam det fidem? temerarius nunquam ſit, at neque præceps. Errori obnoxium non faciliùs ullum numeres, quàm id hominum genus, cui color, vox, geſtus dum ſuadet, jam perſuadet. Ut amicus nemo, nisì modio ſalis; ſic virtutis calculum nemo à te referat, nisì quem præter cultum, teſtes meriti ſequuntur opera. Animus, non color; geſta, non verba germanæ ſunt ſententiæ baſes. Si corticem ſpectes, aut pallium, illo nucleum, hoc Philoſophum vilem cenſebis. Medulla pretium

tium habet. Hanc rimare. Sæpe, cui gratiæ in orę minimùm, plurimùm deberi edices. Videri non geſtit virtus, ſed eſſe. Sui conſcientiâ beata. Hâc correctus quoties, quem vultus vitioſum notat, ſi dotes animi ſpectes, ſuper Ganimedem omnem extolles. Affine virtuti vitium eſſe non poteſt merito ſui, colore conatur. Serpentem in herba latentem nonniſi cautus reperias: imò nunquam, nisì caudam, quam ſtudiosè celat, ſentias. Poſtrema hæc eſt corporis ordine, prima nocendi intentione. O errorem! data homini ratio, negata brutis. Celat ille ſe, pandunt hæc. Credas datam illi, ut ſe & alios perdat; negatam his, ut ſe & alios ſervent.

§. III.

Quid paſſio in communi? Numerus paſſionum, & finis. An bonæ, vel malæ?



Ditat Erythræas, dum concitat, Æolus undas,
  Quaſſa Noto melius ſtat quoque quercus humo.
Paſſio ſic animum ſapientis firmat, & auget;
  Eja age! militiæ da documenta tuæ.

Do-

DOCTRINA ETHICA.



Um inclinatio ad certas paſſiones multùm ex temperamento ſeu complexione oriri poſſit, ad particularia devolvitur ſeries. Nota ergo, aliud eſſe *paſſionem*, aliud *affectum*. Affectus enim eſt in parte *rationali*; paſſio eſt in parte *animali*; licèt paſſio & affectus ideo ſumantur pro eodem, quòd, dum paſſio in parte animali oritur, ferè etiam in rationali parte oriatur affectus.

Paſſio ergo hìc ſignificat non dolorem alicujus ſensûs, vel receptionem alicujus formæ, vel proprietatem rei amatæ; ſed eſt *motus, ſeu actio immanens appetitui ſenſitivo, ex apprehenſione boni, vel mali ſenſibilis cum aliqua alteratione, & immutatione non naturali.* Ità communis cum Ariſt. 2. Rhet. c. 1. S. Damaſc. apud Eſparrz. a. 6. Dicitur *actio*, quia per paſſionem, licèt patiatur appetitus, tamen etiam agit ſe movendo in bonum vel malum. Dicitur *appetitûs ſenſitivi* ex apprehenſione, cùm, ùt dictum eſt, paſſio ſit in parte animali, & ideo detur etiam in brutis. 2. Eth. c. 5. & quia dum phantaſia proponit objectum bonum, vel malum, ſequitur naturaliter appetitus; ſeu deinde bonum illud ſit *moraliter* bonum, ſeu non. Et hinc, ſi pugnet bonum cum lege rationis boni, oritur pugna inter partem inferiorem ſenſitivam, quæ rem ſenſui gratam eſſe putat, adeóque proſequendam; & inter ſuperiorem, ſeu rationalem, quæ rem lege DEI vetitam, noxiam animæ eſſe videt, & ideo ſuadet vitandam. Quanquam etiam intellectus & voluntas ad continuandas vel procurandas paſſiones faciat, dum ſcilicet fovet apprehenſiones phantaſticas, & hoc dicitur motus *deliberatus*.

Dicitur demum cum *alteratione non naturali*, quia paſſio, cùm ſit paſſio corporis, & actio appetitûs: paſſio corporis eſt per hoc, quòd debita cordis conſtrictio, & dilatatio non ſervetur, dum oritur paſſio; ſic in lætitia dilatatur cor; in triſtitia conſtringitur. Licèt juxta Raynaud. diſtinct. 3. Qu. 1. magìs noceat conſtrictio, quàm dilatatio cordis, & ideo dicitur triſtitia eſſe magìs paſſio, quàm gaudium. Fieri etiam teſte Fabri l. 3. de hom. p. 42. poteſt,

teſt, ut vehementia paſſionum ad inſaniam hominem moveat; quia ſcilicet etiam cerebrum, quod habet naturalem cum corde connexionem, vehementer movetur per paſſionem, præſertim propter phantaſiam, quæ prælucet appetitui.

Propter varietatem objectorum varium diverſi numerum ſtatuunt paſſionum. Cum communiori 11. eſſe judico. *Amorem*, *Deſiderium*, *gaudium*, *odium*, *abominationem*, *dolorem*; & hæ ſunt in appetitu concupiſcibili. Cæteræ ſunt in iraſcibili, videlicet: *ſpes*, *deſperatio*, *audacia*, *timor*, *ira*. Aliæ inter has juvant movendo in objectum; aliæ removent impedimenta. Amor præcedit omnes, quaſi anteſignanus omnia ad finem diſponens. *Triſtitia*, & *delectatio* alternativè ferè terminant paſſiones, ità Philoſophus l. 2. Eth. c. 5. Eſparza cum Piccol. his addit duodecimam: *lenitatem poſitivam*. Illud certum eſt, plures ex his paſſionibus in eodem ſæpe homine reperiri, & ideo difficulter unam diſcerni ab altera. Ex his aliæ ſunt *finitæ*, quæ habent menſuram, quâ ſaturantur; v. g. appetitus bibendi. Aliæ *infinitæ*, quæ non habent terminum; v. g. ambitio. In primis minùs peccant bruta, quàm homines: quia illa naturam paucis contentam ſequuntur; neque enim equus ultra appetitum edit, aut bibit; hominis (quod fædum eſt) malitia terminum neſcit ingluviei. Aliæ demum paſſiones ſunt ſibi contrariæ, v. g. amor odio, &c.

Finis paſſionum proximus eſt *adeptio boni ſenſibilis*, *vel mali abſentia*. Remotus eſt *Conſervatio animalis*. *Naturaliter* paſſiones ſunt potiùs bonæ, quàm malæ, nisì quis violentiâ ſuâ lædat temperamentum. *Moraliter* verò ſunt ad bonum, & malum indifferentes. Unde Ariſt. 2. Eth. c. 9. ait: affectus, neque virtutes, neque vitia ſunt, quia ex affectibus neque mali, neque boni dicimur, ſed ex virtutibus, vel vitiis, prout ſcilicet recta ratio affectibus utitur. Præſertim verò intelligendum illud eſt de indeliberatis motibus concupiſcentæ, de quibus ait Scriptura 2. Cor. 12. *virtus in infirmitate perficitur*. Bernardus verò ſuper idem: *non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus* Unde non mirum, quòd etiam in Sapientes, & ſanctiſſimos

mos paſſiones cadant. Quis Chriſto ſapientior, & ſanctior? & tamen Matth. 26. *triſtis*, ait, eſt *anima mea uſque ad mortem.* Quin imò ſcientiam, & ſanctitatem vel idipſum auget, ac teſtatur, quòd involuntarios hos motus naturæ ratione compeſcant. Quod quivis præſtare poteſt, quantumvis vehementiſſimam naturæ nactus ſit indolem, modò violentiam ſibi inferat, quâ dominatum animi, tum etiam finem ſuum ultimum conſequatur. Ad quem aſſequendum licèt aptiores ſint, qui paſſionibus minùs vehementibus ſunt obnoxii, quàm ii, qui majoribus; ùt cum Ariſtotele cenſet Ptolomæus. Differt. Eth. 14. N. 19. Datur tamen virtutum heroicarum his campus quàm optimus, qui aſperiores nacti ſunt paſſiones, & via aſperior ad finem eundem, quem ſuâpte naturâ facilè aſſequuntur, qui, quæ honeſta audiverint, illico complectuntur.

QUÆSTIO ETHICA.

Unde major Spes, à præcoci, an à tardo ingenio?

PRO PRÆCOCI.

AQuila princeps volucrum ſiii aliò dominatum teneat meretur pernicitate. Deſiderio contabeſcit animus, dum dilata coquit conſilia; quæ ſi, ùt ratio juſſerat, tentâſſet, conſolatione diffluerет. Mittenda in ſegetem falx, nè ſolâ ſpe cibi lactatus, fame pereas miſer. Si votis duntaxat te paſcas, manum operi non admoveas, ſterilitas tibi ſupererit, doloris compendium, & vecordiæ teſtimonium. Celeritatis præmium ferme gloria eſt: quæ non ſecus, ac fortuna tardantes ſi non fugit, certè fallit. Inviſa felicitati vox eſt *mora*, vel *craſtinum* Idem enim ferè eſt nolle, aut ſerò velle. Ut Divino teſte calamo: vult, & non vult piger. Meritò Lucanus quondam: Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis. Si cantam petis: aura dum favet, dum aſpirant venti, dum longè tempeſtas eſt, emetienda ſunt maria: nè pœnitentia ſera occaſionem fronte capillatam, ſed elabi permiſſam excipiat. Quidquid laude dignum, donec ad apicem perdu-

ctum, ſiſtendum eſt nunquam, aut differendum: nè ſors infelix moram excipiat, atque adeo fama tui cantet ludibrium: imperfectum eſſe opus, quia dilatum. Romam ſpecta, crevit opere, non conſiliis ſegnibus. Si qua Regum dos propria, faſtigio eorum digna gloria, eſt executio facilis, & alacritas; tarditas, quia lento nititur gradu, ſervos decet, & teſtatur. Repat teſtudo humi, emetietur leucas ſiderum Princeps. Sol Regno Princeps eſt. Illius lumine orbis, hujus conſilio regitur, ſervatur, beatur. Da ſoli tarditatem, da eandem Principi: quæ tum orbis fata? languore torpeſcent omnia. Ampliſſimæ, ùt ſunt regnorum curæ, ipſo rerum pondere, & affluxu novorum, quid niſì negliguntur dilatæ? eo fænore, vix reſtaurari ſæculis ſæpe integris poſſe, quod hora neglexit. Tu ergo, ſi gloriam, ſi Rempublicam diligis, matura delige. Quæ lenta cuduntur, tametſi grandia ſint, aut executionis difficultates patiuntur, obicem ſtatuente vel hoſte, vel invidiâ; aut certè ſucceſſus ſi habeant, æſtimatione & amore carent aliquo, quia expectationem non prævertunt. Inexpectata duntaxat admirationem cient; & quod conſequens, ſi utilia ſint, etiam amorem.

Pro Tardo.

PRæcoces fructus ferè aut diuturni minimè, aut nocivi. Afficiunt novitate ſenſum, non fovent, aut roborant vires ſoliditate. Ut ætas, quæ præſipit, rarò ſapit tum, cùm max.mè oporteret. Hebetatur nempe præcoci partu vis ingenii, ac ſpiritûs, aut extinguitur penitùs. Vero illo Poëtæ: hunc tantùm terris oſtendent fata, nec ultrà eſſe ſinent. Laudo proinde alacrem, præcocem nunquam. Celeritas illum commendat, hunc temeritas reddit culpabilem. Celer eſto ſemper, nunquam præceps. Alas magiſtra rerum natura negavit homini, tametſi Princeps ſit orbis, pedes dedit; ut doceâre, nec volandum eſſe homini, nec repeudum. Sagitta eſto terminum petens, in quem priùs conſultò librata, neque tamen ſolis alis inſtructa, quibus auram permeet, ſed & ferro armata, quo velocitati pondus adſit moderatio. Faveant

quàm

juàm maximè venti, inflentur carbafa è fententia, nunquam urgentibus velis fpolium datur navis, fæpe curfui moram navarchus injicit, nè præcox favor in præcipitium torqueat. Commendatur Bucephali pernicitas, fræno ducene opus erat, ut virtutis teneret apicem hoc uno, quantúm velocior cæteris, tantúm fui à ruina fecurus, quia duce non carens. Securius à periculis ingenium tardius, uia non tot æftibus; quot præcox, obnoxium, neque deò eft procellofum. Audet illud, fed quia temerè, feè infeliciùs; aut fi felix, eventu magìs, quàm confilio. Audet & hoc, fed quantó feriùs, tantò tutiùs, fuo, & Reipublicæ commodo. Summa ferè ingenia, ùt Seneca efte, mixturâ ferè non carent ftultitiæ; fic modum nefciunt. Ipfo ferè apice, quo prodeffe deberent, Reipublicæ damnis obnoxia. Ut alta ventis pervia, fic ferè inquieta, & factionibus ùt minùs, fin excidio nata. Quid intereft, an ingenti cerebro momento des confilia Principi, quæ tardum ingenium ftudio, & conftanti curâ magìs excoxerit; aut certè fin eadem exequi detur, executioni magìs conformia fuadeat, quàm præcoci imaginationi?



QUÆSTIO V.

De paſſionibus in particulari.

§. I.

Quid Amor?



Dic, quid amor? Vis nôſſe? Amor eſt. Reſponſio, & idem eſt
Quæſtio: ſic duo ſunt, & ſimul unus amor.
Hoc ænigma capit, qui, quid ſit amare, probavit.
Námque ubi verus amor, ſolus ibi eſſe nequit.

DOCTRINA ETHICA.

AMor, blandum illud, ùt nominat Petrarcha, & commune omnibus venenum (ſi de illo agamus, tam ùt affectus, quàm ùt paſſio eſt) alius eſt *naturalis*, quo amatur res, in quam naturaliter inclinatur appetitus, v. g. lapis in centrum. Alius eſt *animalis*, ùt brutum amat pabulum prævià apprehenſione ſenſitivâ. Hic amor ſi ſit vehementiſſimus, ùt fieri ſolet in amore carnali, dicitur *furor*. Unde amantes ſæpe facilè amentes. Alius eſt *ſpiritualis* prævià cognitione naturali, & hic eſt voluntatis amor. Hic amor ſi concipiatur ex inſtituto & fine Divinæ fidei, dicitur *superna-tura-*

turalis. Rurſus amor alius eſt *amicitiæ*, qui bonum vult alteri, quia ipſi amanti bonum eſt, v. g. pauper divitias optat liberali homini, ut ſtipem acquirat.

In communi ex D. Thoma eſt amor *quædam coaptatio potentiæ appetitivæ ad bonum alicui conveniens*: ità quidem, ùt ex Ariſtotele 2. Rhet. l. 4. *conetur amati bonum efficere, quantùm poteſt.* Tametſi dulcis hæc mors in toto reſideat corpore, cordis tamen penetrale præ reliquis occupat, unde per fibras diffuſus amor, partes omnes occupat, & quodam calore accendit. Hinc illud vetus ſinè metaphora: *ſi bonus, ardet amor.* Cauſa amoris princeps eſt *ſolum bonum cognitum. Bonum* quidem, quia id ſolum eſt velut convenienter appetibile. *Cognitum* verò, quia nihil volitum, nisì præcognitum. Et licèt cognitio hæc ad amorem ſe tantùm habeat per modum cognitionis, ità ut ſolum bonum ex ſe amorem moveat, cognitio tamen eſt conditio, ſinè qua non moveret hoc objectum ad ſui amorem.

Ad hanc cognitionem excitandam, quia pulchritudo oculos alliciens, & delectans plurimùm conducit, ideo Platoni amor dictus eſt *appetentia pulchri;* ſic tamen, ùt bene diſtinguit Eſp. q. 8. a. 1. ad 3. quòd pulchrum neque intendat amans, neque poſſidere cupiat de ſe, bonum verò ratione ſui intendat, & amet illud. Nihilominus D. Thomæ 1. 2. q. 27. verum eſt dictum: quòd *pulchrum* addat ſupra bonum hoc, videlicet, quòd dicat ordinem ad vim cognoſcitivam. Dum ſcilicet per oculos, qui ſunt amoris feneſtræ, visâ pulchritudine excitatur cognitio, & inde amor oritur. Unde illud Poëtæ: *ùt vidi, ùt perii.*

Si quæras: quid ſit pulchritudo? Sentio cum Ariſtotele 7. Phyſ. c. 12. quòd ſit *relatio quædam ad illud, quod amat;* prout videlicet ille diſpoſitus eſt, & rem amatam cognoſcit. Hinc fit ſtultè amari multa, quæ aliis meritò inviſa ſunt, quia ſibi ſcilicet lepidè res aliquas nonnulli proponunt: & tamen, quiſquis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam. Hinc orta paræmia: *de guſtibus non eſt diſputandum.* Pulchritudo *Corporalis* reſpectu oculi per Philoſophum 13. Metaph. c. 3. eſt *ordo, menſura, & definita moles partium in toto* per colorem & figuram, v. g.

facies decora. Reſpectu *aurium* eſt harmonia ſoni acuti, & gravioris. *Moralis* eſt actionum compoſitio, & modeſtia. *Supernaturalis* eſt rerum Divinarum. Philoſophus ſi Platonem dicentem audiat: pulchrum *Creatum*, eſſe *fulgorem ſummi boni;* optimè fecerit, ſi amet *ſummum pulchrum* (Deum) quod eſt undique bonum ſinè admixtione ullius mali.

QUÆSTIO ETHICA.

An ſuavius, & optabilius amare, an amari?

AMARI.

QUàm communis amor, tam frequens lamentum eſt: diligor heû modico, qui totis diligo flammis. Utrum verò hæc inter optabilius, amare, an amari? mira quæſtio. Nemo inter homines ſumma non petit; & vel ideo arrogantiâ menti congenitâ alienum excutit frænum. Latere neſcit cum flammis animus, cui charior ſemper poteſtas regendi, intolerabilis contra eſt neceſſitas ſerviendi. Miſerabilius nullum eſt alieni arbitrii mancipium amante. Infelix, quòd tantò fædiùs, quò abjectiùs ſui idem tortor & carnifex. Lanienâ eò magìs miſerandâ, quòd vincula conſultò injecta quantùm gravant, tantùm amantur. Ceſſet ratio, ubi hæc tyrannis animum tenet, quam nulla ſæpe frangat barbaries. Suam ipſe vitam neſcit, qui, quantùm vivit, tantùm ſoli vivit amato. Quid intereſt, auro vinciâre, an ferro, ſi compes libertatem præpediat? Ut quondam riſus à Diogene Ariſtippus, quòd aureis aulæ compedibus alligaretur, nè avolare poſſet. Et quænam hæc oro dementia, nedum ſuavitas, aut deſiderium, ſuas utut aureas (cum Romano loquor Philoſopho) amare compedes? Dedecent grandem animum idola modica, quibus adorandis ſe iners ſubſternat, cui orbis impar eſt. Ferè enim verum id: quiſquis amat, ſervit; dominatur, quisquis amatur: quisquis amat, patitur; quisquis amatur, agit. Ulyſſes aurem obturans exemplum eſto felicitatis. Quantus manſiſſet Alcides in fabulis, Samſon

in

in facris, Henricus VIII. Angliæ Rex, noſtratibus in literis, nisì amantes? & vel ideo amentiæ viciniores, quia amantes. In promptu cauſa eſt: amor nullum novit habere modum: addo ego, nisì eum, qui ſinè modo. Pyramus, & Thisbe ſiccam oſtentantes teſtantur. Sic nempe amor agens nunquam moderatus, ſeu ſuópte ingenio, ſeu ſuaſu. Meritò igitur ſuavius, & optabilius amari. Excellentiæ idem, & peculiaris quidem eſt pignus. Cùm ferè pretioſa tantùm in pretio ſint. Amore ipſo ùt felicior, ſic ditior redditur, qui amatur; dum amorem teſtantur amantis munera, quibus fons ipſe ſe exhaurit, inops ſibi, quia dives amato. Audi Philoſophum l. 2. c. 12. videntur præcellere homines, dum amantur, voluptate, copiâ, vel virtute. En quanto merito optabilius, jucundius, beatius nihil, quàm amari.

Amare.

Quantùm mors aut amabilior, aut ſuavior vitâ, tantùm amari præ amare. Mortua eſt amans voluptas, nisì redamet, in amato. Ejus blandâ tyrannide faſcinatus amans, quantùm exhauritur, tantùm ſatiatur. Hinc Ariſt. 2. Moral. c. 12. *amare melius eſt, quàm amari*; quòd illud voluptatis actio perinde, ac bonum ſit; ab eo contra, qui amatur, actio eſt nulla. Pari ſorte quis cognoſcere optabiliùs eſſe neget, ac ſuaviùs, quàm cognoſci? amari, & cognoſci poſſunt & illa, quæ vitâ carent, ſuo proinde ortu viliſſima quæque. Nullus è contrà amat, qui non unà vivit. Scilicet illi duntaxat amor communis eſt, cui communis eſt cum Superis vita. Hoc illud eſt adamantium vinculum, quod, quantùm nectit fœdere, tantùm afficit dulcedine, ùt radii ſolem. Quis amantium Davidis aut Jonathæ commendare pericula? quis Euriali, & Niſi heroica in Patriam curaret ſtudia, nisì amor pondus addat bilanci. Hic ille eſt aries, cui vel aheneus cedat murus oportet. Hæc illa eſt flamma, quæ arduitatem omnem ignorat; nihil enim amanti difficile. Artifex mirus, poteſt omnia, quia audet omnia. Tolle amorem, ſeu concordiam elementis, natura chaos erit, non

ordo pulcherrimus. At ſervit amans. Servit fateor, ſed, ùt grandes ſolent, libertate aureâ, & benefactis, non ùt mancipia neceſſitate ferreâ, aut invitus. Quis Deo famuletur ampliùs, hanc ſi amoris vim ſpectes? Anne tamen idcirco eſt univerſi mancipium? nempe feliciùs ſemper eſt, dando felices reddere, quàm reddi felicem accipiendo. At ſi quæ felicitas eſt amari, nunquid ejus compos eſt amans? Veteri ſapientum regulâ: qui vult amari, amet. Tyrannus amor communi ſuffragio audit, at crudelior vipera lancinat animum ejus, amorem qui patitur, vel eò duntaxat, amantis ut ſervet Charites, demereatur gratias, jacturam vel nutu nè faciat.

§. II.


Cauſæ amoris, effectus, remedia.



Vafer amor Mimo dum ſibilat ore, tenaci
Glutine fatales inſtruit uſque dolos.
Heû mihi quot miſeræ fraude hâc periêre volucres!
Ah cave, nè laqueo tu capiâre pari.

Do-

DOCTRINA ETHICA.

Ausæ amoris principes ſunt: 1. *ſimilitudo*, de qua vetus illud: *ſimilitudo morum, mater amorum. Graculus graculo aſſidet, cicada cicadam amat.* Alios ſimilis natura arctiùs connectit: ſic *oderunt hilares triſtem, triſtiſque jocoſos.* Sanguineus cholericum præ aliis, cholericus viciſſim ſanguineum amat, melancholicum rarò, phlegmaticum vix unquam. Melancholicus rarò amat (hinc apathos dicitur) ſi tamen, amet, neſcit modum. Cholerico præ cæteris jungitur; ſic tamen, ut jurgiis frequentibus amor iſte non careat, ut ſi unquam, hic verum ſit: *non eſt, ſi non ſit, litigioſus amor.*

Alios ſimilitudo vitæ, doctrinæ, &c. connectit, ſic ſe dilexêre Polyſtratus, & Hypocrates, qui ſimul nati, ſub eodem climate, conſtellatione, die: ſimilis complexionis, ingenii, fortunæ, ſimul infirmati, ſimul mortui. Viventes alter ſinè altero eſſe non poterant. Et licèt figulus figulum, etſi ſimilem ſibi oderit; id non fit ſimilitudinis causâ, ſed quia alter alteri lucrum utile impedit. Diſſimilitudo etiam poteſt eſſe cauſa amoris; ſic egens divitem, quia beneficum; Rex ſubditum, quia tributarium; æger medicum, quia ſalutem ſuam diligit.

2da cauſa eſt *amor.* Vis alterum cogere in tui amorem? En licitum ex Seneca philtrum Ep. 3. *Ut redameris, ama.* Dixi *licitum*, habetur enim apud non multos philtrum, ſeu incantatio, carmen, medicina, vel quodcunque aliud, quoad amorem, vel odium erga aliquem in perſona aliqua excitandum utuntur magi, & incantatores. Quæ infelicitas neo-Conjugum non rara eſt. Cenſet quidem celebris, ùt eum Raynaudus nominat, ſagarum Patronus Wierus, nihil has incantationes poſſe; ſed doctiſſimè eundem confutat Delrius magicarum quæſtionum qu. 3. Amor hic magicæ artis, ùt obſervat Plutarchus, turbidus eſt, & injucundus, ſcilicet piſces medicamento capti ſunt inſipidi: ſic tamen amantes carnaliter peccant, quia philtrum voluntatem liberam non poteſt coge-

cogere ad amorem, licèt hominis temperamentum incliuet.

3tia causa est conjunctio naturalis Parentum cum prolibus, & vicissim, ùt docet Arist. 8. Eth. c. 12. ubi infert, majorem esse amorem parentum in proles, quàm prolium in parentes; eò quòd parentes, maximè mater, majorem habeant certitudinem, quòd hæc proles sit sua, quàm habeant proles, quòd hi sint parentes. Hic amor parentum cæteris paribus in primo-genitos est major. Unde leges Italiæ, Galliæ, & passim Germaniæ primo-genitos in hæreditate præponunt cæteris. Reliquas causas amoris v. g. conversationem præsertim occultam, beneficia, raritatem rei, &c. non moror, quia huc non referuntur.

Passio hæc effectus habet quàm plurimos: primus est *unio affectiva*, unde illud: *anima magìs est, ubi amat, quàm ubi animat.* Hinc amatum semper præsentem mente constituit, si non possit præsentiâ physicâ. Somnus ipse ob frequentes fibrarum motus vel impeditur, vel somniis de re amata turbatur. Vigilantis situs & gestus mutatur identidem. 2*dus est Extasis*, quasi à se ipso alienatio, ità videlicet, ut mens tota sit in amato, vel per cogitationes, vel per affectum, ob tantam intensionem amantis in amatum, ut facilè oblivio sui ipsius succedat, & neglectus rerum omnium. Extasis hæc, ùt bene D. Thomas observat, est solius amoris amicitiæ, & quidem tantùm in amore spirituali; carnalis enim, ùt supra dixi, si intensus sit, amentiam, & furorem gignit, ùt patet in Rudolphi L. B. de Warth, homicidæ Alberti primi Cæsaris uxore, quæ anno 1308. dum conjux ob scelus admissum confractis manibus, & pedibus rotæ impositus triduo ibidem viveret, infra rotam sinè cibo & potu triduo perstitit, donec ipsa quoque amaritudine cordis vitâ fungeretur. Et quamquam non semper ea sit amoris vehementia, ut hominem statu mentis dimoveat, melancholicum certè facit eum etiam, qui naturali complexione hilaris est, & hoc quidem ob continentem sanguinis, & spirituum resolutionem, ità ut sanguis ater, & crassus tantùm cor occupet, qui centrum replens tristibus deliriis mentem confundit, & ad morbos, vel violentas sibimetipsi manus inferendas hominem impellit. Ter-

Tertius effectus est *Zelus*, omnia vincens impedimenta obstantia ad rei amatæ possessionem. Unde vetus: Liberior Spartâ est, ingeniosus amor. Testis Leander, qui obstantes fluctus natando emetiens, ut amato frueretur consortio, inclamabat: *parcite, dum propero, mergite, dum redeo.* Testis ætate nostrâ Comitis de Nithisdale conjux in Anglia, quæ conjugem carceri mancipatum liberatura, carcerem subiit in speciem ejusdem visendi causâ; mutatísque cum eo vestibus ipsa virili in habitu permansit in carcere, dum conjux astu hoc custodiam feliciter prætergressus, fugâ sibi consuleret. Sed & conjugi amoris ingenium profuit, libertatem tulit dilectio sententiâ Judicum, communi Angliæ, & orbis commendatione.

Quartus est *naturalis quædam infirmitas* ex eo nata, quòd cùm amans sit totus rei amatæ intentus, non curet vel alimenta viribus necessaria sumere; unde pallor, languor, & cætera morborum ilias.

Quintus demum est *amoris exuberantia* dolore mixta, quo timet amans, nè ab amato minùs ametur, vulgò *Zelotypia.*

Potentissimi animorum hostis hujus pauca sume remedia. 1mum sit: mutatio loci ægris, & amantibus opportuna; hæc enim tollit occasionem agendi cum amato. Mutationem hanc, cave, nè differas. Principiis obsta, serò medicina paratur, dum mala per longas invaluêre moras. 2. Diligens fuga conversationis, tum occupatio frequens in rebus seriis; alioquin enim, cùm amor Diogeni sit *otiosum negotiosum*, solitudo amorem fovet potiùs per cogitationes. 3tium Sincerum de rebus cape judicium. Certissimum enim illud: omnis amor cæcus, non est rerum arbiter æquus, nam deforme pecus, judicat esse decus.

Vide an dignum sit momenti illicio emere pœnitudinem æternam; rei vilissimæ posthabere pretium, & omnem animi felicitatem. Unde *generositas mentis* consurget his è nugis, & blanditiis major animus, quas non modò *sequitur ultor à tergo Deus* testante Diluvio Genes. 6. & Sodomâ, sed testante exitio tantorum quoque, regnorum, ùt Assyrii Imperii in Sardanapalo per Arbacem, Romani regni in Tarquinio superbo ob vitiatam Lucretiam

Troja-

Trojani ob Helenam raptam, Anglici ob Bolenam, & alias ab Henrico VIII. aſſumptas. Verbo, cogita: iter nunquam ingredietur honoris, laſcivæ addictus quisquis erit Veneri. Quamquam hic amor non *amoris*, ſed *perditionis*, & *concupiſcentiæ* nomine dignus, quoties ad noxia animo derivatur, ùt obſervat Raynaudus.

In amorem proniores ſunt per Philoſophum 8. Eth. c. 3. ſanguine puro abundantes, quales ſunt Juvenes ætate, præſertim complexionis ſanguineæ. Hi quia ſimplices, & creduli; ad hæc, non ſæpe decepti, facilè amant, & redamant. Difficilior eſt in ſenibus amor ob ſiccam complexionem, itèm ob ſuſpiciones ex longa experientia in his admodum faciles. *2dò.* Nobiles, & potentes, qui quidem. utì & ii, qui liberalem vultum, & indolem ſunt ſortiti, amari potiùs volunt, eò, quòd in amore hoc, quo ipſos proſequntur alii, ſuam præſtantiam collocent. *3tiò.* Qui calidioribus regionibus ſunt editi.

Id univerſim nota, amoris ordinem eſſe primum à ſe ipſo, etiam per Ariſt. 9. Eth. c. 8. Unde ſi Latio ſit venia: *charitas incipit ab ego.* Recta tamen ratio amorem hunc moderetur, oportet; ſecùs *Philautia* ſibi tantùm ſtudens charitas erit, nihil penſi habens ſuo pro commodo vel univerſi incommoda. Quamvis *dilectio*, *charitas*, pro eodem ſumantur cum *amore*, tamen ex 8. Eth. differunt ſic, quòd *dilectio* ſit initium amicitiæ, & requirat ſelectionem rei amatæ. *Charitas* oritur ex magna rei amatæ appretiatione. *Benevolentia* itèm, concordia, & *beneficentia* differunt.

QUÆSTIO ETHICA.

An dari poſſit philtrum univerſale in natura conciliándo omnium amori?

AFFIRMATUR.

AMor, blanda illa animorum vipera, adeò nulli non domeſtica, ut cui ſcintilla humanæ eſt mentis, huic victima eſſe velit. Stoico Catones da ſupercilio, vel ſinè gratiis Ariſtarchos, tametſi expertes ſensûs videantur,

antur, amari qui nolit, comperies neminem. Et quantò id multis vitæ, fortunarum, bonorum omnium ſtetit impendio? felices ſe credentibus, ſi modò amoris teſſerâ donati; quaſi verò hæc una diſpendium omne in fortunæ compendium, virus in mella transformet. Quanto leviori pretium hoc venire pretio liceat? Si vis amari, ama. Dictamen naturæ philtris omnibus certius habe. Hoc igne vel ferrea incudem ferent pectora, eò tractabilia magìs, quò flammas ipſa ſuas diligunt. Victimæ ſui pariter, & ſacrificuli. Charum eſſe vox Cara admodum ſexcentis. Ama, quid faciliùs? quid tamen unà feliciús, ac certiùs eſt ad redamandum? Rudera æmuletur cor amans, flammas teſtetur *clamore*, reddet Ecchò, amati pectus, vocem optatam, ardeo *amore*. Affabilitas vultûs, comitas morum, ſenſuum candor, inhoſpitales etiam Caucaſos eliquant in affectum, faciliùs, ac Hannibal in obſequium Alpes. Semen amoris mutui amor eſt; crede largâ manu ſementem tuam, vicem reddet par cordis officium. Dexterâ è contrà tenaci ſi ſparſeris, parca itidem falx metet ſementem. Arbitrio tuo ſtat fructus amoris, quantùm tuus in alterum, tantùm ferè alienus in te creſcet affectus, redivivo in te Herculis Gallicani exemplo, amoris faſcino quorum, & quantùm libuerit corda nectentis. Quod aperta vis belli non poteſt, cavernis abditi domant cuniculi; comitas, affabilitas ſtratagema efficaciùs, quia blandè; ſerpendo ſibi ipſi cor eripit, & in obſequium cogit amantis. Hoſpes tum primùm advertitur, cùm expugnatos animos in triumphum ducit. Da Principem hâc dote inſignem, & felicem ſibi, Regno, orbi dediſti dominatum. Liberi, non ſubditi ſunt Principi, qui diligunt, quia dilecti. Pater his cum Germanico magis audit, quàm Dominus; & dum delicias generis humani eum cum Tito populus ſalutabit, in omnes nutus obſequentem facilè nanciſcetur, in quem amor plenum obtinet dominatum. Quid multa? quisquis es, amari malis, quàm timeri: nè iniquis quidem acerbus. Verùm tuo id documento reperies: ſi vis amari, ama. Rarior nulla triumphandi dos, quàm dum præſidia & gentes ſponte cadunt non tam in gladium, quàm ſinum victoris. Qui ſic vin-

eat, rarus eſt. Certiùs tamen vincit nemo, quàm qui ſic vincit. Et quid vetat triumphi hujus gloriâ coronari quemlibet? Amorem cuivis cum natura dedit naſcendi ſors. Quid igitur torpeat otio, qui ignaviam neſcit, affectus? Caloris virtus eſt maxima, ſi Philoſophis credimus. Cur non eadem ſit amoris? Data hæc vis eſt omnibus, tu ad omnes, ùt ratio ſuadet, extende; tibi hoc pacto teipſum multiplicas, quia amantes vel procuras, vel firmas. Obſidionales, civicas, murales ſanxit vetus Roma coronas. Mirum eſt, quòd ſapienti ejus Politicæ non occurrerit, etiam *Amicam* fundare. Illæ ſub jugum miſſas gentes, Urbes, cives ſervatos notârunt. Hæc clientum officia, & cum his ſæpe ſalutem Patriæ vel fundatam, vel promotam tributaria facit. Pudet ferè amantem non proſequi, æquè penè, ac pudeat non eſſe hominem. Nemo enim; aut hebes eſt adeò, qui amoris argumenta non capiat, aut ſaxeus adeò, qui amoris argumentis non capiatur. Alter proinde alterius illicium eſt pariter, ut amet; & ut ametur, fomentum. Repeto: Si, & quantùm vis amari, tantùm ama.

NEGATUR.

NOn tanta regionum, cultuum, imò & vultuum per orbem diſparitas, quanta eſt animorum. Quæ igitur par faſcinandis omnibus ſit regula? amor amorem provocat, haud negaverim. At quot reperias pectora, quæ ſi pumices cernas, aut ſilices, undas antè elicies, ac ſcintillam amoris. Cur? Miſantropos cum Tarquinio illo generis humani hoſte, Apathóſque reperies, ut belluam antè cicures, ac horum vel feritatem, vel duritiem mollias. Nempe adamante durius ſi quid natura genuit, fibræ multorum ſunt. Arte nullâ Riphæum horum frigus diſſolvas. Da verba, gemina comitatis officia, ſuſpicaces illa, hæc contemptores efficient. Ut de guſtibus, ſic de geniis quæſtio eſſe non debet. Hos amor, illos ſupercilium manet. Adeò tamen malignantis nonnulli ſunt indolis, ut placeat nemo. Neque mirum, non eadem ſonipedes regendi eſt regula, nec eadem eſt animos edomandi. Nemo

mo Deo in amandum pronior, aut liberalior. Fecit, quod omnipotens potuit, & quod non nisì summè misericordem decuit. Ut essent, jussit omnia, ut servirent, ut delectarent. Addidit in pignus sanguinem, se, Divinitatem ipsam vadem, & pignus amoris. Excessit amantium non regulam modò, sed vel cogitatum. Seipsum jugi epulo tradit. Merita ibi, & spes amati, hic vel vota superat. Fecit, quód non nisì impudens, aut imprudens optare quis potuit; Fecit, quo majus Deus ipse non potuit; quia quod adderet ultra, non habuit. En quanta argumenta amoris. Et quàm avara tamen redamantium pectora. Algent ad flammas; vix agnoscunt, quas in momenta gratias sentiunt. Perire malentes Andabatæ, quàm sic amantem amare; Conditori, Salvatori, Patri vivere, & beari. Ingeniosus, si aliàs, Numinis amor, quod tantis adderet, non viderat, (& tamen commune omnes devinciendi meritum amorem suum heu quàm modico cernit pensari. Nempe actum agit flamma innocua, cùm feris ipsis crudelior pectus obsidet hydra. Et quot ejusmodi pestes alit Respublica? & has sibi amore devinciat quispiam? Princeps cumprimis? sanè privatus cúm fueris, aut bonorum, aut malorum censum augeas oportet. Cygnis si faveas, corvis displiciturum te noveris. Horum contrà si placeant studia, & affectus, illorum amores perdas, est necesse. Ipsum placere multis displicet, & alienâ videri gratiâ frui, invisum reddit. Carpitur nempe vita, non tam annis, quàm censuris absoluta. Nunquam in theatro fabula sinè Momo. Persequitur, prosequitur, quia finis cuique bonum suum. An ergo tu omnium corda tibi demereâre merito, & candore, quæ Naturæ Author non possit, etiam cùm benefacit? Si Reipublicæ habenas dirigas, scelera ùt cancrænam reseca, nè corpus perdas malo serpente; pia hæc crudelitas est, insipiens odium trahit. Paucos feri, ut omnibus parcas. Terrore omnes, paucos fulmine affice, felicitas sic consistat publica. Ament boni, oderint mali. Satìs est. Dum paucorum excidio. Salutoris hic & providus amor amorem conciliet sapientûm. Actum est cæterùm: amari qui vult omnibus, aut Deo major sit, necesse est, aut ametur à nemine. Acer enim

humor citò invenit, quod arrodat. Justa nempe hæc vindictæ pœna est, ut, cùm pauci nobis placeant, paucis pariter placeamus.

§. III.

Odium. Cupiditas. Desiderium. Fuga.



Milvius innocuas cupido rapit ungue columbas.
Et fugit à rapidi dentibus agna lupi.
Hoc suadet natura feris: rationis at usus
Te, bene quid fugias, quidve sequâre, docet.

DOCTRINA ETHICA.


ODium, amoris contrarium, est *volitio alicujus mali alicui*, vel *est aversio appetitûs sensitivi* ab eo, quod est, vel apparet malum, & sic potest etiam veritas odium parere, apprehensa sub ratione mali. Odium aliud est *inimicitiæ*, quod opponitur amori amicitiæ; hoc odit personam, & ideo vult ejus malum. Aliud odium est *abominationis*, oppositum amori concupiscentiæ; & hoc odit malum, quod est malum alicujus personæ.

Causas odii ex contrario amoris intelliges. 1. Omne turpe excitat odium, seu turpe corporale, seu morale, ùt est

eſt ſuperbia, & ex hac ortus contemptus, avaritia, crudelitas. 2. Morum diſſimilitudo. 3. Maleficium, ſeu vis magica. 4. Naturalis antipathia, dum ſibi contrarii ſunt aliqui etiam primo aſpectu, nec ſcientes odii cauſam dare, neque vim occultam advertentes. Sic Poëta: *Non amo te Sabidi, nec poſſum dicere, quare: hoc tantùm poſſum dicere, non amo te.* Negat quidem Fabri vim talem occultam l. 6. pr. 5. n. 3. Sed experientia probat primo intuitu ſæpe nos aliquem odiſſe.

Varii ſunt odii effectus, *triſtitia, & invidia, ſuperbia, rancor, vindicta.* Unde animus immiſericors, conſtrictum cor, reſpiratio lenta, ob fibras raris motibus flexas. Externè taciturnitas, vel mendacitas, aſperitas frontis, fuga converſationis cum eo, quem odimus, & ſimilia. Illud in odio peſſimum, quòd, ſicut levitatis notam non tam facilè incurrit oſor, ſic abſentia odio habiti non reſtinguit odium, adeò, ut nonnulli Pſeudo-Ethici delirent: cauſam odii ſemel concepti ſemper recogitandam, atque adeò odium ſemper ſuadendum. 2. Quòd eorum, qui ſe mutuò amârunt, v. g. ſanguine junctorum odia pro menſura amoris prioris vehementiora ſint, & diuturniora, eò quòd odium non illabatur animis furtivè, ſicut amor; ſed illapſum ſemel vehementiſſimum ſui ſenſum animæ imprimat; & ideo ità conſtantiùs perſeveret, ut etiam poſt mortem ſæpe odia vivant.

Proniores ad odia ſunt. 1. Amantes, reſpectu rerum amatæ rei bono, vel conſecutioni obſtantium. 2. Suſpicionibus obnoxii. 3. Arrogantes, & gloriæ cupidi, ſi quid iisdem obſtet. 4. Bile laborantes. Qui atrâ laborant, occulta, & maximè diuturna habent odia; qui flavæ bili ſubjecti ſunt, apertè, ſæpe tamen admodum crudeliter, & diu oderunt. 5. Timidi, & quoquo modo imbecilles. Unde nemo infantibus, ſtultis, & fœminis ad iram pronior.

Remedia tria ſunt. 1. Perpende indignitatem cauſæ moventis, tum etiam fæditatem vitii. 2. Juxta Senecam l. 3. de ira c. 4. cupiditatem, & amorem corde tuo exclude, & fomenta odii evitabis. 3. Vide damna per odium orta, valetudinis, & virium, boníque nominis im-

minuti, & generoso Spiritu superabis. Certum enim est: *Spiritus tristis* (qui est in odio semper) *exsiccat ossa*, testante Sacrâ paginâ. Si ergo justo odio quid prosequendum sit, semper sic oderis, tanquam certò propediem amaturus.

Amor ferè est magister cupiditatis. Est autem cupiditas *appetitio boni ùt absentis, seu nondum obtenti*. Hæc appetitio si sit in parte animali, seu sensitiva, dicitur ab aliquibus *concupiscentia*; si sit in parte rationali, dicitur *desiderium*. Quidquid sit, illud certum est, quòd ab amore differat etiam ex objecto; quia, ùt observat Raynaudus, cupiditas habet pro objecto præter bonum, etiam assecutionem illius; amor vel purè tendit in bonum præscindendo à præsentia ejusdem, vel absentia. Causa fundamentalis desiderii est: agnitio propriæ egestatis, & potentia hanc explendi in re apprehensa. Hæc passio frequentissima est homini, & periculo non vacans, nè boni imagine deceptus malum concupiscat. Quod malo suo præsertim experiuntur Juvenes, qui, sicut ob sanguinis abundantiam, & defectum experientiæ difficultatum facilè bonum apprehensum concupiscunt, ùt habet Arist. 2. Rhet. c. 12. Ità umbris se lugent deceptos, dum malo remedium vix sinit circumstantia. Cupiditas (quæ hominis fragilitas est) alia est *indeliberata*, & hæc caret vitio; alia *deliberata*, & hæc laude, vel vituperio digna est. Juvenes citò concupiscentes ob sanguinis mobilitatem facilè desistunt. Sanguis hic, & bilis in nonnullis potentiam rationalem si imbuat, præpostera, & noxia sæpe caussat desideria. Utì exemplo sunt fæminæ, præsertim gravidæ; nam ex atra bile pinguia appetuntur, & stomacho his humoribus vitiato præbentur.

Cupiditatis effectus est tremor non rarò membrorum, perturbatio, & rubedo à spiritibus ad exteriora diffusis. 2. Acerbitas, tristitia, & dolor, si re cupitâ serò, vel penitus non potiri cupidus possit: hæc comitantur insomnia, & curæ. 3. Est augmentum perenne instar ignis; unde cupiditas *infinita* aliis, aliis *inexplebilis* dicitur per id: *quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*. Hinc quia ùt plurimum error humanam cupiditatem comitatur, vel in re ipsa,

ipſa, vel modo, nota illud Platonis: *nisì ratio cupiditatem frænet, vita turbetur, neceſſe eſt.* Fæmina, pecunia, gloria cupiditatis terminum ſtatuit nullum, nisì qui ſinè termino fuerit.

Cupiditas Philoſopho duplex eſt: alia *naturalis*, quæ ſcilicet ineſt naturaliter homini cuivis ad individui, vel ſpeciei conſervationem ſpectantes res v. g. ad cibum, potum, &c. alia *rationalis*, ad quam cauſandam homini neceſſaria eſt apprehensio rei, ùt bonæ; cùm homo ſinè hac per ſe non feratur ad rem illam cupiendam. Cupiditatem animi leges humanæ nec præmiant, nec vindicant. Utrumque pro meritis fieri à Deo Sacræ teſtantur literæ. Naturalis cibi, & potûs neceſſarii cupiditas vitio caret, altera enim *fames*, hæc dicitur *ſitis.* Naſcitur fames, ſeu cibi appetentia ex ventriculi vellicatione, quæ fit ex naturali calore, & acore interno. Cùm calor hic, & acida, fibras, & nervos afficiant, ſi alimento, quod conſumere poſſint, careant. Acorem hic utraque bilis cauſat, præſertim atra. Sitim ſalſedo, vel exſuccæ fauces. Inediâ, vel ſiti longâ laborans, repente non te oppleas; plus enim gravas, quàm ſatias.

Fuga opponitur deſiderio, & eſt *averſio animi à malo abſolutè ſumpto.* Differt à timore, qui eſt circa malum arduum. Ab odio, quod eſt fuga mali abſentis, ſeu ſit abſens futurum, ſeu præteritum. Fuga data eſt homini, ut per hanc noxia evitet. Per hanc reducuntur ſpiritus caloris ad cor, frigore externa membra occupante, demum etiam imperatur motus de loco potentiæ loco-motivæ, ſi aliter malo obviari non poſſit. Atque utinam; quemadmodum inſtituta eſt paſſio à natura, hæc adhiberetur; in fugiendis videlicet illis cumprimis, quæ animam vitiant, etſi ſenſui blandiantur, de quibus rectè ille: *heu fuge crudeles terras, fuge littus iniquum.*

QUÆSTIO ETHICO-POLITICA.

Utrum melius, amico inconſtanti, an inimico conſtanti benefacere?

AMICO INCONSTANTI.

VAtiniana odia quid commune cum beneficiis habeant? Inviſæ ſunt gratiæ, dum, ſi odium abſit, ſuſpicio vitiat omnia; ùt fieri amat, ſi vitiatis oculis objecta ſpectentur. Da florem araneo, hyblæas etiam dapes in venena convertet. Tametſi leniſſimâ manu vulnus contrectes, acriori ſemper dolore memoria obductam refricat cicatricem. Ut verum ſit vetus: *manet altâ mente repôſtum Judicium Paridis, ſpretæque injuria formæ.* Quid communius querelâ veteri: in undis ſcribi beneficia, injurias æri incidi, ac marmori: quòd illas ingratitudo nullo negotio elabi patiatur animo, has nunquam. Age, immortales cum Livio collatas à te gratias eſſe cupis? ei confer, qui una tecum duplici in corpore eſt anima, depoſitum tam datum accipit, quàm ſervat cum fœnore. Hic tibi officiis auctus ſubſidium, tutela, ſolatium; dum contrà æmulus tuis ditior gratiis arma ſumit, quibus te feriat. Anguem lacte paſce, & ſinu recrea, mortem in præmium referas. Urticam ſollicitâ curâ irriga, urere eam ſenties. Da faventia tribulis ſidera, in vulnera adoleſcent non minùs. Dum contrà Gazophilacium tuum amantis eſt animus, nunquam ampliùs redditurus impendium, ac dum amando obviâris. Hunc liquore dulci ſcaturientem fontem corona, & beneficium tibi experiêre. Dum contrà baſiliſcus, vel victimis cultus peſtem dabit. Et quid mirum? naturæ id vitium eſt, an ingenium: omnia in mel apis, omnia in fel, & virus concoquit vipera. Inconſtantia ſi terreat, tempus cogita, quo frui liceat amantis conſortio, ope, conſilio. Momentum grande, incerta quamvis ſecuritas ſit. Quot diſcrimina ſummo emunt mortales! prodigunt ſæpe omnia, ut certiùs pereant. Amicus ut ut inconſtans ſit, quo durat, prodeſt; quia & fovet, & favet. Sæpe ipſa inconſtantia beneficiorum pondere robo-

roboratur, ut Mercurius fixus ſit. Et tum quantùm credis beneficio huic tribuendum, quod mobile illud fixerit? Omne vitium, quia in homine eſt, finem ac terminum patitur. Inconſtantia quoque, dùm ratione omni non careat, qui amicus eſt, elidi poterit. Et tantò feliciore eventu, quantò acrior eſt beneficiorum vis; tantò unà dulciore conatûs fructu, quò ampliùs delectat conantem, incerta quæ optavit, præ certis ſibi decerpſiſſe, & ſtabiliviſſe. Sexcentæ in inimicos me arbitro ſi conferas; amico, quantumvis inconſtanti, unicum collatum palmam eripiet.

Inimico Constanti.

RE nullâ certius luditur mundus, quàm quòd ſemper deludi ſe ſentiat, & ipſe gaudeat. Quaſi verò placeret fabulam fieri. Amicorum gratiis ſinum onerant, tanquam ſi ancile Deorum ibidem concluſum, vel adamantinâ lege ſancita forent amicitiæ fœdera. Nunquam minùs erratur, quàm dum, nè fraudi ſit locus, nos ipſos fallimus fide noſtrâ. Arundinem experimur, quam rupem credidimus, vix amicitiæ filo tuti, qui catenato robore nobis blanditi ſumus. Adeò vitrea eſt ſors amantûm, aleæ in morem ſe affectus contorquent. Luditur his ſemper, ut illuſioni nunquam non locus ſit, ſeu credulitatis, ſeu fortunæ munere. Cave malaciam, Typhones latent. Nunquam minùs ſecurus procedit navita, quàm dum tranquillo mari Alcyon deliciatur. Tu cum inſtitore divite te ut redimas, tua furenti crede munera. Quidquid dederis, fœnus eſt, non detrimentum; conciliatus æmulus & amores augebit, & gratitudinis munera. Inimicus eſt? ſi conſtanti furat fremitu, hebetabitur munere. Placant ferè, & Deos iratos, quia placent officia, obſequia, dona; ſin aſperitatem augeat, facilior tibi certum hoſtem vitandi alea, quàm incertum. Creſcunt ignes fomentis, decreſcit gratiis furor. Patronus momento fit, & defenſor, qui nuper erat Vatinius; aut munere, aut officio exequente, quod ratio, vel ipſe Græciam fulminans Pericles eloquentiâ non effeciſſet. Pudet ingratos eſſe, & quos furor antè conſtrictos domuit, ſi triumphet amor, amplius

trophæum gloriæ ſtatuit. Pudet beneficiis cumulari, & quos antè beneficos exulceravimus, ingratâ proſequi morte. Præplacet furore poſito vicem reddere, & ùt tibia ſuperato vulnére integratur fortiùs, ſic ſanctius eſt fædus æmuli, quàm primùm amantis. Vetus id quidem: reconciliato nè fide. At ſi benefactis certandum ſit, certum prælige inimicum, quia acerbius nullum animo ejus vulnus inflixeris, ac tui memoriam beneficii; ſaucius te ſequetur, etſi ſeriùs tempore, ardentiùs tamen. Vitam antè ſuam poſiturus, quàm tui amorem. Cauſam cupis? Sapiens in Proverbiis eandem indicat: beneficium collatum æmulo prunas non jam in caput, ſed in ſinum contorquet. Urit mentem memoria conſtans beneficii, donec odio poſito flammam concipiat, & vel invitam cogit in officium gratitudinem. Nempe barbaries nulla talem genuit Salamandram, quæ in beneficiorum ignibus duret ſemper, & duretur ampliùs. Dum è contrà Vertumni alicujus amici in ſinum congeſta pietas auræ ſpargitur, quia nativâ inconſtantiâ mobili. Inimicum cole, amicum centuplo conſtantiorem fundas, quàm, ut, quem natura vel fraus dubium tibi fecit, certum reddas Achatem. Rara namque ars lapis ille Philoſophicus, volatile ejusmodi ens in aurum puriſſimum & figendi, & fingendi. Dum contrà, ùt intra montium viſcera ignes terram in aurum excoquunt, ſic beneficiorum ignes vel averſos, vel adverſos animos congenitâ virtute in amantes conſervant.



QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De reliquis paſſionibus.

§. I.

Quid gaudium, triſtitia?



Quem læſit rabido furibunda tarantula morſu,
Saltat, & in medio vulnere ſæpe perit.
Quot Juvenes ſimili perimunt mala gaudia fato!
Quos læſit rabido lena volupta joco.

DOCTRINA ETHICA.

GAudium, delectatio, voluptas communiter pro eodem ſumuntur, licèt aliquomodo diſtingui poſſint. Videlicet quòd gaudium, ſeu lætitia propriè tantùm ſit ad ea, quæ ſunt appetitûs rationalis. *Delectatio* verò ſit ad ea, quæ reperiuntur in ſenſitivo appetitu. *Voluptas* denique reſpectu utriusque ſit veluti genus. Bene ergo definitur omnia hæc complectendo cum D. Thoma 1. 2. q. 31. a. 1. quòd ſit *actus perfectus, & terminus ultimus appetitûs vitaliter in ea quieſcentis.* Dicitur *actus*, non enim eſt pura paſſio, ùt

 volunt

volunt nonnulli, licèt voluntas fruitivè in objecto possesso, velut centro quiescat; quia hæc ipsa objecti possessio, per rationem, seu actum vitalem apprehenditur, quod non solet fieri in rebus inanimis v. g. lapide in centro quiescente. Voluptas ergo, seu gaudium, semper est de bono vel realiter, vel per cogitationem repræsentato ùt præsente; sicut desiderium est de re absente. Ut plurimùm voluptas præcedit, & comitatur desiderium; desiderium tamen non oritur à voluptate, sed ab amore, qui fertur in bonum propositum, præscindendo à circumstantiis.

Voluptas per Philosophum l. 10. Eth. in rebus bonis, & malis potest haberi, dicitúrque ab eodem necessaria hominibus, eò quòd brutis æquè, ac hominibus semper communis sit. Quatuor ad eandem, si perfecta sit, concurrunt. *Objectum*, quod movet. *Potentia*, quæ movetur. *Operatio*, quæ est ipsa motio. *Delectatio* est terminus. Tria tamen sic necessaria sunt, ut quocunque âblato delectatio perfecta non sit. 1. Præsentia, & possessio boni. 2. Possessionis illius cognitio, seu phantasia. 3. Amor ejusdem. Non enim delectat, quod non amatur. Ità cum de Rhodes. Rayn. communis. Omnia hæc, cùm experientiâ constet, homini sæpe sinè desiderio rei illius, quæ nos delectat, adesse; vides, non semper cum delectatione desiderium esse conjunctum.

Illud cuique volupe est, quod cuique conveniens. Conveniens porro, & delitiosum est aliquid omnibus aliquando hominibus, aliud tantùm certæ ætati, & conditioni; v. g. cibus esurienti, libertas vincto, &c. res omnis delitiosa est dependenter ab apprehensione objectum homini proponente; hinc fit objecta aliàs in se jucunda nonnullos affligere, alia in se dolorosa delectare. Tam felix erat olim Thrasillus, credens se regem esse, quàm miser Dionysius, capiti suo pendentem è filo gladium semper imminere existimans. Hinc fit, ut sapientes cum Aristotele 10. Eth. c. 3. *illas tantùm veras delectationes censeant, quæ viro probo videntur.* Et hæ dicuntur delectationes *intellectuales*, & *spirituales*, quia rationi, & intellectui convenientes. Ejusmodi est voluptas ex laude, honore, gloria, &c. progenita. Itèm ex virtutum actibus, & scientis.

entiis. Sic Pythagoras Geometricas Demonſtrationes inveniens, non ſecus, ac ſi ingentes theſauros reperiſſet, 100. aureos Jovi in gratitudinem obtulit. Imò etiam in actibus pietatis ſentitur motio non nunquam dulcior in fine. Quæ tamen licèt ſapientem, & probum deceat, tamen ab eodem non intenditur ex innata ſapientiæ, & virtuti generoſitate.

Voluptates cæteræ ſunt *animales*, quia appetitui convenientes. Harum aliæ ſunt neceſſariæ ad individui conſervationem, vel ſpeciei, & tunc etiam licitæ: non nullæ iſtarum ſunt in appetitu concupiſcibili, aliæ in iraſcibili. Aliæ ſunt homini magìs propriæ, curioſæ, & delicatæ, v. g. voluptates in exquiſito cultu veſtium. Aliæ ſunt purè animales, & ſordidæ, & ferè vitioſæ, quod oſtendit naturalis de illis erubeſcentia; cùm, ſicut tenebris æternis dignæ ſunt, ità etiam ferè inter tenebras homines quærant. Hæ ultimæ, ùt obſervat Ariſtoteles 6. Eth. c. 5. voluptates (præſertim tactiles) ſapientiam, & prudentiam vehementiâ ſuâ evertunt, cùm ad ſe totum animum rapiendo ab aliis potentiſſimè avocent. Unde raròvideas ingluviei, & cœno deditum excellere in aliquo peculiariter, nunquam certè inter homines æſtimari.

Voluptas omnis pectus, & cor dilatat, & recreat mentem. Unde cùm ſanguis versùs cor ſolito ampliùs tunc veluti bulliat, ſpiritùs ſubtiles per cor diffunduntur; qui deinde lætas tantùm apprehenſiones cauſant, unde oblivio doloris omnis, & ſæpe ſubſultatio corporis naſcitur. Conducit valetudini ſæpe, ſæpe etiam præſertim Melancholicis neceſſaria eſt, licèt nunquam ſatiet appetitum: eò quòd ſi magna ſit, deliquia frequentia, & ipſam mortem cauſet; ſi parva minor eſt arbitrio.

Effectus voluptatis colliges ex dictis: Remedia maximè contra vitioſam hæc adhibe: 1. Memento, quàm fugacia ſint gaudia humana: ac proinde, nisì cæcus ſis, videre potes, quòd voluptas tranſitura ſinè prudentia deſideretur, vel cùm tranſierit, cum pænitentia cogitetur. 2. Memento damnorum ex ea gigni ſolitorum, ùt ſuprà de amore dixi.

Dolorem, & *triſtitiam* confundunt hodie plerique; cùm tamen *dolor externus*, qui eſt in ſenſu, cauſatus,

v. g. per

v. g. per compressionem, vel sectionem tantùm sit *sensio*, non verò sit *passio*. Dolor autem *internus* seu *tristitia*, si propriè sit passio, est *actus displicentiæ appetitûs circa malum aliquod præsens apprehensum*. In animo dicitur *tristitia*, seu *ægritudo*, in appetitu dicitur *dolor*. Dicitur *actus*, quia non est passio tantùm ab actu odii producta, ùt vult Scotus, sed est motus appetitûs: aliter dicitur *execratio*, *perturbatio*, *inquietudo*, videlicet ob rem amatam, amissam, vel non acquisitam. Mensura amoris in re possessa est mensura doloris in amissa. Unde illud: *non dimittitur sinè dolore, quod possidetur cum amore*.

Causæ variæ sunt. Generaliter est malum præsens, cui obviari non possit, v. g. charâ re perditâ, vel non acquisitâ, vel serò impetratâ. Intentionibus non datis executioni ob remoram inauferibilem à se. 2. Calamitates propriæ, vel dilectorum. 3. Casus fortuiti, qui si præter opinionem obveniant, potentiorem causant dolorem, ùt habet Aristoteles 2. Rhet.

Species tristitiæ sunt 7. 1ma Misericordia de malo alieno, quâ maximè tanguntur, qui malum illud experti sunt. 2. Invidia de bono alieno, quasi mihi præjudicante. 3. Nemesis de bono alieno, quasi alter eo indignus. 4. Zelus de bono alieno, prout illud mihi deest. 5. Anxietas, ubi nullum effugium apparet. 6. Pænitudo de malo præterito, quod animam affligit. 7. Acedia, quæ hominem etiam membris destituit.

Effectus tristitiæ sunt in perniciem corporis, & animæ. Contractio cordis adeò, ut aliquibus per vitam vehementer tristibus, cor post mortem etiam non latius membranâ repertum sit. Contractio itèm spirituum, & sanguinis, unde macies ossium, fatigium, exsiccatio membrorum; eò quòd spiritus ad cor reducantur, quod, cùm iisdem gravetur, erumpunt suspiria, quibus cor levetur; sequuntur etiam à contracto cerebro lacrymæ, velut doloris evaporatio; harum frequentiâ hebetantur oculi, somnus inquietatur, & breviatur. Unde succedit torpor, & exitium totius corporis, & ineptitudo ad omnia, juxta illud: *perturbatus animus non est aptus ad exequendum*

munus

animus suum. Fugit humanam conversationem, qui dolet, respuit solatia, soli suo tormento inhæret, dum pereat.

Aptissimi malo huic sunt Melancholici, utpote umbrarum, & solitudinis ob atram bilem aliunde amantes. Ægritudine, aut senio laborantes. Sanguinei aliquando ob debilitatem virium, quâ vincere non possunt obstacula. Cholera, quia se æstimat, & ideo multis se dignum existimat, sæpius invidet, & æmulatur. Universim tamen id certum est, Melancholiam, si temperetur, rebus eximiè gerendis ob moderatam tristitiam esse admodum aptam; eò quòd vel hâc causâ magnam rerum suarum curam, & sollicitudinem gerat. Cholera pariter rebus summis agendis aptissima, si vincatur.

Tristitiæ remedia duo sunt. 1. Ex Seneca ep. 86. videlicet: depone opinionem mali te contristantis. Non enim ipsæ res, sed eæ, quas de rebus habemus, opiniones nos affligunt. 2. Dat D. Thomas 1. 2. q. 38. honestam quære delectationem, ùt sunt amicorum colloquia, somnus, aucupia, venatio, musica, medicina bilem tollens. Et juxta Aristotelem 4. Eth. c. 11. Contemplatio veritatis. Dixi *honestam;* insanum enim est tristitiam voluptate tali velle depellere, quæ ipsâ sui pœnitudine, & remorsu mille causat dolores, & carnificinas.

QUÆSTIO ETHICO-POLITICA.

An hilaris, an subtristis genii Officiis aptiores?

Pro Hilari.

Hilarius sidus nullum sole, nullum idcirco utilius. Recreat, vivificat, fovet omnia. Favores ipsi, & gratiæ non adeò grati sunt, si supercilium nubes cogat. Cui domesticus mœror animum nunquam non involvit, umbras ferè non rejicit, quibus, quia culicem excolat, nîl viro publico magìs invisum esse oportet. Somniant hæc hominum spectra, leonem in via subtristes ejusmodi genii fingunt, & aspera, quæ nullibi, præterquam suo occursant in cerebro; terrentur larvis, quas suo phantasmate comminiscuntur. Dum hilaritas quantùm ab umbris,

bris, tantùm abest à terriculamentis. Audet multa, & ùt audere ipsum sæpe vicisse est, conficit plurima. Calor inter elementa omnia agendi virtute princeps est, stringit frigus, & enervat. Typus illud hilarioris, hoc tristioris est animi. Sanguis ipse, & spiritus quantùm addit alacritatis, tantùm addit vigoris, atque adeò aptitudinis ad agendum. Laudatissima quæque cùm agenda supersunt, aut acta fuerint, nisì vivacitate polleant, laudis meritum, sui pretium perdunt. Nempe sinè spiritu, & vita truncum jacet corpus, neque grande quid aget anima, donec languet. Hinc illa in aggrediendo pernicitas, in agendo dexteritas, in mutiplicibus curis vivacitas. Dum aut uni duntaxat operi, ceu Polypus petræ adhæret subtristis, aut terretur principio, aut fatiscit opere. Grande regnorum commodum sunt naves, & flumina, quòd citò provehant, dissitásque terris terras, populos populis sistant, quod terra non potuit, nisí serò. Sic maturantur hilaritate consilia, quæ terreo, atque adeò subtristi genio vix, ac nè vix quidem tenduntur. Res gerendæ ùt sunt mole plurimæ, summam etiam enervant alacritatem. Quid spei supersit Reipublicæ, cùm in nutantem inciderit, aut ipso naturæ, & sanguinis vitio languentem? Gaudet alter torrentis affluxu, & cùm nubila ciet sortis asperitas, aut amœnioris in Phœbi morem dissipat, aut si vehementia splendoris tantisper statuat obicem, superstat omnibus, quia mentis vigore sibi constat. Languet iste, & quia languet, oneris omnis penè jam tædet, sensu Reipublicæ difficillimo. Non omnia possumus omnes, naturæ lex vetus est. At minùs moderari Rempublicam, quisquis languet. Tolle succum arbori, medullam ossibus, radicem plantæ; rideberis, si fructum, robur, aut decorem expectes. Langueat ad proram navita, ad lupatos auriga, spolium ille ventis furentibus, hic contumaci ludibrium sejugi se suósque dabit, quos vexerint. Enerves spiritus sibi vix suppares, quid muneri, aut providentiæ, aut vigoris necessarii tribuent? Nemo dat, quod non habet, Philosophorum è sensu. Nunquam Solonem, aut Periclem Græcia adorâsset, nisì utriusque mentis vigor linguam in stupenda sæculis consilia animâsset. Tacet lingua, cúm jacet

cet animus trifti peplo obductus. Et quæ hoc à fonte confilia Patriæ, fi confulendum? Quæ commoda, fi aut ratione fit pugnandum, aut animo? quis amor fubditorum, ubi comitas exulat? Aut laqueandi fæpe in officium animi, aut fovendi funt cuivis Patriæ amanti. Nunquam, mihi crede, fibi corda devincit, cui turbida fæpe animo & vultu procella eft. Amæna omnia fingit auceps & blanda, Cælum ipfum ventis liberum deligit, ut prædam ferat. Foventur populi ftudia favoribus moderantûm. Geminatur favor, cùm benigni animi tefferâ fereuâ & comi fronte confertur. Favores contrà ipfi diffipiunt, cùm quantum operis benignitas confert, tantum quafi adimit conferentis languidus animus. Vilefcit nempe beneficium, cùm non toto corde tribuitur. Non fic porrò tribuitur, cùm à fubtrifti mente confertur. Quæ verò diffipabit frequentia populo nubila, qui non nisì noctes & nubes loquit ipfe? Verbo: ingloria jacebunt munera, & cum muneribus Patria, fi fubtrìftes genii ad clavum Rempublicam moderentur.

Pro Subtristi.

Felicior nunquam Respublica, quàm cùm Miniftrorum amor animos populi vinxerit, non fragilis, fed fundatus. Corticem ille comitatis, hic nucleum refpicit. Felices effe fe fentient fubditi non hilari aut vultu, aut verbo, fed moderato confilio, ut ament. Ut facilis in omnes, fic credula ferè naturâ fuâ eft hilarium indoles. Quisquis credulus, ùt multos audit, in errorem eft pronus. Audit, & fubtriftis, non obaudit; non tamen nubium mentis, aut naturæ vitio, fed providentiæ ductu, quæ, quem muneri deftinat, cautum format, & moderatum. Tutò, & fapienter Reipublicæ ut confulat, amari fuos mavult operum fructus, quàm aut vultûs, aut verborum fuavia. Quamvis non præproperâ pernicitate fubtriftis in omnia irruat, feftinat tamen, fed ùt fapientes decet, lentè. Properante, qui fertur greffu, leviter infiftit bafi. Feftiva, út feftinata ferè funt, ætatem rariùs vident, ruinam fæpe. Starent, fi alacritas, quâ condita funt, iisdem ù

conftans

constans anima infunderetur. Et canis Nilum bibens, quia cursim potat, sitim non tam sedat, quàm irritat. Interitu celeri, quæ citò nata, cadunt, hilarium laus est satyrica. Difficilior partus est, si quid ævo gignitur; ùt non momento sudat adamantem natura. Virtutum auriga providentia audit. Frænum hæc moderationi gerit, non flagellum impulsui. Effusè nimiùm, ac liberè currens, aut fatigatur citiùs, aut cespitat facilè; dum durat, & securiore passu cursores prævolat, quisquis lentior. Nîl grandibus consiliis, atque adeò muneribus adversum magìs, quàm pernicitas; ùt enim literis, sic eventu non admodum diffidet pernicies, ac pernicitas. Aliud est properè, aliud prosperè rem aut agere, aut conficere. Audet sæpe hilaris, sed primo duntaxat impetu. Nucem dum sentit asperam, obstupescit dens, & cadit. Dum contrà gradario motu aggreditur cunctator, sed germano pectore, si fractus etiam illabatur orbis, sibi constat, impavidus vorans ruinas. Raró præcipites à præcipitio distant. Rariùs felicior exitus tumultuarium comitatur principium. At multis suppar censetur hilaris: viribus admetienda sunt opera, non levitati. Insana est mater, quæ plures lactat proles, ac natura sufficiat lactis; delirat, qui negociorum plus recipit, ac virtus sit corporis, & ingenii. Plura simul videre objecta nefas est homini, quamvis duplex sit oculus: sic vitio non caret, qui in omnia proruit. In centrum unicum omnia ducat circulus, si valere velit. Gentilitas ipsa singulos rebus singulis DEOS commenta, doctura posteros, raram esse avem, quæ suppar sit pluribus. Quin intolerabilis passim Reipublicæ, atque subditis minister est, qui negotiosus nimiùm, quasi ab uno pendeant singula; ùt contrà inutilis est otiosus. Ferè qui tentat, & audet omnia, agit nihil. Ut navis portum nullum, vertagus prædam nullam assequitur, si pluribus unà stellis, aut feris insistat. Successivè citiùs, ac simul sua conficit, qui genio est tristiore. Agendo pauca, plura perficit, quòd domestica illi vox semper resonet, age quod agis. Virtus ei unita fortior, ùt radii solis urunt acriùs, dum focum faciunt. Sed & accuratiùs è sententia conficit singula; Ut clavis portæ una, se unum dat negotio.

Omnia

Omnia curare poſſe, impoſſibilitatem jure exiſtimat; velle dementiam. Tacet diu, ut ſtatuat ſemel. Meditatur, ut tantò Reipublicæ utiliùs conſulat, & hilaria curet, quantò ipſe mærere viſus, dum Patriæ commodis ſemper intentus. Non opus eſt ſemper vultu ipſo & genio mentiri Charites. Multi gratias in omni Republica ridentis inſtar Phæbi ſparſerunt, & cum his, quia mentis inopes, tempeſtates Patriæ conciverunt. Fulmina magìs, quàm ſoles Patriæ. Sentire petit Reſpublica faventem genium, non videre. Sentiet, ubi conſiliorum fructus, induſtriæ commoda legerit. Opera amorem moderantis probant, non vultus, aut verba. Haberi hæc poſſunt omnia, quin & habentur affatim, ubi tametſi genius ſæpe ſubtriſtior, eò tamen Patriæ lætior, quò magìs ejus unius intentus eſt commodo: dum hilaris in alia omnia diſſipatur.

§. II.
Spes, & Deſperatio.



Quid non Spes generoſa poteſt! maria omnia vincit,
  Pandit inacceſſos tartara ad uſque ſpecus.
Invia nulla via eſt, quæ ſpem remoretur; ad ipſa,
  Si ſperare voles, ſidera pandet iter.

DOCTRINA ETHICA.



Pes eſt *actus appetitûs iraſcibilis, in bonum abſens, arduum, poſſibile, cum quadam firmitate animi difficultatem oppoſitam ſuperante.* Huic cùm ſit proprium gignere audaciam, vix ab eadem non nulli cum Fabri pr. 45. diſtinguunt. Dicitur *actus*, quia eſt efficax, non tantùm nudum deſiderium. *In bonum abſens*, quod enim poſſideo, non ſpero. *Arduum*, quia ſpes dat animo firmitatem ad difficultates vincendas. *Poſſibile*, deſpero enim de eo, quod impoſſibile judico.

Spes & expectatio per S. Thomam 1. 2. q. 40. a. 8. non differunt. Si ſpes timore careat, *fiducia* dicitur, ſi ſupra vires meritum quis expectet, dicitur *præſumptio*; ſi in mala certò vitanda feratur, dicitur *ſecuritas*.

Cauſæ, & effectus Spei conveniunt ferè cum cauſis deſiderii, & amoris. Præcipuæ ſunt, ſubſidia rei opportunæ curare; facilitatem adipiſcendi proponere, & ſiniſtra de rebus judicia ſuperare. Hinc quia Juvenes ſpe vitæ longioris & virium ſuarum ferè aluntur per Philoſophum 2. Rhet. c. 12. proniores ſunt ad ſpem; utì etiam eò, quòd inexperti ſint ſubſidia ſæpe deficere. Ebrii, quia difficultates vel non penetrant, vel contemnunt. Demum, qui potentes nacti ſunt amicos. E contrà ſenes, quia viribus ſuis diffidunt, metuunt facilè, & ſuſpicantur; difficultates etiam meliùs proſpiciunt, & penetrant, non ità apti ſunt ad ſperandum. Hujus providentiæ defectu contingit multos eſſe *temerarios*, dum ſinè neceſſitate, & modo pericula quis ſubit, *credulos* itèm, & *audaces*, dum nihil ſibi impoſſibile arbitrantur in rebus quibuscunque obviis; *indignabundos* ex mora rei ſperatæ.

Illud Biantis veriſſimum eſt: *nihil eſſe ſpe dulcius.* Hæc enim quemadmodum vel in adverſis graviſſimis ſolatium eſt, ità laborem omnem, & aſperitatem mollit; alacritatem ad operandum incredibiliter acuit; & quia ſupponit amorem objecti cum deſiderio, cor dilatat, jucunditatem vultûs, & animi conſtantiam cauſat, & promovet.

Deſpe-

Desperatio est *actus appetitûs refugiens bonum difficile, æstimatum, ùt impossibile sibi, quod consequatur.* Unde præter judicium intellectûs de impossibilitate objecti consequendi manet in homine ad summum inefficax desiderium rei, quod ipsum tormentum est animi. Tum fœdissimum est vitium, quando sibi ipsi homo infestus vitam adimit, quod juxta Aristotelem non fortitudinis, sed timoris potiùs est; cùm ob metum minoris mali, majus eligatur, videlicet mors.

Aptissimi ad desperationem sunt, qui naturalium umbrarum, & metûs causâ facilè impossibilia censent objecta, & idcirco sæpe à fune quærunt remedium atro-bilares, & melancholici, mulieres, ac denique nimiâ ambitione, vel habendi cupidine inflati, si votorum termino destitui, & falli contingat.

Malæ matris filiæ pessimæ sunt; temeraria in omne scelus protervia, & audacia effrænis, quæ tamen nunquam ipsis adfert salutem, utpote vires extremas impendentibus. Unde vetus illud: hostem, quem contempseris, ipso contemptu valentiorem efficies. Videlicet, cùm desperatione accedente vires omnes exserat, & vel incautos, vel arrogantes æmulos superet, imò etiam strenuè dimicantes impetûs vehementiâ proterat.

QUÆSTIO ETHICA.

Utrum phænomena, & nomina sint felicitatis, aut adversæ sortis præsagium?

AFFIRMATUR.

QUidquid mortales inter vices geritur, fato geri vetus erat commentum. Christianæ est Philosophiæ oraculum, si conscio Numine geri edixeris. Quid mirum proinde, si & nomina & Cœli phænomena cœlestis diphteræ dicas auspicia? utraque necessitatem virtutis imposuêre compluribus, utraque præsagium aut magnitudinis, & gloriæ, aut ignominiæ, & dedecoris. Non Ceris Majorum ampliùs gloriata antiquitas, quàm nominibus. Hæreditatis maximæ pignus se vendicare censuit, cui Cu-

rios inter, ac Fabios licuit numerari. Neque mirum; ſuis terra, ſuis cœlum loquitur linguis. Illa dum nomine ipſo virtutum ſtimulos, & ſemina laudum dat gerenti; hoc porro dum ferali etiam in noctis ſipario iras ſuas flammis præſagit. Pudet enimverò domitorem orbis voce referre, cujus cùm nè umbram virtutis referat, ignaviâ ſe ipſum proſtituat. Natum Orbi Macedonem ſenſit Perſis, Europa Attilam, ferali uterque ſidere præſagiebatur. Aſtyages contrà vitis in morem inumbrare Aſſyriam, Servius Tullus flammâ cœlo deciduâ puer ambiri viſus, utrique ſigna imperium detulerunt, antequam faſcibus deſignarentur. I modò, & Vatidicum illud exſibila: *Spectatus nunquam terris impunè cometes.* Belli priore ſæculo ultimi incendia recole; quanto eſt parentatum cruore! ut vicenis ampliùs annis terrenti orbem caudato ſidere reſtinguendo ſatisdaretur. Nox ſuprema feralis viſa Julio, viſa & uxori Calphurniæ, & heu parricidale Bruti ferrum eventum dedit, cùm occidit, per quem regnatrices orbi Aquilæ ortæ ſunt. Nempe tela ſunt Jovi, & quæ luceant, & quæ feriant. Lux ipſa tametſi non feriat, terrorem addit, & monitum, ut caveantur diſcrimina ab iis, qui flammam vident, ſonum non audiunt. Vis gloriæ, vis decoris argumentum? grande nomen gere. Aut nomen ponendum, aut virtus ſumenda, æterno monito juxtà ac vulnere ſibi inclamat animus. Ut mirum ſit minimè, quòd nemo hactenus Romanâ dignum ſe ratus purpurâ ſit, qui Cæſaris ſibi cum ſolio non adſciverit nomen. Bellorum flammis aut reſtinguendis, aut acuendis aptiſſimum pabulum nomen eſt. Ferè enim, ùt opinio vulgi, ſic meritum comprobat, quòd *conveniant rebus nomina ſæpe ſuis.* Quemadmodum enim nominis, ſic virtutis, aut vitii magnâ parte eſt hæreditas eadem. Ut Seneca, niſì ſapiens; Mytecus, ac Therſites, niſì ignavus; Cato, niſì gravis hactenus nemo. Et cur, amabò, tremuit cum Ilio Græcia, cum Quiritibus populi, cùm ferale illi Hectoris, horum Urbi pro foribus imminentis Hannibalis quot nomina, fulmina totidem perſonarent? niſì, quia à ſolo etiam nomine ruinæ præſagium imminebat. Neque minor hodierno etiam ævo togâ perinde ac ſago nominis

tuen-

tuendi cura. Prosapia non aliud illustrius sibi decus vendicat, quàm si par sæculis nomen ducat. Diceres censum gloriæ majorem tribui non posse, quàm dum fænus sæculorum, avitum & grande nomen cum vita quis participat. Multa phænomenis olim dedit antiquitas. Superstitione ferè magìs peccans, quàm religione. Amplior tamen data nomini fides. Belli pacísque decora hoc quasi prodromo certa suis commodis legens.

NEGATUR.

VÆ laudatissimæ hominum sorti, & successibus optimis, si aut nomen, aut phænomenum statuatur præsagium. Arbitrii illud, hoc naturæ ludentis est tessera. Barbariei damnabitur Mithridates Regum cultissimus; inurbanitatis tot congiorum largitor munificus M. Crassus; ad fabulas, & scenas legabitur virorum gravissimus Quintus Lepidus; si è nominis etymo censura ferenda sit. Ut virtus non nascitur, sed fit; propterea, quòd non sanguinis, sed animi decus sit; sic nomen, quia sanguine trahitur, sortis ludibrium magìs, quàm aut animi, aut eventûs est habendum indicium. Nulla minor, ùt & facilior hæreditas nomine puro. Parvo stat leganti, magno ei, qui hæres est. Oneri namque, aut dedecori est majori, quàm gloriæ, si aut æmulari non possis, dum velis; aut nolis, cùm possis. Quoties Mutios, & Curtios torpedo nomine circumtulit? quàm pulchrum leonis decora, aut muri, aut lepori assui? Ut nîl alienum magìs, sic fædiùs nihil, quàm discordia nominis, ac gestorum. Quot coluit Roma Cæsares nomine & dignitate? & luxuriâ, aut crudelitate quot monstra in iis magìs, quàm homines, nedum Patriæ Patres. Biberios, Merones, Caligulas, Domitianos viden, & personatas cernes in solio belluas. Severi, aut Servilii dictum par Cæsarum; nihil tamen servile hìc, asperum ille, præter nomen, gessit. Dum præposterâ sorte sexcentis insontium cladibus magìs improbus nemo, ac Probus Cæsar. Nempe res facilis nomen, sed ludicra. Meritum res grandis, honórque est. At phænomenis majorem tu fidem. Apage somnia. Fatui terris, sunt iidem Cœlis

ignes, non ut designent futura, aut manu ducant, sed ut credulos ludant, incautos inducant. Ut non quævis crystallus stillans est adamas, sic iris, quæ pacis olim, cur belli aliàs præsagium esse non possit? fortuito naturæ cursu, causarum motu faces cælum accendit, & diphteram hæc continuò facient animo his majori? At pestis Europæ, & Persidis cum aliis Cometæ indicio præsignati. Itanè verò? cur non eodem sidere felicia id temporis eventa magìs notata? Natus orbi Pacis Princeps, Magis orientis adoratus, & nunquid stellâ duce indicatus? Quid, quòd sidus idem myriades per orbem tulerit, nec tamen virtutes, aut vitia singulis, nec mors una obtigerit. Romulus, & Remus testes sint, pari nati sidere, fundator alter Romani, alter ejusdem sanguinis parricida. Defecit luna, fulsit columna, fax ignea, aut sanguinea per campum visa: ánne idcirco cum Nitia Athenarum Duce bellica suspendenda sit actio? Ideóne exitium cum Coclite, aut cum aruspicibus pulvinaria Deorum visenda? Apage lunaticos, qui ignes hos paveant, & umbras, quas natura genuit, natura cursu suo conficiet. Nunquam sentes uvas germinant, nunquam fortuitus naturæ seu ludentis, seu peccantis cursus signare potest eventuum seriem. Dominatur libertas; non servit. Quis ancillam non dicat, si quòd micans Cœlo sidus, depluus Cœlo sanguis, imber saxeus fatum orbi denunciat, inevitabili necessitate sequatur? Næ tu mihi nomini aut signis pius, libertati & Numini fias sacrilegus.



§. III.

§. III.

Audacia, & Timor.



Cede timor: grandes metit una audacia lauros,
Immensúmque parit magna per ausa decus.
Ergo age; qui magnus cupis esse; aude ardua: námque
Ardua qui metuit, magnus is esse nequit.

DOCTRINA ETHICA.

AUdacia est *actus appetitûs, quo ille fertur in opus difficile, periculis vallatum, quatenus existimatur medium utile ad finem consequendum.* Differt à spe in hoc, quòd spes immediatè circa finem versetur, audacia verò circa executionem mediorum difficilium. Spes ordinariè gignit audaciam, & veluti famulatur spei audacia, potest tamen esse spes sinè audacia: licèt multi utramque confundant. Ab ira differt, quòd ira titulo odii, vel vindictæ terminum petat, audacia titulum arduitatis, & gloriæ respicit.

Spes, amor, audacia invium iter nescit, imò cum igne majorem arduitatem suum existimat esse pabulum. Grandibus ausis exequendis & necessaria, & oportuna; non tamen aggrediendis, his enim providentia necessaria est.

Unde Lipſius, Savedra, cæteríque Politicorum Principes exercitum ipſum audacem cupiunt, non cervorum videlicet corda; at Principem belli, & pacis oculo, & conſilio præſtare malunt. Audacia nimia in voce, mente, actibus temeritas evadit, & ferè authori noxia. Nam principio, ùt ſtupa grandem flammam ciet, ſucceſſu temporis metu collabitur, quæ Pelion antehac Oſſeæ moliebatur imponere. Econtrà ſapiens audacia vires ſibi ſumit tempore, quæ initio fortuitorum maximè eventuum, etiam timore non levi perculſa fuit. Fulgurat oculis, fulminat manibus, ſanguine toto in venis bulliente felicioris eventûs veluti certitudinem pollicetur. Si exemplum petas: Paſquinus Romæ virtutem Germanam ſapientis, Gallicam contrà temerarariæ audaciæ eſſe dixit; utpote cùm hujus aſſultus ferè ſint intolerandi, maximè primi; Germanæ audaciæ vis ipſis adverſis duratur, & incrementa ſumit.

Tria ſunt audaciæ aptiſſima tempora. 1. Experientia, & victoria periculorum. 2. Spei præſidia vel Divinæ, ùt ſunt, qui cœlo ſunt famulati, & cælum quoque famulum habent; vel humanæ, ùt amicitiæ, clientelæ, opes. 3. Quæ cor habent anguſtum, ad quod calor, & vitalis vigor magìs concentratur, potentior idcirco eſt & calor hìc ad actum, quàm ubi diffunditur. Omnia hæc è mente Ariſtotelis, libris Eth. Rhet. & part. animalium.

Timor eſt *actus appetitûs averſativus mali proximè imminentis, & ægrè evitabilis.* Dico: *proximè imminentis*, quia per Ariſt. l. 2. Rhet. c. 5. *non timentur mala longè abſentia.* Exemplum eſt mors certò ſingulis obventura, quæ tamen non niſì morbo gravi præſente metuitur. Differt à triſtitia, quòd timor feratur in malum ægrè evitabile, triſtitia eſt de malo prorſus inevitabili. Differt ab odio, quia timor averſatur malum futurum, quod per phantaſiam, & ſigna ſenſibilia cùm brutis etiam poſſit apparere, ſolent etiam timere futura. *Juſtus* timor dicitur ex juſta; *panicus* ex cauſa ſtultè apparente.

Dividitur timor in *ſegnitiem*, *pudorem*, *verecundiam*, *admirationem*, *ſtuporem*, & *angorem*. *Segnities* eſt timor laboris, qui vires excedit. *Pudor* eſt timor lapsûs, & infamiæ inde orituræ. *Verecundia* eſt timor infamiæ

propter

propter turpitudinem admissam, quæ in Juvenibus ex Diogene *calor virtutis* est, si tamen nimia sit, signum est stupiditatis. *Admiratio* est timor mali tanti, cujus remedium haberi nequeat. Hæc admiratio oritur vel ex magnitudine nimia objecti. Unde, quia sapientibus rara sunt mira, stupidi verò magnitudinem non capiunt, neutri facilè quidpiam admirantur. *Stupor* est timor novi, & inexperti mali. *Angor* est timor mali, quod prævidere non licuit, & ideo neque illi prospicere. Theologis Christianis timor *Servilis* dicitur, qui metu gubernat, ùt servos; *filialis*, qui amore regit, ùt filios: *Reverentialis*, qui mutuo affectu movetur, ùt amicorum.

Causæ timoris sunt *amor*. Unde Poëta: *res est solliciti plena timoris amor*. Cùm amans dilecto displicere timet, vel jacturam metuit amatæ rei. 2. *Defectus potestatis in alios* potentiores nobis, vel conscios malorum nostrorum, nè prodamur. Aut quibus malum intulimus, nè vindicetur. Universim cum Philosopho cave magìs inimicos subdolos, & versutos, quàm patentes. Nam ùt rectè Theagnes: *fallere difficile est inimicum, at amicus amicum fallere non magno Cyrne labore potes.* 3. *Mala conscientia*, cujus vis est (Tullio, & experientiâ teste) ut neque timeant, qui nihil commiserunt; & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverunt. 4. Est *cognitio periculi*, sic Lunatici subitò excitati turbantur, & sæpe pereunt, dum in periculosis locis gradiuntur.

Proniores in timorem sunt, qui frigidius sanguinis habent temperamentum, cujusmodi sunt Phlegmatici. 2. Judicio, experientiâ, ætate imbelles; ùt simplices, fæminæ, pueri. Timent etiam sapientes prævisis periculis; sed ùt plurimum salubriter, dum prævident, ut provideant.

Effectus timoris pessimi sunt. 1. Spirituum, & caloris recursus ad partes interiores, unde pallor in vultu, tremor in membris, maximè autem in metu tremit labrum inferius, eò quòd faciliùs frigefiat. Perturbatio, vertigo, quâ facilè è loco timidus decidit, unde non decideret, si non timeret. 2. Capillorum horror, quia dum calor in interioribus partibus colligitur, poros occupat frigus, per quos crines erumpunt, hinc dein rigent. 3. Vox tre-

mula, ob instrumenta vocis frigore correpta. Debilitantur genua, suffunduntur oculi, & sudore gelido corpus horret. Si agonia potentissima sit cum tristitia, utì Christo, etiam sanguis per poros elicitur per vehementiam intensionis; qui potenti terrore correptis incisione venæ emitti solet, nè intrinsecus corrumpatur, & putrefiat. 4. Canities repentina, etiam unâ nocte causata, utì plura ex pluribus exempla habet Raynaudus. 5. Mors ipsa. Exemplum est in eo, quem joco puro veluti decollandum statuêre non nulli, dum oculis velatis gladio ipso ictum vibrantes, truncum corpus solo allidi animadverterunt, non sinè liberaliori risu. Et en! cùm morionem suum humo attollere meditantur, metûs solius causâ exanimem concidisse serò nimis luxerunt.

Denique suspiciones animo, credulitatem, impatientiam, versutiam, mentiendi facilitatem, & ad omnia vilissima etiam promptitudinem ingenerat. Vates falsissimus, qui facta priùs multa existimat, quàm fiant. Illud nota: quod timor subditorum sæpe etiam in desperationem degeneret, ex qua seditiones frequentes, quæ nisì principio sopiantur, vires sumunt cum tempore, & Magistratum sæpe cum Republica evertunt. Nunquam enim seditio initio pressa crevit; nunquam è contrà seditio initio contempta remedio facili est curata. Documentis non eget veritas. Hodierna, quam vivimus, ætas sæculi præsentis abundè testatur.

Remedia timoris sunt. 1. Minue amorem, & cupiditates; qui enim nihil habet, quod cupiat, metuit nihil. 2. Media tollendæ tristitiæ, media sunt timoris præpediendi. Quis enim futura metuat, ob quæ non dolet, si adsint. 3. Minue opiniones mali præsentis. Sæpius enim opinione, quàm re laboramus. 4. Cogita inutilitatem timoris, facientis sæpe miserum, antequam sit; & qui malo non eventuro miser non esset, nisì vanè timeret. 5. Timor DEI, & periculorum exacta meditatio, ut aboleri possint.

QUÆSTIO ETHICO-POLITICA.

An nimis audax, an nimis cautus dux præferendus?

PRO AUDACI.

ERrat, qui limitem virtuti Ducis conſtituit. Labores Herculis metas nacti ſunt; ùt vitia, ſic ardor Ducum terminum neſcit. Et meritò; exigui ſunt in Rempublicam fructûs, quí audent parum. Sidus Patriæ eſt belli Imperator: ſed majus. Præeſt, ùt ſol choro aſtrorum. Hic nisì moveatur curſu, & recurſu perenni, mundus pereat; ſi lentè, ùt cæteri planetæ, vitium pariter trahat, oportet. Rapi debet, ut proſit; non moveri. Non illum elementorum furor, nubium fædus retardat. Quia audet, vincit ſuo decore, orbis commodo. Qui cuneum nunquam petit, nunquam diſſipat. Quin tempore, vel metu ipſo vires auget nocendi. Creſcit ars, & induſtria æmuli cautelâ nimiâ, ùt vires planta ſumit ætate. Differre, metuiſſe videtur hoſti. Neque turpiùs cadit hoſtis furori, quàm qui antè per contemptum jam cecidit. Curæ grandes honorem, pericula Ducis conſilium ſepiunt. Decet, ùt, quemadmodum alta petunt venti, turbinis mutui poteſtas alta belliducis expers ſit nunquam. Animent obſtantia, non terreant heroum pectus, quia rectè agendi geminant occaſionem, Patriam vindicando, virtutem ſuam cotis inſtar probando. Impellere debet impetus, non retardare. Sæpe námque faciliùs ſuperantur pericula, quàm fugiuntur. Quod temeritati datum principio eſt, favente, ùt fit, cæptis, & cauſæ Numine, gloriæ datur, & providæ felicitati. Fata viam tentanti ſternunt. Qui audet, invenit. Ariadna illi virtus magnanima eſt, quæ pericula evolvit, & diſſipat tempeſtates. Dux eſt, qui, ùt communi ſingulorum Marte depugnat, ſic unus triumpho dignus, vel ſatyrâ. Redimitur lauro caſſis, tametſi membra capitis hujus pugnârint, quia capiti virtutem ſuam debent.. Quàm porro meticuloſus leon; cervus virtutem dabit? Theopompum malim, qui fræno, quàm

quàm Ephorum Ducem, qui calcari egeat. Qui námque casses ubique veretur, pericula ubique somniat. Dubius semper hæret, & anxius, nullibi arenæ copiam facit, nisì ubi stipulatâ sorte laurus arridet. Quid verò hoc pacto? sæpe dum scyllam vitat, in charybdim ruit. At, inquis: multa tempus emendat, quæ desperata sunt credita. Et cautus nimiùm bellidux, sui, suorúmque securus cives dum servat, ùt non prosit, non nocet certè, quod audax facit. Verùm, quid, amabò, interest, exercitu ducto Patriæ non prodesse, an nocere? nunquid nocere est ipsum non augere; Tam enim aufertur Patriæ, quod, cùm licet, non additur; quàm dum tollitur, quod jam habetur. Vim vi duntaxat repellere, non castris hostem exuere, non præsidiis exigere, ignominia sunt cauti nimis Belliducis. Da servum, difficultatis metu fugientem omnium; quid interest inter fugientem, & negligentem? Nónne præfidentem malis, quàm metu vano torpentem? Quid, quòd moderari faciliùs sit impetum, quàm excitari. Ætas illud, & experientia facit; & ignes, si non enervat, hebetat. Cautus nimiùm his omnibus ampliùs vitiatur. Torpet, nec prodest, qui non audet. Audendum, quia ùt crescunt sub incude animi, sic Fortuna ipsa volubilis aliàs Dea, audenti iniqua esse vix potest. Sponsa audaces ferè sequitur Procos. Facilè carpitur laurea, dum antè fidenti animo non tam destinatur in prædam, quàm prægustatur in delicium. Exercitus omnis ad palmas magìs provolat, quàm arenam; dum generosos ignes indicant ausus Ducis. Dejicitur contrà animis vel leonum cohors, ubi cautela nimia nîl nisì metûs præbet indicium; & sin animo metus lateat, damna timoris certissima post se trahit. Acrior námque in æmulum insurgit hostis, dum metuentem vidit. Gradus àd triumphum est primus, timorem hosti incussisse.

Pro Cauto.

NEminem magìs, quàm Ducem, per tubos, & geminatis ferme vitris aspicit miles, & populus. Uno; quo auget vitia; altero, quo virtutes minuit. Solem Dux supe-

ſuperat, qui fuerit ſinè nævo. In hoc audacia, in illo cautela nimia carpitur. Si deligenda tamen alterutra, iſtam malim in Duce non ſecus, ac Principe. Frigori cautela aſſymbola eſt. Utilior Reipublicæ vel eò, quòd ſtringat, & uniat: dum audacia, fulminis ritu diſſipat, & rumpit omnia, crepitu grandi, damno pari, & diuturno. Moderatus calor, Medicorum placito, vehiculum eſt vitalium ſpirituum, immoderatus morborum. Vide cæleſtes ignes, ſupercæleſtis eos aqua circumdat, ut temperet, & cohibeat. Verum eſt, inſiſtendum eſſe fortiter ei, quod ſtatutum ſapienter. At mutantur tempora, & conſiliorum momenta. Sapiens conſilium levi caſu temerarium evadit. Expectanda, quæ poſſumus: ferenda, quæ acciderint. Cedendum non nunquam malo, furori locus tantiſper dandus; cùm anguſtiæ, quas ultrò accerſis, in ampliorem hoſti ſtragem erumpant. Providentiæ primum, fortitudinis alterum, utrumque decus eſt ducis. Indignior habenis bellicis nemo, ac, qui frænum ſibi ipſi non poſuerit. Procul ſit impetus ab arena, in qua bis errare non licet. Quantum bonum eſt Reipublicæ periclitanti Hercules certans, tantum malum eſt idem, ſi ruat audaciâ. Turbo hæc eſt, rapit, non diſponit. Abſit militem unius jactu aleæ Ducis fieri victimam, qui Patriæ, non Duci ſe hoſtiam devovit. Decus hujus, párque DEO eſt ſervare ſuos. Perdere hoſtem, ferri, & flammæ eſt potentia. Præſtat civis unus ſervatus vel decadi hoſtium cæſæ; ùt ſanguis proprius alienò perdito. Sapienter Titus: unius civis exitio, nè exercitûs quidem hoſtilis ſtragem ſibi redimendam cenſeri. Laudabilior námque parſimonia nulla, ac, quæ ſanguinis eſt etiam viliſſimi. Facit id cautela, dum tametſi non vincat periculum, militem tamen, qui vincere poſſit, ſervat integrum. Palmam imitans, quæ centum annis ſterilis dicitur, ut ſemel fructum germinet dulcem. Dum æſtuat audax, canis furibundi in morem, calcari gloriæ, aut vindictæ ebrius, in cædes non tam fertur, quàm rapitur. Vincere, & vinci incurius, dum audeat. Temeritas hæc eſt, non virtus generoſa. 'Flamma, cujus finis vaſtitas, cinis, pœnitudo. Pericula Ducis, Exercitûs, Patriæ, rei Divinæ juxtà, ac huma-

humanæ lugentur tum primùm, cùm inter busta, & exilium sentiuntur. Teli unius ictus sic sæpe lædit vitalia, ut nè quidem in herba spes ulla supersit. Nunc seges est, ubi Troja fuit; fecit audacia Paridis. Crispus Constantini temeritati non cecidisset; regna starent complura, si Ducibus ardor cautus magìs, quàm audax fuisset. Quàm superbum, tam infame excidiis elementum est ignis. Æquata solo Pergama, congestam in struem sceptra, crudelis gloriæ ostentat trophæa, & è communi suggestu funerum metu imperat. Sic parentatur inconsulto belli impetui Regnorum exitio, neque antè quies illucet, quàm cùm busta inter, ac rudera Majestas vidua considet. Ipsa adeò audacis victoria, quia temeraria, ducis non est, sed tyranni; quòd nisì vicisset, turbine uno se, unà & Patriam perdidisset.

§. IV.

De ira, & passionibus generatim.



Cernis, ùt adversum furor æmulus opprimit hostem,
Unguibus útque rapit, dentibus útque furit?
Hoc leo; nec tantùm leo: par insania multos
Sæpe homines rabidas efficit esse feras.

Do-

DOCTRINA ETHICA.

IRa juxta Philoſophum l. 2. Rhet. c. 2. eſt *appetitus vindictæ propter contemptum;* mihi videlicet, vel meis ſinè merito illatum. Paſſio hæc (quâ, teſtante Senecâ l. 1. c. 2. de ira: *nulla humano generi peſtis pluris ſtetit*, eò, quòd ſollicitudines causârit; urbes, regna, Imperia aut exhauſerit, aut deleverit) affectus eſt proſecutivus ultionis poſſibilis; ſi enim ultio ſit impoſſibilis, oritur triſtitia; hinc vindictæ appetitus naſcitur, primò ex contemptu erga nos; qui deinde cauſat dolorem, & uterque iram. Vindicta reſpectu iraſcentis habet rationem boni; & patet in iratis, quòd ſi malum, quod inferre moliti ſunt, exequantur; vel certè ſi murmure, clamoribus, querelis fermentationi bilis aliquantùm ſatisfecerint, voluptatem quandam ſentiant, & ob hanc vindictam dicta eſt Ethnicis Philoſophis: *ira melle dulcior.* Ira differt *ab odio inimicitiæ;* quia *odium* vult alteri malum, ſed non tanquam vindictam, & compenſationem mali accepti, quod convenit iræ. Item ùt Ariſt. 5. Polit. c. 10. odium univerſaliter fertur in perſonas, v. g. fures, latrones, homicidas, &c. etiam ignotas. *A ſimplici deſiderio.* Quia non ſupponit neceſſariò dolorem, quem tamen ſupponit ira. Omnis ira eſt deſiderium, non tamen omne deſiderium vindictæ eſt ira, nisì veniat ex dolore. Differt ab *iracundia*, quia hæc eſt tantùm proclivitas ad actum; ira autem eſt actus ipſe; ſic *iracundus* dicitur, qui facilis eſt ad iram: *iratus* verò, qui actu iraſcitur.

Iræ ſpecies vulgo tres ſunt: *Excandeſcentia*, *ſimultas*, & *inimicitia.* 1. dicitur etiam *fel*, *bilis*, *ira*, & eſt iræ impetus repente erumpens, ſed parum durans. *Simultas* eſt diuturna, & permanens, aliquando dicitur *mania. Inimicitia* eſt ira, non priùs quieſcens, quàm ſumpta ſit vindicta. Illos, qui primâ ſpecie iræ concitantur, nominat Ariſtoteles 4. Eth. c. 5. *acutos;* illos, qui ſecundâ tanguntur, *amaros;* quos demum tertia inceſſit, *difficiles.* In primis prævalet milioſus humor, qui citò accenditur. In poſtremis bilioſus ſimul, & melancholicus, qui ſeriùs extinguitur.

Suprà

Suprà habes causam iræ, remotam videlicet esse injuriam per contemptum illatam. Proximam verò esse dolorem conceptum ob talem despicientiam. Effectus autem plurimi sunt, & perniciosi. 1*mus* est *fervor* cordis cum quadam amaritudine. Unde plures iram definiunt, quòd sit sanguinis effervescentia circa cor. 2*dus* est: incompositus totius corporis status. Inceditur enim cor, & palpitat, tremit corpus, præpeditur lingua, variat pulsus, & color jam pallens, jam rubens; sanguine jam affluente, jam refluente; asperantur oculi, ingens labiorum siccitas.

Pallor iratis causatur plurimùm, si vindicta diu differri debeat, & causa palloris tum est accedens iræ tristitia. Hæc pallida ira sicut crudelior, ità magìs est metuenda. Nam ferè amborum causa est, videlicet si bilis se diffundat, vitiat sanguinem, & icterum, vulgò *morbum regium* causat: si intestina, vel ventriculum occupet, vomitum sollicitat. 3*tius* effectus est perturbatio rationis, quia, cùm propter Sympathiam corporis cum anima, motibus spirituum respondeant motus animorum; fit, ut bile accensâ, accendantur etiam spiritus corporis; unde ratio, quæ tranquillitatem spirituum amat, confunditur, & idcirco rationem quidem videtur audire iratus, sed non percipere monentem; & in primo impetu non aliter, quàm in phrenesi, vel delirio morbidus solet, operatur iratus, nullâ consilii, lacrymarum, moniti, imò & amicitiæ habitâ ratione. Contemptûs iram excitantis species tres sunt: *Despicientia, detractio, contumelia*: reliquis tamen acriùs pungit despicientia in rebus illis, in quibus se aliquis cæteris majorem esse existimat, v. g. si vir eruditus damnetur ignorantiæ.

Ad iram pronissimi sunt. 1. Qui impediuntur in iis, quæ maximè cupiunt; hinc ægroti, pauperes, amantes facilè incenduntur in eos vel maximè, qui ipsos contemnunt. 2. Qui contemptibiliores sunt, cùm sæpius contemnantur, proniores sunt ad iram. 3. Qui animo sunt angusto, & infirmo, ùt pueri, & fæminæ. Fatigati item, sive laboris, sive orationis, seu scientiæ contentione, vel qui ab his repente surgunt, vel actu iisdem intendunt, utì & melancholici. Quia spiritus lætitiæ aptos fregit contentio,

tentio, vel actu intendit. Denique opibus, authoritate, & literaturâ pollentes. Communiter tamen horum ira, ùt facilis instar scintillæ est, ità velut scintilla ab iisdem citò rejicitur. Quod si verò succumbant iræ majori, ex re gravi progenitæ, facilè in odium, & rancores diuturnos degenerant.

Iræ *mansuetudo* seu *lenitas* opponitur. Hæc juxta Aristotelem 4. Eth. c. 5. est: *succensere alicui, prout oportet.* Ait enim, *mansuetus ille est*, (intellige, secundùm naturam loquendo) *qui, prout oportet, succenset.* Est altera *mansuetudo, & lenitas excessiva*, quæ ex 2. Rhet. c. 3. neque ulli studet vindictæ, neque ullum amovet malum ex languore quodam positivo. Etiam hæc pugnat cum ira, & vitiosa est. Unde meritò Aristoteles 4. Eth. c. 5. eos, *qui, ob quæ oportet, quibus, sicut, quando, & prout oportet, non irascuntur*, stolidos nominat.

Ira inter omnes passiones est sola, quæ habet motus repentinos. Quorum alii sunt *primò primi*, qui cùm omnem omnino advertentiam, & deliberationem antecedant, & appetitum rapiant (sicut ferè ea, quæ in somno non datâ causâ contingunt) *indeliberati* dicuntur, & vitiosi non sunt. Alii sunt *semi-deliberati*, qui cum modica, sed tamen nimis exigua deliberatione, videlicet tantùm lumine orto ex motu *primò primo* commissi sunt, & ideo venialem tantùm culpam incurrunt. Alii actus sunt *deliberati*, qui cùm habeant plenum rationis usum, & moram, vituperio, vel laude digni censentur.

Iram propriam lenies. 1. Si negligas nôsse mala obvia. *Plerásque enim injurias, qui nescit, non accipit*; ait Seneca. Hinc cave multùm quærere, quid de te sentiatur. Ut enim multa interrogans, multa responsa acquirit; ità pro varietate hominum partim proborum, partim improborum, quidquid agas, diversè sentientium, & te judicantium sensa necessariò intelliges. 2. Fæditatem irati, & damna iræ perpende. Fæditatem hanc à se consideratam sibi plurimùm profuisse testatur Seneca scribens: se, cùm hominem clavi portam subitò reserare non valentem, videret calcibus ipsis in portam, dentibus in clavim furere, hâc belluæ similitudine adeò motum fuisse, ut

nunquam facilè surgentis iræ impetus audire vellet. 3. Excusa mala illata, vel certè intentionem. 4. Tempus tibi sine, præsertim nè in iræ impetu statuas quidpiam, ad minùs dum 24. literas cum Theodosio recites. 5. Colloquia cum amicis, vel cum affabilibus, iræ tempestatem sedant.

Ira aliena placatur deprecatione, & modestâ conversatione, irato cedendo, neque obsistendo, imò aliquando timorem ostendendo. Hoc ultimo tamen moderatè utendum; nam imbecilles, & sui impotentes hoc timore viso ampliùs effervescunt, & accenduntur. Unde Ovid. *Corpora magnanimo satis est prostrâsse leoni, pugna suum finem, cùm jacet* (etiam simulatè) *hostis, habet. At lupus, & turpes instant morientibus ursi, & quæcunque minor nobilitate fera est.*

Ira, quamvis vitiosa sit sæpe, semper tamen justa videtur homini, & justitiæ titulo se palliat. Culpanda certè non semper; utpote, quæ, si moderata sit, dum homines ad magna audenda reddit intrepidos, & in exequendo constantes, *virtutis calcar* dici meritò potest. Imò vitio non carerent Judices, Principes, domuum Patres, hoc si felle aliquando non uterentur. Nam & Philosophus 2. Eth. c. 8. n. 6. Irasci, quomodo, ob quæ, erga quos, cujus causâ, prout oportet, medium virtutis esse existimat. Et lex Divina Ps. 4. id æquum docet: *irascimini, & nolite peccare.* Fiet hoc, si modus servetur, & vindicta non titulo ultionis ex rancore quæratur, sed ut reum admissi mali pœniteat, id retractet, & posthac evitet.

In consiliis dandis, aut executione cæptorum grandium pestis maxima est ira: quia comites plerumque habet discordiam, & pervicaciam, suo sæpe, & regnorum exitio. Obsedit Carolus V. Tunetum, strenuus hâc obsidione miles Comes Sarnotanus hostes acriùs lacessens acriores pariter æmulos est expertus. Numero Turcis impares Itali, vehementiùs tamen pressi, ope Hispanorum egebant. Cunctabatur Hispanus laboranti Comiti ferre suppetias, eò, quòd Italis frons aciei, apex gloriæ obtigisset. Cæsi ergo primùm ab hoste Itali: postero die Hispanorum castra

ſtra petita à Turcis, grandi eorundem, & orthodoxi exercitûs diſcrimine. Caroli VI Galliarum Regis tempora conſule: Nicopolim obſidebat chriſtianus exercitus. Rex Ungariæ, & Comeſtabilis (ùt vocant) Franciæ, æmulatione diſſidebat; eò quòd ipſe primus ab Hungariæ Rege ſententiam dicere non ſit juſſus, univerſum exercitum ira duorum perdidit. Meritò proinde Alphonſus Arragoniæ Rex ajebat: ſi ſe florentis Reipublicæ Romanæ temporibus vivere contigiſſet, authorem ſe futurum fuiſſe ſtatuendi Jovi Poſitorio templi è regione Curiæ, in quo, antequam ſenatum Patres conſcripti ſubirent, iram *Choragum* affectuum ponerent. Morem illum Romanorum Rex ſapiens indicabat, quo Jovem nominibus multis inſigniebant: Feretrium, Gamelium, Genethlion, Xenion, &c. In Sum̃a de paſſionibus ſedandis id nota. 1. Principem paſſionem primùm impugna. Validiſſimo nervo ſtrato, auxiliares cedere copias eſt neceſſe. 2. Initiis obſta. *Principio tenuem ſpernas, qui fortè ſcaturit rivus; ſi cedas tempora, flumen erit.* 3. Certis judiciis actiones tuas regere conare. 4. Senſus & cuſtodi, & fræna. 5. Exempla aliena intuere, quæ laude digna; vim enim magnetis obtinent. Mala ſint ſcarabæis. 6. Conſortia meliorum expete, aliena fuge. Plerumque enim: noſcitur ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe. 7. Objecta te ſeducentia vita. Amat, qui non vitat. Qui verò amat periculum, peribit in illo. 8. In nonnullis veluti triſtioris complexionis, juverit mutatio climatis, Cœli, ſomni, victûs; recreatio, venatio, converſatio; imò non nunquam medicina.

QUÆSTIO ETHICA.

Utrum magis nocivum, ſuppreſſio iræ, an eruptio?

SUPPRESSIO.

VIolenta nunquam durant. Vis major naturæ fit nulla, ac dum ſtringitur, quod ſuópte ingenio exitum quærit. Torrentem, qui ſtragem molitur, ſi terminis ambire cupias, raró conatus cedit felicior; aut enim rumpit, aut rumpitur. Sic natura iræ motibus æſtuans,

quantùm illi franguntur, tantùm patitur; quantùm patitur, perit. Hinc vetus gnome ſapientis: ira, quæ tegitur, nocet. Ut calor nativus pabulo carens, vitalia concremat, ſic ira pabulo ſuo, libertate nempe carens, animum ſauciat, vigorem tollit, vires hebetat. Veſevi, aut Heclæ viſcera ſcrutare, nunquam acriùs graſſatur flamma, ac dum latet; procella mitior eſt, dum palàm furit. Quidquid coquitur, in acerbiorem orbi ſtragem cuditur. Serpentia in venis toxica, quia preſſa ſunt, ùt vipera materno etiam lactata gremio, non parcunt utero, quo nutriuntur. Sic ægritudo diuturnitate crudelior, quæ acerbitate latentior. Non una tempeſtas primo furore repreſſo, reſumptis viribus acriores campis, & mœnibus peſtes vomit. Fove anguem, & beneficii præmium, affectûs merces mors erit. Nempe acerbiùs, atque adeò periculoſiùs ſemper æſtuat, quod vi ſtringitur. Violentiæ omnis, ùt ignis, hæc eſt indoles, aut erumpere, aut rumpere omnia. Quid prodeſt ſopire flammam, & domum perdere? affectum ſtringere, & vel tibi mentis, vel corporis, ſin utriusque exitium accerſere? Hebetatur acies oculi luce nimiâ; caligat, quæ vim paſſa eſt palpebra; franguntur ſpiritus, & vigor mentis obtunditur, ſi ad ima deprimitur, qui ſummis inhiat, ad quæ natus. At eſto, conſtet ſibi anima, toxicum ſinu concluſum, ùt ſerpens oſſa exedit, dum perimat. Talionis pœnam luit, qui flammam ſinu continet. Se victimam ſacrat, cui alter deſtinabatur. Nihil authori acerbiùs, quàm ira mente concepta, ſed ſuppreſſa. Nisì morem geras, id unum moræ eſt pretium, quòd perenni vulnere, cùm æmulum nequeat, ſe ipſum furens conficiat. Vultur ipſe, & Titius; ſui tortor, & objectum. Quódque acerbiùs cæteris eſt, non alieno, ſed ſuo confici vulnere; tantò minùs ferendo, quantò magìs invito, & diuturno. Proccelloſum mare furentis eſt animus, quantùm ſtringitur, tantùm ſuos exulcerat alveos. Erythræi maris tempeſtas uniones parit lectiſſimos; ſagittas, virus, & peſtes gignit fluctus furentis. Illud intereſt cæteros inter affectus, & iram, ſi modum neſciant, mitiùs furunt. Incredibilis vis eſt amoris, ſpem tamen exacuit, ipsáque bonorum dilatio quantùm angit, tantùm lactat.

Ira,

Ira, fulminis grassatur in morem. Hora quævis dilata, ablata est. Una hæc, quidquid distulerit, dum erumpat, in virus convertit omnia; exitio alieno cùm nequeat, triumphans suo.

ERUPTIO.

VÆ orbi, si limitem furor nesciat. Ubi eruperit, crudelior flamma est. Sedari impatiens, non antè quiescit, ac dum se, suáque damnis eripi cernit; quémque corripit, corrumpat. Mons omnis turbine hoc, nè olympo quidem excepto, æquabitur solo. Torrentis more, qui saxeas moles unà ac sylvas in spolium rapit. Rapit inquam; impellunt enim vitia reliqua, præcipitat ira. Moderatum nihil scit ira. Furor, & cædes ferè sibi sunt comites. Unáque est quies furentis, secum omnia sepelire, & fato involvere. Chymæram, & Ætnam montes ignivomos prodigium dedit natura, eosdem tamen esse jussit documentum. Viciniam latè omnem pessumdant, dum crudeli sæviunt flammarum rictu; flammas sinu suo si concoquant, fæcundis rigent nivibus. Rigere crinibus, scintillare oculis, torquere colla, arenam calce, clamore, & fletu aërem proturbare belluarum est, cùm sanguinem sitiunt. Et hæc rationem, vires, animum foveant? Scintillam comprime; quam digito enervas, sibi relictam, Ætnæo grassari incendio obstupesces; sic ira in furorem degenerat. Hinc non rationis modò, sed sanitatis causâ vitandam monuit Sapiens Ep. 18. Ventorum conclude agmina, aurea spirabit tranquillitas, dominabuntur mari Alcyones. Repagula solve, & cœlo misceri aquarum montes videbis. Non omne, quod fræni videtur impatiens, frænatum languet. Indomitus sessorem non patitur sonipes; quantùm calcar urget, tantùm torquent in officium habenæ. Vis ipsa dum alios petit, in se pariter furit. Rapit torrens littora, se iisdem turbat, & gravat. Nunquam libertati suæ fera dimittitur, nè noceat; spectanda datur, sed è cavea duntaxat. Clementiæ, & amoris fructus quantùm prosunt, tantùm nocent iræ laxatæ fulmina authori, & Reipublicæ. Illi boni publici sunt fundamenta, hæc evertendæ momenta. Inter vitæ civilis fluctus seu

in prora ſedeas, ſeu temonem regas, ſeu remum ducas, felicior nunquam es, ac ſi hos fluctus compreſſeris. Quia nocent, doceant. Latrantes ſopi, tum ſapies. Nocent conſilio; inimica eſt conſiliis cæcitas. Mater cæcitatis eſt impetus: Impetûs iræ profuſio. Nocent honori; pediſſequa vindictæ infamia eſt. Alieno vel damno, vel ſanguine ſuam orbi deſcribit ferocitatem. Pertinacia iræ non ſopitæ individua comes eſt. Pudet præcipitata reluere, aut à malè cæptis deſiſtere. Novo igitur furore furor defenditur, & graviora periculis ſuggeruntur remedia. Quemadmodum nullus hodie tam fædus furoris eſt æſtus, quem ſpecioſus juſtitiæ, aut boni publici color non palliet. Non hæc, crede mihi, nobilis libertas eſt animi, ſed libera vitii ſervitus. Non felicitatis dictamen privatæ, vel publicæ; ſed ad boni cùm privati, tum publici everſionem molimen. Quietè res ſtat utraque & ſervatur; nîl quieti, & moderatis conſiliis irâ magìs adverſum. Pacis fæciales, Belli Principes, ſenatuum Patres da iræ impatientes: Curias, exercitus, Imperia convulſiſti. Da moram vulneri, quisquis læſum te credis. In pus, & ulcera degenerant vulnera corporis, ſi differantur, non animi. Mora ipſa languori medelam attulit frequentiùs. Refrigeſcit impetus diuturnitate, túmque primùm delectat, non erràſſe præcipitem; cùm, ſi factum foret, nîl nisì aut pudor, aut pœnitentia ſera ſuperforet.



PRO-

PROBLEMATUM
ET
DOCTRINÆ ETHICÆ
PARTIS PRIMÆ
INDEX.

Qu-

INDEX
Quæstionum Problematicarum
PARTIS PRIMÆ.

IDEA SAPIENTIS
THEO-POLITICI,

ID EST:

Tripartitæ Morum Philoſophiæ

PARS SECUNDA

THEO-POLITICA.

PROOEMIUM.

POliticam ſapere hodie volunt omnes, ii etiam, qui deſipiunt maximè. Politicus enim lepidis ejusmodi peponibus is ferè tantùm audit, qui nullo legis, religionis, æquitatis diſcrimine, ſua pro libidine, commodo tantùm ſuo omnia ordinat, aliorum deceptorum fraude; juris, & honeſti, præſertim candoris jacturâ. Vel certè, qui præpotentis Domini addictus obſequiis, ſic ſe in ejus format annutus, ſic limina conterit, ùt Barclajo teſte ſervitus non alia durior, atque hæc; eò magìs miſeranda, quò minùs videtur miſerabilis. Politicum alii cum Machiavello cenſent, qui ſic adminiſtrat Rempublicam, ut voluntas ſola ſit pro ratione omni; & præ omni, etiam Divina lege ſtet commodum proprium. Quos omnium optimè confutat Adamus Contzen cum pluribus aliis; Lipſio præſertim, Belgicæ literaturæ, & Politicæ Phænice. Qui licèt Machiavelli ingenium acre, ſubtile, & igneum judicet, ait tamen Principem ab eo non duci ad templum virtutis, & honoris. Quod damno ſuo experti Diſcipuli ejus, Cæſar Borgias, Dux Urbinas, & Sfortia Ludovicus, Politicam peſſimam pari fato terminantes.

Sapienti igitur perinde, ac probo ſic tradenda eſt Ethica, ut cum inſtituto Religionis, & fidei conſtet; neque enim, ùt delirant nonnulli, repugnat eſſe Chriſtianum, & Politicum bonum. Imò veri Ethici nomen perinde eſt ſanctum, ac virtus ipſa per Ariſtotelem l. 3. Polit. c. 6. Horum ſenſu ii, qui ſuam in omnibus ſectantur utilitatem, *verſipelles*, & *Pſeudo-Ethici* dicendi ſunt, de quibus ille: *hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.* 2*dò*. Principem, ùt idola qui venerantur, *Pſeudo-Politici* nominandi ſunt; quia adulatores, & vultûs mancipia. 3*tiò*. Denique, quibus ſtat ſola pro ratione voluntas, *Tyranni* magìs, quàm Politici dici merentur. De vera igitur, & germana id eſt Theo-Politica nobis tantùm ſermo eſt.

PHILOSOPHIÆ MORUM PARS SECUNDA.

POLITICA.

QUÆSTIO I.

Quid Politica, quæ differentia, & objectum?



Eſt mare naufragiis tumidum Politia: ratésque
Mille inter, portum vix tenet una ſuum.
Quot tamen incautos rapiunt iſta æquora nautas!
Dum favet exitio gens maleſana ſuo.

DOCTRINA POLITICA.

POlitica, alio nomine *Statiſtica*, & *ratio ſtatûs* Bettino dicta, eò quòd in illa ſiſtat felicitas publica, eſt pars *Philoſophiæ moralis, quæ docet Rempublicam rectè inſtituere, & vitam civilem ad bonum commune hominum.* Unde Politica etiam ſumitur

mitur pro *Republica*, & communiter pro *Civilitate*. *Politicus* verò, ſeu *Statiſta* verus eſt *homo civilis*, *publico bono ſerviens munere ſuo, vel conſiliis, vel gladio, vel literis, alióve quovis modo.* Unde vides, quàm huic ſit neceſſaria Rerum publicarum cognitio, quæ illius pericula, commoda, emolumenta, honores, &c. diſcernat. Quæ tametſi ex Ariſtotele l. 19. Eth. c. 9. *non ſit cujuslibet, ſed ſcientis*, Philoſophi tamen moralis eſt. Ut cui licèt experientia, rerum aliàs Magiſtra tutiſſima, deſit, ſtudium tamen, & intellectio adſunt, quæ plùs civili conducunt ſcientiæ, quàm experientia; quamvis experientia mirum quantum intellectionem ſolidet, & illuſtret: nam & experientiæ regula eſt ſtudium, & intellectio. Differt Politica à *Jurisprudentia*, quòd hæc præcisè tendat in objectum ſub ratione juſtitiæ; Politica verò tendit in objectum ſub ratione boni communis principaliter intenta. *A prudentia*, quòd hæc dirigat hominem, quid ſit agendum, in quacunque civili, Ethica, Oeconomica actione. Politica verò tantùm in civili. Scientia hæc ſolam ſpectat praxim, ſcilicet in objectum ſuum materiale, quod eſt Civitas ordinabilis, ut inducat objectum formale, videlicet ordinem debitum, & per hanc felicitatem ipſam, ſeu bonum commune. Unde vides finem proximum Politicæ eſſe actiones civium rectè ordinatas, remotum verò eſſe felicitatem, & beatitudinem naturalem.

Per ordinem verò hunc non intelligitur ſolùm v. g. domuum multitudo, quam etiam latrones cum Tartaris habent; ſed intelligitur ordo juſtitiæ, legum, & virtutum aliarum; ſinè quo, ait Aug. maxima regna, quid aliud ſunt, quàm magna latrocinia? Scripſerunt de hac cum Ariſtotele plures. Principes ſunt Plato, & Philoſophus: qui 1. Polit. exponit, quid domus, pagus, civitas, &c. ſit? 2. Examinat varias inſtitutas Respublicas. 3. Conſtituit Rempublicam pro ſuo arbitrio. 4. De ſpeciebus Rerum publicarum, & de aliquibus non optimis. 5. De mutationibus Rerum publicarum, & ſeditionibus. 6. De inſtitutione Democratiæ, & Oligarchiæ. 7. & 8. liber imperfectus eſt de optima Republica inſtituenda. Sequuntur hos D. Thomas. Bodinus, &c. Alii ſolum Princi-

pem instituunt, vel tantùm ex sacris literis, ùt Menochius, & Nieremb: vel etiam ex profanis, ùt Savedra, Chokier, Lipsius, & Causinus.

QUÆSTIO POLITICA.

Utra major, & perniciosior orbis Politica, verborum simulatio, an operum?

PRO VERBIS.

QUàm familiare, tam enorme est mundo malum os fallens: quod non nisì Græcâ aut Cretensium staterâ sua ponderat verba, placendi studio veritati diem in momenta dicit, unam pro commodo aut vindicta anchoram mendacium statuit. Nomen usque adeò fædum pertimescunt omnes, rem diligunt plurimi. Spondere verbis maxima, designare mente nec minima; aureis montibus ridiculum substituere murem; verbis solem referre, animo tempestates, & nubila coquere, res adeò passim domestica, ut penè vim legis consuetudo obtinuerit. Duplicitas oris dicitur ingenium, eloquentiæ pallio adulatio circuit, veritas mutato nomine simplicitas audit. Quasi verò vel eò Politici nomine indignus sit quispiam, quòd verax sit verbo. Hæc ars artium, ut multis tibi nominibus obliges plurimos, lenociniis multis verba oblinere, spem in momenta lactare, obtentionem non suâ frustrari, sed virium culpâ; fide Punicâ id unum efficere, ut dum fidem omnium verbis studes obstringere, agas omnia, ut credatur nihil, quia fidit nemo. Et meritò: Microscopia reperêre Optici, Politica hodie eloquentes creat, qui ex musca elephantem momento ùt metiuntur. mentiantur. Fecêre id olim vitra auctoria, faciunt hodie linguæ, hinc vitrea horum passim fides. Dissilit nempe lapsu temporis instar vitri mendacium, quod fatui instar ignis Politico in Cœlo splenduit parum, veritas contrà adamantis instar amatur. Stat hæc sui secura, vel inter fulmina; dum vel inter prospera tremit cor mendax, eò vel maximè cruciatum, quod, quæ cœpit lingua, dum pertexit versutia, patefactum tempore auditori fermè noceat credulo, magìs

tamen

tamen authori; dum fortunam deceptus perdit, deceptor fidem & famam. Quæ enim fama hominis, cui fides nulla? quis porro fidem tribuat ei, cujus pro circumſtantia venalis eſt lingua? Cui calumniis æmulum premere, convitiis innocentem laceſſere ſtratagema eſt artis, non dedecus mentis. Talione proinde æquiſſimâ id obvenit, quòd, cùm deinde & vera narranti fides ſit nulla, id lucri in vicem reportet, impunè mentiri quòd audeat. Nemo tali in orbe fidus, nemini ille. Suſpicax nempe, nè fraudibus verborum fallatur ipſe, quibus alios fefellit. Jacet idcirco, quia cum, & inter umbras luctatur ſemper. Præſertim cùm mendacia etſi ſucceſſu nunquam peſſimo non caruerint, diuturnitate careant ſemper, quia tempore detecta. Ingenium porro, & frequentiam Politicæ hujus, à frequentia verborum metire. Perniciem ab eventu. Nîl quippe magìs debetur publico, quàm veritas. Quâ ſublatâ, quæ hominum eſt hodie, ferarum erit communio. Corda non patent, verba ſi fallant, commercium periit. Certus enim Scripturâ teſte mali hujus eſt fructus; *os, quod mentitur, occidit animam*, id eſt, fidem mutuam, & fiduciam, quæ Reipublicæ anima eſt. Apage hos Pſeudo politicos. Politicum cupis? habe virum bonis publicis, honoribus, & gratiæ natum. Talis ut ſit, apage mendacem. Verbum unum fidei majoris ſit teſſera, quàm alienorum plauſtra juramentorum. Virtus, ſcientia, concordia mentis, ac pectoris provehant conantem, non mendacia. Amor, & gratia Principum, orbis honor, tributaria ſint ei, *qui loquitur veritatem, & non egit dolum in lingua ſua.*

Pro Factis.

Miſeranda res: Stupidus hodie audit Politicus, cujus ars non ſit mendacium factorum magìs, quàm linguæ. Ineptus Reipublicæ tractandæ creditur, fallendi artificiis quisquis caret. Stratagema promovendæ gloriæ eſt, nîl agere ſinè fuco. Sic tractare omnia, ut & nullam, & omnem ſumas perſonam. Quaſi verò feliciore nemo ſorte cuncta conficiat, quàm quem Circæa commodi proprii pocula totum in vulpem mutârint. Vultus, oculi, calamus ſuam

habent linguam , quâ tegatur non rarò mente latens vipera, tantò crudelior, quantò tectior. Silentio mentiri verſutus magìs ſtudet Politicus, quàm verbô. Tutiùs ſibi, periculoſiùs alteri, quia tectiùs; ùt magìs feriunt jacula, quæ minùs prævifa: & altiſſimæ voragines ſinè ſuſurro inſtar olei undas devehunt. Præplacet ſilentii mendacium; quaſi verò minùs aut infamiæ, aut perniciei authori juxtà ac publicæ rei pariat, famam publicam opere, quàm paucorum vel aures, vel animos ore ſeu elingui, ſeu bilingui ludere. Vah injuriam temporum! certiſſima quondam erat oculorum fides, ùt teſtis eſt Phyſica. Hodie, heu, quæ fides Politicæ! vix jam fides conſtat iis ſecura, quæ oculis uſurpamus. Ferè mendacia verbi factis ſuperamus, dum paſſim publico nìl capimus magìs, quanquam carpamus, quàm aliud mente, facto aliud teſtari: in dolore ſerenum meridiem, inter gaudia doloris nubem, viperina ridentibus gratiis odia, vitia ipſa virtutis ſuperficie venumdare: nec promittendi antea modum, nec pudorem deinde ullum frangendi ſervare. Tantò magìs, ſed & pernicioſiùs noſtro, & Reipublicæ damno per omnium ora eloquentes poſteà, quantò majoris ſunt conſtantiæ facta, quàm verba. Mentiuntur, qui fallunt verbo; pejerant, qui opere. Peccant illi in fidem ſuam, in publicam iſti: quòd illi audientes duntaxat, qui ſæpe pauci; hi orbem, quem famâ facti replent, deludant. Facto nocentes, exemplo peſſimo etiam alios docentes. Quódque pejus eſt; agunt, qui loqui etiam vel non audent, vel non poſſunt. Hoc Divinæ erat Providentiæ arcanum, negare multis multa, ut mutuis ſtet orbis ſubſidiis, amicitiâ, fide. Nulla enim Cicerone l. 3. de offic. teſte, res vehementiùs Rempublicam continet, quàm fides. Et quæ oro aut amicitia, aut fides ſtet, ubi nìl nisì factis fallere eſt regularum compendium, & agendorum cynoſura unum eſt commodum proprium. Circumvenire pollicitis, deferre obſequia, & eventu fallere, procul à privata, ampliùs à publica abeſt re. Sinè fide fora, & curiæ, non pacis, & concordiæ, ſed diſſidiorum erunt fomenta. Regna ipſa grandia totidem latrociniorum ſeminaria. Spes námque promiſſis lactata, vel timor, in graviorem ipſi etiam imperio metuendam

ſubla-

ſublatâ causâ erumpit procellam. Fraus fraudi paſſim redditur, dum vindicta ab invalido in eum, quem fidei læſæ causâ contemnit, non aufertur, ſed differtur. Exoſa eſt infida familiaritas æqualibus, nè fallantur; majoribus, nè probare videantur. Stetit Romæ gloria, donec fides. Cecidit, ubi illa elanguit. Ingenium, cautelam, & prudentiam petunt opera, natura docet fraudes verborum. Unde frequentior verborum ſimulatio, quàm operum. Politici igitur germani eſt, fide diffidentiam, ingenuitate ſolâ fraudes vincere; Fidem tibi omnium ut obliges, ſervare ſingulis. Nam bona ipſa publici ſtatûs culpanda ſunt, ſi malâ parta ſint fide. Hæc illa latens eſt peſtis, quæ dum medullam depaſcitur, ſucco ſtirpem & vitâ ſpoliat. Dum pari facilitate, quâ parta ſunt bona, unà & infelicitate perduntur. Idque unum ſeu doloris proprii, ſeu alienæ miſerationis fænus ſupereſt, quòd & vulneri tuo medelam ferre, cùm velis, non poſſis ipſe; & mendaciis tuis exaſperati plerique, dum alieni ferè miſerentur exitii, triumphent tuo.



§. II.

Imago, & principia Pſeudo-politici.



Vertitur in varios ſemper ſinè fine colores
  Stellio, nunc rutilat, jam viret, inde rubet.
Indole tu ſimili Vertumne Politice plaudis.
  Quælibet aura alium, quælibet hora videt.

DOCTRINA POLITICA.



I Savedræ Symb. 66. credam, tota ratio ſtatûs jam ferè nîl aliud eſt, quàm ars quædam alios fallendi, aut nè Princeps fallatur ab aliis. Nam ùt canit ille: *Fugâre pudor, verúmque, fidésque; in quorum ſubiêre locum, fraudésque, dolíque*, quibus vix Lynx cavendis par ſit. En tibi imaginem Pſeudo-politici in compendio: & vide, an vel Camæleon tot colorum, quot hic fraudium architectus.

Diſſimula ſemper, ſimula, cave credito nulli;
  Omnia laudato, quæ tua ſemper age.

Simulandum ſemper; quamquam damnoſior nulla, quàm religionis, amicitiæ, pietatis ſit ſimulatio. Neque vel Principi in ſubditorum etiam commodum dolus conceſſus eſt; ùt cujus purpura maculam omnem reſpuit. Nolim tamen

per

per *dolum* intelligas, vel *diffidentiam*, vel *diſſimulationem*, vel conciliationem; ſed *deceptionem*, *perfidiam*, & *injuſtitiam*, quarum primam Lipſius ſuadet, neque fraudem eſſe propugnat Contzen; reliquas verò ſpectato Conſcientiæ arbitrio omnes rejicit, & condemnat.

2dò: Diſſimula. Regula bona, ſi ſuo tempore; quæ Principi tum maximè neceſſaria eſt, cum fraudulentis agere dum cogitur. Sic tamen reſponſis veritas diſſimulanda, ut citra mendacium celetur alios veritas, & ſic injuria vitetur DEI, nec tamen animi ſenſa pandantur. Veriſſimum illud eſt: *qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.*

3tiò: Credito nulli. O ſtultitiam! cum Seneca enim ſentio ep. 3. utrumque in vitio eſſe, & omnibus credere, & nulli.

4tò: Omnia laudato. Cùm tamen mortalium acta ſint reprehenſione digna non nunquam, certè laude ſæpe indigna ſint.

5tò: Quæ tua, ſemper age. Non quæ conſcientiæ, & Principis, vel publici boni, vel virtutis; ſed quæ privati commodi, opum, famæ, curat. Et hoc quidem bonis an malis, per fas, an nefas, nîl penſi habet.

Machiavellus, cum cæteris ejusdem furfuris, his ferè ſuum diſcipulum adſtringit legibus, ampliori paululum, ſed paris nequitiæ ſenſu. Cave, nè ulli, quantumvis in ſpeciem amico credas quidpiam, arrideat licèt, complexetur, polliceatur, dejeret. Hinc neminem tibi ex animo amicum cenſe, ſed nec ipſe cuiquam ex animo amicus eſto; adeò tamen comis in omnes, ac ſi neminem non ames. Liberaliſſimus in iis officiis eſto, quibus nihil ineſt impendii, ùt ſunt laudum plauſtra: ſalutationes blandiſſimæ, apertio capitis, ceſſio viæ, complexus, pollicitationes, honorum, & titulorum repetitiones.

Omnem in fabulam Proteus, ſinè veri affectûs indicio, ut te aptes, vultum domi finge eâ arte, ut vultus, & geſtus corporis fucatis verbis aptiſſimè conſentiat. Domi meditare dicenda, & agenda, & quidem ſinè fronte, ſinè metu, omiſsâ ſinceritate perſonam, velut in ſcena duntaxat, agito.

Factio-

Factiones aulæ vestiga sagacissimè, nulli tamen te facilè addicito. Quemcunque favore Principis videris pollere, in tuam partem inclinare intende. Nec pensi habe vel morioni blandiri, si Principi placere videas: si Principi assistas, alacritatem simplicitate temperatam exhibe, gaudio gestientem, quòd adesse liceat. Sic tamen adesto, ut neque perpetuus sis, tædii, & satietatis vitandæ causâ; neque rarus nimiùm, nè oblivioni deris.

Quæ placere Principi nôsti, age, & dic. Cave omnia maximè, quæ displiceant. Dicenti arride; si respondere non liceat, cum admiratione dictorum ejusdem applaude. Si loquendum, petax esto, & querulus semper; in iis tamen, quæ sinè sumptu suo largiri facilè potest: Si capax ipse gratiæ non sis, alios suborna petitores, quos eapropter obstrictos habeas. Aut alieno nomine, tuo tamen commodo gratiam obtine. Denique Principem pleno ore coram aliis celebra, certus fore aliquem, qui Principi referat.

Aliorum gratiam elegantiâ munerum, magìs tamen aptâ, quàm pretiosâ stude inire. Et nè vel animus, vel divitiæ pateant, verbis condias levitatem muneris, tenuitatem fortunæ causare. Aureos tamen montes hâc favente pollicere, sed pollicere tantùm: si piscis aureus tibi obviet, nemini vel in cælo, vel in terra eum cedito. Te omnibus charitate præpone. Dum de *meo*, & *tuo* agitur, vel parentes ipsos aureis verbis fascina.

Procellis, & variantibus aulæ ventis cautè credito. Nullius tibi tanta sit sacramenti religio, quâ charior non sit aurei hami piscatio. Et ideo: *semper tibi pendeat hamus, quo minimè reris gurgite, piscis erit.* Tuum in omnibus commodum idolum sit. Unde si Principem infensum parti videris alteri, & divisa tamen factio vincat, sic te felicioribus junge, ut æmulam partem graviter non offendas, nè Principum affectu variato patiaris. Excipitur tamen grande, & speciale tuum commodum.

Neminem apertè lædito. Conviva esto potiùs, quàm convivator. Quid in alios expenderis, supputare noli; nisì exacto tempore, fructus dum colligis. Proceres cole, & mensis te socia, nec tamen apud eundem crebriùs.

Ubi

Ubi nemini moleſtus, lepidus omnibus eſſe ſtude. Petulantiùs in te dicta joco elude, dum vindices commodè. Verbo: omnes ùt hoſtes cave.

Parum tibi amicos officiis omnibus demerere ut plurimùm, neque id te advertere artificio ſummo diſſimula, amicum te optimum ſimulando. Lauda coram iis, à quibus ſcis referendum iisdem. Cauſam lædendi præcave, imò etiam occaſionem, nè ſcilicet ulli ſic te concedas, ut lædere poſſit. Interim in omnibus aulicorum ludis nihil detrecta; ſic tamen, ut ſtabiliendis, & augendis tuis ſis vigil ſemper, quorum causâ religio, anima, ſacra omnia venalia ſunto.

Heu, protervam hominis temeritatem, nè dicam ſeductoris amentiam! Itáne verò his Pſeudo-Politicæ regulis verſipellis Polyhiſtor magìs, quàm aut Princeps, aut vir civilis formandus? Enim verò, væ communioni mortalium, ſi hæc linguæ, & cordis diſcordia dominatum orbis obtineat: hæ pedicæ aditus omnes præcludant.

QUÆSTIO POLITICA.

An major Politicæ regula: ſimulatio, an diſſimulatio?

PRO SIMULATIONE PSEUDO-POLITICA.

VErtumnus totum hodie ſæculum eſt. Quis igitur gratior Proteo? Nempe ſimilitudo morum, mater amorum. Qui ſimiles ſin reperiant, faciunt. Felix, cui nata domi ſimulatio, ſpem, conſilia, vitam omnem moderatur. Hâc ductus regulâ fingit ſimulans ea eſſe, quæ non ſunt. Colores cum Iride mentiens. Diſſimulans contrà flammam tegit cum nitro, mentiens non eſſe, quæ ſunt. Regula hodierni ævi genio neceſſaria utraque, illa tamen ampliùs. Ecquod enim bonum eſt, quod larva ſimulanti non adferat, cùm tamen auferat diſſimulanti? Nempe quia genium, mores, vultus, ſpeculi more pro arbitrio cujuscunque refert, nubilum mærentibus, ſerenum hilaribus, Cælum opere mentitur in terris, & Cælum ſibi fundat, omni vento ad ſuam navigans felicitatem. Simplici-

plicitas eſt, linguam cordis eſſe propolam. Abſit ſenſa mentis in officina oris pandi, quâ cor ſit venale. Tibi uni notus ſic dege, ut tamen notus omnibus videaris tantùm; hæc prudentiæ amuſſis eſt. Sapientum cætui comes, etſi primo vixdum tibi labra madeant rore, ſilentio attento tege, qui es; aut parcâ voce, fabam, & ſalem adferens, ſimula, quod non es. Mentem ſtoicam inter Pythagoricos; inter Academicos Gratias morum cultu exſupera. Inter eos, quibus cordi Religio, pietas ipſa credaris. Frigus, & metum ut ut geras pectore, Martem vultu, fulmen ore intona; & pulchriore nunquam vinces adoreâ, quàm cùm alienum faſtum ſui ſecurum, atque adeò negligentem periculi ſuimet ruinâ tumulaveris. Et quæ amabò, ſit cautes Marpeſia, quam Hercules ejuſmodi Gallicanus non vinciat? qui, dum pro arbitrio roſas, & ſentes loquitur, omnibus ſe aptans, ens fit omnigenum. Rarus profectò, qui tali non cupiat eſſe Theſeus; ùt qui ipſum adeò hoſtem nullâ armorum vi domandum, lacrymis ſuis, quamquam fictis emolliat. Adeò multùm poteſt Cygni candor atræ oblitus cuti. Sæculi id vitium (ſi ta men vitium ſit) magìs credendum, quàm hominum. Gratius huic mendacium nullum eſt aſſentatione. Quiſquis benevolus, palmam gratiæ tulit; puro tamen, an ficto corde benignus ſit, parum intereſt. Cum Struthio-Camelo quamvis ferrum ſæpe concoquat, ſi favum loquitur, præſentiâ afficiet. Felix eſſe cupis? omnem indue hominem, ſic vives in omnibus; factis quod nequis, verbis, & fuco conſequeris. Quiſquis cuique patet, felicem ſe fore nunquam credat. Fatua, quia oculo caret, & cerebro, eſt ingenuitas cuique obvio ſe revelans. Ut corporis, ſic animi nuditas non caret vitio. Inſanum ſe David ſimulat, ſecus caſurus victima Regi Achab. Jacob primogenita nactus, ſimulato Eſau hædino ſub vellere. Et Jun. Brutus Tarquinii furori ſe devoviſſet, nisì ſimulata eundem inſania vindicâſſet. Et quid mirum ſic ſentire providos? Naturâ nihil innocentius ullibi; eadem tamen ſimulat quoties? nigras ùt argentum, ſic ſtannum ducit lineas, externus candor pretium ſuperat. Ignis ſpeciem arbunculus, & adamas refert; flammam tamen ſinu non geſtat. En exemplum: ſequere documentum.

Pro

Pro Dissimulatione.

VAh injuriam temporum! ætatem agimus, quâ ſimulatio ars eſſe deſiit, quia in naturam tranſiit. Bacchanalia conſtanter agimus, larvam enim frons, & vultus penè omnis ſecumfert. Incerta ſunt omnia, certiſſimum id unum, nihil non eſſe tectum. Sinceritas & candor, quid nisi otioſa ſinè omine ſunt nomina? ſignificant, ſed ad placitum duntaxat, donec proſunt. Ex quo enim nec ſanguis ſanguini ſic cognatus, ùt ſuum cuique bonum: hæc Politicam invaſit hæreſis, ut jam neſciat, quid, vel cui credere debeat? ſubſtantiâ hâc ſolâ ſalvâ: *ſuum cuique bonum.* Quidquid acerbius eſt, exulet licèt, & cælum teneat veritas: Pſeudo-Politica dum faſces tenet, dolum dici non ſuſtinet, ingenium vult nominari. Ingenioſior ille, qui, quia ſimulatus, mendacior. Gratior, qui gratioſior; talis eſt, qui tropo ſæculi ironiâ utitur ſemper. Eheu, & germanam hactenus fidem omnis penè Creta obtinuit! Omnia novit ſimulatio, momento unico ex Cygno corvum, è remoto proximum, è Gigante pumilum format. Et hæc tamen ſimulatio vultûs, ac morum, ineſt, falſitas orbi probetur potiùs, quàm diſſimulatio? ô Judicium! tegit hæc tantiſper; quod periculi plenam, quia immaturam non patitur lucem; ùt ferè, quæ tenuis ſunt retinæ, lumen, vel aërem ſpiſſum non ferunt. Dum contrà diſſimulatio ea etiam, quæ non ſunt, fingit, & imponit. Si ruinam ædificat, qui arenæ ſuperſtruit: aranearum certè telis nititur, qui ſimulato capitur vultu, & cultu. Et tamen toleret mediocrem in Principe dolum ſeductor magìs, quàm inſtitutor Principis Machiavellus? Cave, maculam omnem pretioſa reſpuit ſupellex, at magìs purpura. Docet, quisquis ſimulando fallit, præterquam, quòd deceptis noceat. Sed & frequentiùs alienos cùm petit, ſuos laqueat propriis caſſibus greſſus. Vis cauſam? laneo quamvis feratur ſimulatio greſſu, Argos veſtigia non fallunt. Dies pandunt, etſi momento non pateant. Non adeò facilè diſſimulatio patet. Quam unam, ſi Ludovico XII. fides ſit, quisquis habet, ſceptro dignus, & purpurâ. Ut

contrà,

contrà, qui nefcit diffimulare, nefcit regnare. Cogat fors publicæ infeftas felicitati procellas, hoc tranftrum elidet impetus. Vicit fæpe numero gladius, at diffimulatio fæpius. Cedit hæc pro temporis diuturnitate tantifper, ut Antæo fortior feriat acriùs, fumens à cafu robur. Furat cælum nube, fragore, fulmine. Vires nectat ambitio, livor, fraus. Vim vi fi tentes refringere, nec Herculem duobus fupparem effe fenties. Diffimula, aut cadent jactata in folem tela, Parthorum more in authores fuos, aut tempore ipfo redibit ferenus Jupiter. Sæpe fubducimus vela ventorum turbini, non ut pereamus rebus jam conclamatis, fed ut contractis rudentibus curfus ipfis adeò provehatur adverfis. Hoc pacto tranquillitas, & moderatur, & vincit faciliùs, & ampliùs, quàm violenta poteftas. Id ergo ratum habe, fixúmque: fic te non nunquam gere, ut, effe quid poffit, nemo difpiciat fatìs æmulus. Felicior nunquam, fi non fimulando, fed folâ id egeris ratione. Non femper patens, non femper latens, charybdim inter, & fcyllam, fimplicitatem, inquam, & fallaciam inter provehere medius. Prudens, nunquam fubdolus. Sincerus, non imprudens; verbo: diffimulans, non fimulans.



§. III.

§. III.
Imago veri Politici.



Consilium malo, geminis Sapientia transtris
Dum sedet, & certam dat Cynosura viam.
Ibit inoffenso per summa pericula cursu
Nauta, nec in mediis monstra timebit aquis.

DOCTRINA POLITICA.

THeo-politicus Sapientum è mente, Senecæ præsertim, Ciceronis, & Epicteti, Religionis caput censet præcipuum, rectè de DEO sentire, quòd scilicet sit, & bene, justéque omnia administret. Mortis præ reliquis, tum cæterorum, quæ mala censentur, meminit indies. Bonum non in speciem, sed in solidum quærit: nihil opinionis, vel simulationis, sed conscientiæ causâ formando. Hinc opus aliquod aggrediens, cogitat, cujusmodi id opus sit. Actorem se fabulæ illius existimat, quæ universi Domino videtur, seu longa ea sit, aut nobilis, seu brevis, aut abjecta. Edendi, bibendíque finem siti & fame sedandâ constituit.

Voluptatem si æquam senserit, animo moderatur, nê ea dominatum obtineat. Quin utriusque temporis meminit,

nit, ejus, quo voluptate fruitur; tum ejus, quo illâ perceptâ dolere cogetur, & ſuimet agere accuſatorem. Quantùm amicis jucundus eſt, tantùm inimicis eſt mitis, ac facilis. Deum ubique omnium arbitrum ſupra ſe, factorum porrò, ac dictorum cenſores cum conſcientia circa ſe eſſe credit. Verbo:

Quædam diſſimulat; ſimulat nîl; credit ùt Argus:
Pro meritis laudat, quæ bona, ſemper agit.

Hâc baſi Theo-politicus nititur. *Diſſimulatio* etenim tempore, & modo ſuo adhibita, prudentiæ momentum eſt maximum, & utilitatis, ac fructûs ſæpe pondus fortiſſimum. *Simulatio* veritati ſemper contraria, quæ animum, ùt ait Ennius, in fronte legi cupit. Apage adulteram illam Neronis vocem: qui neſcit ſimulare, neſcit regnare. *Credit*; ùt enim de amicitia dixi; fidit, ſed cui videt, quod cautæ mentis eſt. *Laus* merita comitatur juxta ſinceritatis leges. Denique proſpicit, quid ſe agere oporteat? & curat, ut rectè omnia exigat.

QUÆSTIO POLITICA.

An in Principe ùt minùs verborum duplicitas admittenda?

AFFIRMAT PSEUDO-POLITICA.

NOlim Principem Homeri Autolicum: qui, ùt homines, ſic Deos ludat; aut cui cum Lyſandro Græciæ, Tyberio Romæ, par ſit mendacio veritas, fides tanta, quanta utili proprio expedit. Piaculum eſto dona Numinis, germani candorem pectoris, in dolos ac fraudes converti, ſi plebem ſpectes; at fucum non nunquam allinere oculis, artificio vocum circumvenire æmulos, quis Principi indultum eſſe negaverit? Angulus in orbe nullus, quò colonias gentes non duxerint, cum gentibus mores. Idque lugendum, quòd, ùt imperium olim, ſic fides hodie Græca paſſim obtineat; quóque cultior literis, aut artibus populus, tantò ferè ampliùs huic ſacrificet fidei; quaſi verò *præ cæteris excoli*, & *aſtutam vapido geſtare in pectore vulpem* ſint Politicæ ſynonima. Hiblam

blam verba, mephitim ſenſus redolet; vultu Charites, corde viperæ dominantur. Commune id fatum orbis, miſerandum in Principe: ùt cui adulantûm ſatellitio cingi, ùt roſam ſpinis, natalis eſt dos. Rarus ſinè ſquamma piſcis, aut ſpina, rarior ſinè fuco cliens. Pari tramite, quo gentes; fraus, & dolus commigrant. Ars & natura his nullum ampliùs imperium ſtatuit. Dædalo major audit, qui liber his ſyrtibus; quantò ergo Principi id non licitum modò, ſed ùt neceſſarium, ſic conſultum juxtà; ut quò Herculis nequit clava, vulpinus rem omnem pilus conficiat. Fumum patimur, ut flammam ſopiamus. Sapientiorem Principe neminem dignitas ipſa depoſcit. At quæ major ſapientia, ac tempori, ſcenæ, genio, circumſtantiis ſe ipſum, non hæc omnia ſibi aptare. Hora quævis ſuum nanciſcatur Principem, ſuum pariter homo. Quid cum vulpe agendum æquiùs, nisì vulpinarier? Aut Polypus, aut torpedo eſto cum ſubdolo, dum piſcatorem nisì fallas, falleris ipſe. Si futuri juxta, ac præteriti providus ætate omni Janus audit Princeps, cur non utrique & ſerviat? apage precarium id ſolium, cui pondus non aliud, ac quod dicto veritas, conſiliis fides conſtituit. Errore perenni, & labyrintho ſeptus eſt, hâc qui regulâ ducitur: non una tentanda eſt ſemita, ut reperias exitum. Raro lauros meſſuiſſet gladius, & adoreas purpuræ, nisì illum in falcem fraus acuiſſet. Quoties fraudi alienæ Princeps, Provincia, ſenatûs conſulta ſint victima, nisì ambiguitas curſum provehat? horum ſi poſtulet ſalus, quid vetat larvatam ſub diademate ſimiam ludere, non ut perdas, ſed ut ſerves. Fraudem dicat hæc plebs, Prudentiam in Principe mores temporum faciunt, ùt cui dominatio ipſa æquitatis titulum addit. Nunquam caret juſtitiâ, quod fructum adfert ſolio. Quem recto curſu tramitem ſcylla præcludit, obliqua pandunt vela. Non dolus hic eſt, ſed Navarchi peritia. Pueros, & ægros nominat Plato vulgi ſtudia, refert hos ſuâ ſæpe decipi magìs, quàm Medici causâ. Falernum manet falernum, etſi modicam miſceas frigidam; ſic prudentia fraudi modicæ. Ignavia contrà, & torpor eſt verborum ſimplicitas.

Negat Theo-Politica.

BIvium orbis pandit Politicus; fidem Græcam, & simplicitatem, seu candorem Bæoticum. Periculi illa, hæc pudoris plena. Dissimulatio rarior, diffidentia sapiens, circumspectio cauta dignæ virtutes Principe. At quo pacto vulpem induat, quem leonem sibi delegit Respublica? candorem tenebris jungat, æquus perinde ac inimicus, Pater Verbo, tyrannus opere? Utilitate, & auro suam paciscatur institor fidem, Princeps generoso candore, & pretio. Mercurius sit instructus Caduceo, serpens illi prudentiæ, non fraudis; alæ celeritatis, non versatilis sint sortis indicium. Estò lateant Simoëntis fraudes, palliet verba fucus, serpentem cauda prodet; ùt sepiam quamvis obtegat fluctus, color undæ designat. Dona nulla constantia, quæ fuco illita; sic quia mendacium simulationem docuit, fructum non fert. Falsitas, imò falsitatis opinio, existimationem proterit. Miseranda dignitas, quæ felix non sit, nisì mendacio. Servile vitium est dolo aut triumphare, aut gloriari. Lumen veritas, mendaciorum tenebræ nominis pariunt obscuritatem. Ridetur, si leonis tectus exuviis Arcas prodeat ;par sors est Principis. Virtus falli nescia solium commendat, & firmat; invisum, & infirmum reddit verborum duplicitas. Cœlum, & astra orbem fovent maximè, si candore faveant. Astrum Princeps est, ut moveri possit in circulum, angulis careat. Fiditur ei publicum, ejus stat fide. Hanc ut fallat, vel orbis commodo caveat. Nec Principi Princeps, nec Domino subditi, nec ipse sibi fidem dabit, si fallat; dum metuunt omnes, quem esse crediderant, dolum latere. Fallitur, qui fefellit. Par pari redditur passim. Contradictoria conciliante vicissim Politicâ. Præterquam, quòd nemo linguis calumniantûm magìs expositus, ac si horologii index, lingua Principis non respondeat animo. Sapientem audi: *non decet Regem labium mentiens.* Ut in quo fraus eò fœdior, quò dignitas altior: & quia altior, dum pluribus perspicua, patentior. Verba Principis, oracula censet populus. Mendacium jurisjurandi sit violatio

in

in plebe, ſacrilegium in Principe, veteri Alphonſi trutinâ. Cauſam habe: fædior ferè eſt macula, quæ purpuram vitiat. Labes nulla eſt modica, quæ adamanti inuritur. Os Principis ara ſit veritatis. Et meritò: quid enim juſtum non erit mendaci? ſi fraus decere poſſit Principem, ut Rempublicam ſervet, ut amicos conciliet. Nunquid ſpolia ipſa æquitas ei audient, libido caſtimoniam induet? Tolle fidem verbis Principis; religio, pax, fædera, commercium generis humani convellis. Quæ enim aut authoritas, aut robur mendaci? Ceſſat authoritas, cum non amat, qui imperat, ſed decipit. Quod porro robur, cui nullæ à ſubjectis fidei vices? Regnum nullum ſinè fædere tutum: quis porro paciſcatur fædera fallenti fidem? Documentum utriusque Tiberium Roma dederat, hac in fallendi Palæſtra Magiſtrum. Non antè dedoctum aut diſcere, aut docere, quàm cùm fato ſuo in Gemoniis ſcalis orbem docuit, ſanguine demum expiari proprio fraudem, quæ nemini ſuorum fide ſtetit. Nunquam orbi major Franciſcus Rex Galliæ primus, quàm cùm Carolo quinto, cui per Gallias tranſeundi poteſtatem ſpopondit, adulatoribus non obaudiens, libertatis pacto ſtetit. Fidei ruptæ maculam nomini Gallico vel tanti æmuli comprehenſione nunquam volens mercari. Sapienter Lacedæmonum è ſententia: ùt, quibus nihil utile viſum, nisì quod honeſtum, virtutíque comes.. Helvetiorum námque effato veteri: virtute, & fide, non fraude contendere Principem decet. Ridicula orbi foret mutatio, ſi Numen eſſe Numen deſineret, quod ùt falli, ſic fallere neſcium ſe hâc dote ſpoliaret eo-ipſo, quòd orbem mendacio luderet. Deum ſacra pagina Principem dicit. Et hujus verba fraudem ſubeant? Sanè Princeps, quod eſt, eſſe deſinit, cùm fallit. Simiam in ſolio ludens perſonatam. Exitio dignus jure eſt, qui coronato imponit vertici; duplici ruinâ dignior, qui quam deberi ſibi fidem exiſtimat, ſimulare aliis nîl penſi habet. Commune id orbis vitium, an judicium eſt: Nemo negare metuit, quod dari ſibi facto non cernit. Echo paſſim ſunt linguæ & pectora cum Principe agentium. Inſonet candor, reddetur idem, ſeu verecundiâ diſcrepandi, ſeu metu diſplicendi. Clamet duplicitas, eadem reclamabit;

& cujus ampliùs, quàm audientis Principis, atque adeò Reipublicæ ſin exitio, certè diſcrimine, vel detrimento. Verbo: Omnis, ùt Deum, ſic Principem virtus ornet; Sapientia tamen cumprimis mentem falli, linguam : fides fallere neſcia.

§. IV.

Quid idolum Politicum, Fatum, Fortuna? Item anima?



Compagem hanc omnem, terram, mare, ſidera, mundum
Reſpice: dic tantum quis dedit author opus?
Parce, precor, fatum, ſortémve Politice fingas:
Cuncta, DEI, clamant, condidit una manus.

DOCTRINA POLITICA.



Theos ævo noſtro, ſcripturâ teſte, dari poſſe vix credo, ùt quæ inſipientem dicit audentem dicere in corde ſuo: *non eſt DEUS.* Ad quem nisì ducat Philoſophia, ludibrium, vanitas, delirium eſt ſapientiſſimo Lipſio in præſcript: ad Conſtant. Ducit certè, cùm cœli pandit arcana, *in quo ſupervacaneum eſt oſtendere non ſinè aliquo cuſtode tantum opus ſtare; neque hunc ſiderum certum diſcurſum fortuiti impetûs eſſe.* Sen. l. 1. de Provid. c. 1. Ducit, cùm orbem univer-

universum, & in eo vicissitudinem temporum, rerum, eventuum, & regnorum ostendit. Quis enim cum Anaxagora credat, orbem hunc solo atomorum concursu constare? Sapienter certè Tullius l. 2. de natura Deorum: quòd si mundum efficere potest concursus atomorum; cur porticum, cur templum, cur domum, cur Urbem efficere non potest? quæ sunt minùs operosa, & multò quidem faciliora. Ut proinde *fatum, belli alea, fortuna,* sinè DEI, omnia moderantis, arbitrio è sapientissimorum suffragio vanitas pura sint, & delirium.

Ducit denique Philosophia in cognitionem Dei, si seipsum, seu animum contempletur. Lumine enim naturali notissimum est, eam rem, quæ novit aliquid perfectius, à se non esse; ergo ad ens à se deveniendum: ità recentiorum semi-Deus Cartesius. p. 1. princip. Phil. N. 20. Nam quamvis verâ sui cognitione habitâ, Deus rerum omnium author cognoscatur esse infinitus, homo contrà finitus; animam tamen humanam sapientiæ, & potentiæ Divinæ prodigium, immortalem esse talis necessariò cognoscit. Hæc enim stulto metempsychosis commento à Pythagoricis de corpore in corpus hospes migrare fingebatur; deinde verò naturæ ipsius judicio, & gentium omnium sensu est immortalis credita. Hinc Cic. l. 1. Tuscul. ùt Deos esse naturâ opinamur, sic permanere animos consensu nationum omnium. Et Plato in Epinomide: Barbaros, & Græcos omnes hoc agnovisse testatur. Anne ergo sapiens naturæ ipsius lumini repugnet, vel Barbaris ipsis sit deterior?

Felices sanè impii, si cum morte, & termino impietatis, malorum vindicias vereri non oporteret. Impia contrà foret æquitas omnipotentis, nisì anima maneret æternùm: cùm Deus justissimas ùt plurimùm animas infelicissimas esse sinat, dum hoc in orbe vivunt; impios contrà felicitate summâ pollere, per illud: *via impiorum prosperabitur.* Si proinde neque in orbe, neque in æternitate hos supplicia, illos munera manerent; nunquid æquitas ipsa omnibus foret iniquior?

Hâc DEI, & immortalitatis animæ fide menti impressâ, Religionis cura princeps sit Politico, oportet. Eccur

enim Politicæ pugnet religio, id eſt, ſincerus Numinis cultus, & reverentia? cùm Ariſt. l. 5. Polit. teſte, conſtantiſſimum ſit Monarchiæ Imperium, ſi populus religioſum videat Principem, tum quòd nihil à timente Superos injuſtitiæ metuat; tum quòd in eundem vereatur conſurgere, cui Cœlum novit fæderatum. Ad hæc Machiavellus ipſe, fundamentum felicitatis Reipublicæ verum Religionis cultum exiſtimat: utpote, cùm & cives morem Principi gerere, & Princeps ipſe DEUM poteſtatis ſuæ arbitrum, *in cujus manu ſunt poteſtates, & regnorum jura*, metuere per eandem condiſcat.

Quid porro hac è privata, & communi virtute, nisì felicitas privata, & publica? ac proinde *rationis ſtatûs* commodum? Cujus per Polybium l. 4. ille ſtatus optabilis, ac firmus, in quo & privatim ſanctè, innoxiéque vivitur, & publicè juſtitia viget. Apage proinde Pſeudo-Politicum illud: *Superos primus in ſpeciem cole.* Aut, quod deterius: *religionem ſolius populi in obſequio facilius continendi causâ repertam, aut ſtabiliendam.* Nam ſi Menochio l. 2. c. 1. teſtante, gens nulla tam barbara eſt, quæ non vel ipſo naturæ lumine aliquod humanis rebus Numen ineſſe ſentiat; non nisì impiorum hanc eſſe vocem cum Savedra Symb. 24. dicere cogor.

Credebant Veteres multa Fortunæ imperio fieri, quam etiam cæcam, & inſtabilem, globo uno tantùm pede inſiſtentem ſomniabant. Et quia bona, & mala hominibus diſpenſat, ſacrificiis, & templis venerabantur. Contra quos S. Aug. l. 4. de Civ. DEI. c. 18. acutè ſic arguit: vel fortuna favet ſuis cultoribus, vel non? ſi non, cur ergo colitur? ſi ità, ergo cæca non eſt, quia ſuos cultores noſcit; ergo fortuna non eſt, minùs Dea.

Alii autem hanc Deam negantes, judicârunt omnia fieri à *Fato.* Per Fatum autem intellexerunt vim impreſſam ſideribus, à quibus iſta vis ſublunaribus rebus immittatur, ità ut omnia in mundo inevitabiliter fiant. Imò dicebant, etiam ipſos Deos huic Fato ſubjacere. Sed tale Fatum cùm evertat omnem libertatem humanam, conſequenter tollat omnia merita, & demerita; conſequenter etiam Cœlum, & infernum; ſolus Atheus poteſt admittere.

Aliud

Aliud autem Fatum etiam Christiani concedunt, de quo Boëtius c. 4. de consolatione: *Fatum est in rebus naturâ suâ moblibus, per quam Divina Providentia suis quæque nectit ordinibus.* Id est: est quidam ordo, quo omnes causæ sibordinantur dispositioni Divinæ, ut jam necessariò, jam prosus liberè ad certum finem, & scopum efficaciter omnia dirigantur. Unde non est *fatum*, quasi à *fando*, eò, quod ideo, quia DEUS fatus est, id est, quia præscientia Di de omni re ab æterno est vera, res necessariò sequatur; sed potiùs à contrario, ideo res à Deo scita, seu fata est vera, quia res est futura.

Simlationem porro religionis vel Ethnica te Sinarum Politica doceat, in qua Mandarinorum, seu Patriæ Patrum plures Martino de Martinis scribente, vitam ex ordine antè posuêre, quàm iniqua Principis facta, libello (more gentis) supplici non redarguerent. Quod ipsum fato suo magnum Angliæ lumen Thomas Morus Henrico probavit. Quid Tebæa cum Mauritio legio, cùm pluribus aliis? Alexandriæ, Antiochiæ, & Romæ, civium millia sanguinem regionis ergò fundentia? quid sexcenti cum Boëtio, illo humano generis miraculo (ùt eum Caramuel nominat) iter impios piissimo Religionis cultore aliud meritis, geis, sanguine contestantur, ac falsitatem simulationis Politæ rationi statûs minimè necessariæ? Neque continuò boum militem, Atheum mente: consiliorum arbitrum, regionis aut frigidæ, aut nullius; potentem opum, & honorm, genio, tempori, dicam veriùs vesanæ suæ superbiæ arbitrio degere oportere. Caput denique universi religionm esse, huic debere cedere rationem statûs; utpote qui summum bonum esse nequeat, nisì ad normam Numnis, Religionis, ac fidei dirigatur.

QUÆSTIO ETHICO-POLITICA.

Uter stultior, unum negans, an plures credens Deos?

Pro Unum Negante.

Politica, si vera sit, pictura est, Lucis & umbræ Magister Politicus. Nunquam hoc nomine dignior, quàm dum

& antemuralia impetit. Acriùs semper sævit, & jugulo imminet, qui succum ipsum tollit ac sanguinem. Agit primum, qui literis cives: agit secundum, qui Rempublicam civibus spoliat. Hostis uterque, & Reipublicæ æmulus, sed mansuetior ille, quia remotior: acerbior iste, quia dum intimus: & crudelitate & diuturnitate mali immitior. Vulnus quodlibet eò ferè acerbius, quò diuturnius. Quid porro sentiri possit acriùs, ac quod non nisì annorum impendio, imò & sæculorum fluxu compenses. Rapit calybs horâ unâ myriades, non tamen horâ pariter unâ cives, ùt fungos parit natura. At acerbum sit quamvis uno carere munimine, acerbiùs longè est nominis una ac gloriæ post fata etiam vindice spoliari. Quàm decumanum Patriæ luxit vulnus Latium omne, cùm â Vejentibus die uno Fabios tulit fama peremptos. His enim verum illud Horatii semper: *O & præsidium, & dulce decus meum. Præsidium* inquam, ut sinè hoc procellæ cuivis pila sit postliminio Patria. *Decus* porro, quo viduata, sit furori cuivis ludibrio. Nefas erat quondam amictu vel crine spoliare, quantò magis cive? Quo enim pacto floreant artes, potentia, opes? nisì civium affluxu. Sinè his quis fundum excolat, sementem sulcis credat, artes quaslibet provehat? At esto, jaceant incultæ artes, vivat modò Civis Patriæ, sibi constans, exteris suppar degit, & cristas tollit. Nocet, qui literas adimit; sed decus duntaxat tollit, non vitam. Vita bonorum compendium est, & corona, hæc Civis solus est.

Pro Eo, Qui Literis Cives.

Vita bonorum compendium & corona est, fateor, si vita sit. At illúdne vita dicendum, quod esse solum dicit Philosophus? Non hæc profecto digna homine vita est, nisì fuerit, quod eundem discernat à brutis. Ratio sola, & excultus literarum studio usus est, quod altiorem brutis constituit. Ut meritò Mytilenæi maris potiti imperio, non aliâ perfidos sub jugum missos pænâ dignos censuerint, atque hâc, ut literarum rudes manerent. Quasi vero pæna morte ipsâ crudelior sit ignorantia. Sapienter judicatum. Sic Cumanos enervavit quondam Aristo-

ſtodemus. Quis enim non vincat Patriam facilè, quæ consiliis, cultu, virtute, nervo opum caruerit? caret his omnibus, si caruerit literis. Consilia cupis? Solones, Perricles, Xenophontes, Themiſtocles, quanta nomina! quanta robora! Non aliter tamen, quàm literis. Mors illis per has ſperni docta, quaſi mortales non forent. Da ſinè literis pacem, ruditate & incultis artibus rigentem; confuſionem gignis, qui multitudinem otii amantem, non tam expertem conſilii, quàm impotentem imperii. Da contrà infeſtam belli aleam, temeritas duci perinde, ac militi erit domeſtica, quia ſinè providentia; unde certior ruina. Nervum demum cupis? fundatur iſte commerciis. Sic Ubi; ſapienter neminem ſuorum commerciis ſivêre addici, qui latii ſermonis, quo orbem emetiri poſſet, gnarus apprimè non fuerit. Et quid eorundem ſic provexit fortunas, atque hoc ipſum ſapiens de ſapientia conſilium? Imò verò quis non vincat Rempublicam, quæ vivens vitâ jam caret? Non vivit Civis, qui, quid hodiernum, aut craſtinum, vixdum novit; tam futuri incurius, quàm ignarus præteriti; utrumque ſolo literarum defectu. Ut meritò Romanus ſapiens mortem, & vivi hominis ſepulturam, vitam ſine literis dixerit. Imò verò Ariſtoteles docti ab indocto differentiam non aliam ſtatuerit, ac vivi a mortuo. Novi quidem, meliùs nonnullorum ſententiâ eſſe Reipublicæ, tametſi literis non excultæ, quàm civium deſtitutæ præſidio prorſus non eſſe. Præſertim quod ſpecioſa quædam videri poſſit ſocordia literarum quies. At Arcade hanc vocem digniorem cenſuit Alphonſus quondam, quàm homine. Nam qui cum Licinio & Domitiano literarum cultum ſpernit præ civium numero, eò Reipubl. nocivus eſt magìs, quod Ladislai Ungariæ Regis è mente belluarum malit Rempublicam, quâm hominum, etſi paucorum; ut cùm ignorare literas debeat nemo, nisì homine minor. Paucis gaudeat Reſpublica Civibus, his tamen literarum ſtudio cultis, exulabit in diſcrimine puſillanimitas, fortitudo propulſabit adverſa, conſtantia retundet aſſultus. Membra tollit, qui Cives, fateor: at radicem & animam petit, qui literas adimit, ùt à quibus vigor pace, ac bello. Divinum lege oraculum:

mancipia, quia minora? Sol unus orbi, radix arbori, fons mari, centrum lineis, microcoſmo anima & cor ſatisdat? uni tamen homini ſerviant tot Numina? ô cerebra Atheis deteriora! Uno illi, tot iſti deliriis inſaniunt, quot cerebri ſui ſtatuunt abortiva. Jovem, Martem, & cæteras Deorum colunt quisquilias, non ad reverentiam Numinis, ſed pignus nominis, quo ad ſcelera abutantur. Titubat ebrius, ſic quos natura, res civilis, aut ſcelera ebriant, nullo firmantur greſſu, dum proruant; ſibi, & aliis delirium juxtà, ac ludus. Indigni Cœlo, terrâ, humano genere, quod Numen ipſum in examen vocent. Procul à Deo Arithmetica omnis. Principium numeri eſt, non numerus: & cujus dos una, neſcire ſecundum. Unus nisi ſit, non erit id, quod eſt. An enim rivali ſuo, aut compari jura daturus eſt? cui dederit, Deitate careat, neceſſe eſt. Divinitati id proprium, imperia dare, non accipere. Dominari, non parere. Sin contrà, Deus eſſe deſinit, cui par eſt. Sic unam vitando ſcyllam in multiplicem charybdim ruunt fanatici. Helleboro ejusmodi mentes corona. Anticyras relega Politicum, qui cùm Numen ſol ſit, & lumine, & unitate, ipſe porro ſublunaribus luna; erraticum eſſe ſidus mavult, quàm à Deo uno luminis fonte lumen deſumere. Satiùs inter utrosque medius egerit, qui fatum omne, atque fortunam in ejus providentia collocat, qui neque caſus caſu ſinit contingere, neque ſinè ratione evenire, quod illum tangit, cujus causâ, cùm fecerit omnia, & hoc conſultò deſtinat futurum, vel præmio tolerantis, vel ſupplicio indignantis. Huic Providentiæ fata, caſus, fortuna; non fato Providentia ſubditur. Ab hac regnorum exordia, augmenta, ruinæ. Hujus Fortunæ calculo ſtetêre, ſtant, ſtabunt, cadéntve omnia. Ab hoc fonte cauſa omnis eſſe, poſſe, velle, perficere ſumpſit. Ad hoc Primum & Ultimum Politicus ſe referat, ut in illo ſe oculo firmet, qui finem providit lætis perinde, ac triſtibus. Ut modeſtiam diſcat in proſperis ab ea mente, cujus ars artium eſt faſtum plectere repentino exitio. Illo contrà ſe oculo firmet, cujus acies furoris metas utì prævidit, ſic frænabit. Secùs, quidquid ſinè hoc egerit, ventis ſparget. Subeſſe cùm nolit, ſub-

eſſe

eſſe cogetur tamen. Cúmque credere aut nolit, aut magìs nolle ſe mentiatur, plures ſomniando : unum tamen arbitrum, ſed & vindicem ſentiet. Acerba ſors, & duplici miſeranda ſupplicio. Et dare pænas authori, quem prævaricatio eſſe nollet; & ſentire vulnera mentis, quibus opiendis, vel potiùs exulcerandis mens ſibi ipſa imponit. Si res omnes jam inceſſiſſet divinitas, quas hoc fuco mendax coloravit credulitas, nihil orbis haberet, quod Deus non eſſet. Cùm tamen id unum certum ſit non credulitate, ſed fide, omnia ab uno condita & ſervari, unum in omnibus adorandum. Exercitus integros Deorum numeres, ſi ſæculorum, gentium, faſtorum memoriam recolas. Nunquid ipſa hæc tot Deorum phalanx pura ſinè ullo Numine docet eſſe nomina? Atque adeò veſaniæ majoris redarguit eum, qui plures ſibi comminiſci Deos tentat, ac qui omnem negat. Non negaverim, religione tamen teneri aliquâ eum, qui plures mavult; dum nullâ ſtringi cupit, qui vel uni cœlum invidet. At, quid refert ſolem cum Perſis, Xacam & Amidam cum Japone, felem aut animal primùm obvium cum Indis ſi colas? Tam injurius es Numini, quàm exſors rationis. Pari calculo mortalium ſyllabo proſcribendus.



QUÆ-

QUÆSTIO II.

De principiis, & partibus Civitatis.

§. I.

Origo vitæ Civilis. Quid vicus, pagus, Civitas?



Qui modò pauper aquæ, sinè nominè rivulus ibat,
 Clara auctus sociis nomina jactat aquis.
Hæc quoq; sors hominum est; nunquam Respublica, nunquam,
 Quam pudet è modicis crescere, grandis erit.

DOCTRINA POLITICA.

PErperam censent, qui cum Epicuro originem vitæ civilis casui; vel cum Ovidio l. 1. Met. arcendis Cæli injuriis; vel cum Vitruvio prodigio cuidam ad ignem se foventium hominum; vel cum Horatio l. de arte Poëtica, Musicæ instinctui; vel cum Herodoto, metui & defensionis causæ; vel demum cum Bettino Religionis causæ, vel vi alicui attribuunt. Optimè enim eam Vernulæus Instit. Polit. l. 1. tit. 1. ex Aristotele à naturæ ipsius ductu deducit, cui externa causa impellens accessit, scilicet vitæ commodum, & felici-

tas.

tas. Homo enim per Aristotelem *animal præ omnibus sociale, & civile est.* Cùm etiam natura ei præ omnibus dederit aliquod ad vitam socialem ornamentum, scilicet loquelam, quam alia animalia non habent; licèt habeant signum aliquod *molesti* vel *jucundi* solùm. Unde qui contra naturalem hunc appetitum remotus à societate vivit, vel non coactus (v. g. exilio, metu hostis; & inter Christianos studio perfectionis, & virtutis) sed ex se vitat communionem hominum, ùt melancholici, & latrones, vel est homo nequam fugiens lucem, sicut volucres, quæ non gregales sunt, sunt rapaces: vel certè mentis non nihil adustæ; vel si perfectionis studio faciat, per Aristotelem est homine major.

Ex prima inter maritum, & uxorem societate, coaluit deinde domestica; ex hac *gentilitia*, id est, plures sanguine junctorum; deinde *adscitæ*, seu extraneæ, etiam aliorum, qui in diversis domibus habitarent: unde vici, & pagi orti; tum oppida, & urbes: Provinciæ demum, & regna, quibus Reges imperare cæpêre, primùm in Nemrodo Assyriorum Rege seu Belo; qui Babylone regnum condidit ad An. mundi 1932.

Vicus Aristoteli 1. Polit. c. 1. est Societas ex pluribus domibus in ordine ad usum, & consuetudinem non quotidianam. Dicitur *non quotidianam*, quia domus est ad quotidianam consuetudinem instituta ex viro, muliere, servis, possessionibus. Vicus, & pagus à plerisque confunditur, re ipsâ tamen vicus pro parte sumi solet, constante scilicet pluribus domibus, pagus verò pro toto, quod constat pluribus vicis. Varro l. 4. de lingu. lat. *vicum* à *via* derivat, quòd scilicet utramque viæ partem domus ambiant; unde etiam *vicinus*, & *vicinia* derivata.

Pagus à Græco πηγὴ, id est *fons*, ad quem communis necessitatis causâ plures habitare cæperunt, dictus; est communiter locus, in quo plures ædes per plures plateas locatæ sunt; sicut vicus unam communiter plateam habet. Sunt pagi gaudentes etiam aliquo Magistratu, nundinis, &c. & hi potiùs dicendi sunt oppida. Licèt Julius Cæsar districtum integrum leucarum aliquot *pagum* nomi-

nominet, cùm ejus tempore Helvetia tota in pagos divisa fuerit, quorum singuli vicos complures complexi sunt. Hodie *Cantones* nominamus, súntque 13. universim: Bernensis, Friburgensis, Solodornensis, Basileensis, Schaffhusiensis, Tigurinus, Abbatis Cellensis, Claronensis, Uraniensis, Svitiensis, Sylvaniensis, Tugiensis, & Lucernensis.

Civitas est *Societas ex pluribus pagis perfecta, per se sufficiens ad vivendum, & bene vivendum.* Arist. 1. Polit. c. 2. Sumitur hìc civitas pro collectione civium secundùm se spectata, instar materiæ indigestæ. Nam cùm eadem civitas vario ordine gubernari possit, varia ejusdem potest esse forma, seu Respublica, quam hoc sensu *Civitatis animam* nominat Isocrates. Sicut Romanorum Civitas nunc per Reges, nunc per Consules, nunc per Cæsares; Judæorum jam per Judices, jam per Reges, est gubernata. Et hoc sensu civitas à Republica differt. *Civitas* & *Urbs* pariter hodie pro eodem passim sumitur; licèt in rigore differant. *Urbs* enim strictè ab *Urbo*, seu *urvo*, quod est aratri curvaturâ definire circumferentiam, & magnitudinem urbis muro cingendæ, ùt olim Cælio Rhodig. l. 14. c. 1. teste, mos erat, dicta est; Civitas verò, ùt habet Pompejus apud Dionem, non pro parietibus, & muris hìc sumitur, sed pro civium collectione, quæ vel sinè muris esse, vel certè ex Urbe exire potest, ità ut muri deinde Civium virtus, & fortitudo sint. Certè, qui dicunt mænia non debere adesse civitati, priscè nimìs loquuntur, ait Arist. 7. Polit. c. 11. Quia si urbs sit mænibus cincta, licet civibus non minùs esse fortibus, ac si mænia non adessent, & tamen securitatis majoris causâ iisdem uti. Hæc omnia autem de civitate dicta, intellige de illa, sumpta non quoad administrationem prudentiæ, sed solam constitutionem naturæ.

Civitatis finis ex Arist. 7. Polit. c. 2. *est abundantia virtutis, & sufficientia fortunarum tum in commune, tum cuique propter se.* Sicut in corpore organico varia licèt sint membra, & functiones, quia tamen se mutuò juvant, idem est commune & privatum cujusvis membri bonum. In Musica item ex vocum inæqualium concordia redundat suavitas cantûs. Ad civitatem requirit Contzen l. 1. c. 4.

ut

ut illa ſit omni externo dominatu (nisì fortè ſupremi Monarchæ) libera, & perfecto imperio utatur ad judicandum, & ſtatuendum de rebus ſuis.

Civitas ſumpta ſecundùm adminiſtrationem prudentiæ non mutatur, etiamſi mutentur per mortem, vel caſum alium homines; ſicut fluvius manet idem, licèt prior aqua defluat. Nam totum dicitur mutari tantùm mutatâ internâ formâ. Si ergo hæc forma Civitatis, quæ eſt *ordo gubernandi*, manet, licèt mutentur cives ipſi, tamen manebit çivitas. Sic ſi Auſtriaci in Aſiam pulſi Auſtriacâ utantur Republicâ, dici poſſet in Aſia eſſe Auſtriam. Ut canit Poëta de Camillo Vejis degente cum ſuis: *habitante Camillo illic Roma fuit.* Simile aliud dat Ariſtoteles, chorum tragicum à Comico differre propter formam, licèt in utroque actores ſint homines; ſic ſolus ordo diverſus Monarchicus, vel Ariſtocraticus diverſam conſtituit Civitatem.

Situm Urbis meritò commendat Philoſophus, qui ſalubris eſt. Unde aquæ, venti, terra ſpectanda. Item, qui eſt ad opes augendas, qualis eſt, ſi mari, vel fluvio ſit adſita civitas. 7. Pol. c. 11. Experta id Roma, ùt habet Cauſinus D. 47. quœ dum claſſe caruit, ſuis contenta finibus; ubi mare tentavit Duillio, & Cornelio Ducibus, orbi cæperat dominari. Teſtis Hollandia omnium inops, & tamen abundans omnium. Gallia tantum in florem evecta.

Salubritas aëris his ferè definitur, quòd Urbs verſus orientem ſita ſaluberrima cenſeatur, tum quod benigna cœli ſit influentia, quæ habetur à primis ſolis radiis, & ſiderum oriente die affluentia. Amænitatem horum præter Coſmographos, & Aſtrologos illud ex Sacra Scriptara teſtatur quòd Paradiſum, & terram promiſſionis, lacte, & melle manantem ad Orientem Dominus fundârit. Tum quòd aër ibidem puriſſimus, & venti ſalubriores, cum aquis: utpote cùm hæ ſolis curſum ſequentes, puriores ſint. Aquæ ſalubris nota ſit: quæ motu velociſſima, limpidiſſima aſpectu, pondere leviſſima, concoctu facillima, ab ortu in occaſum concitata. Nam talis aqua minimùm uliginis, & craſſiorum terræ particularum vehit. Ex quibus, ſeparato ab iis humo-

re, freque s calculus, & arena, vel obstructiones. Post hunc situm urbium optimus est, qui Septemtrionem spectat, unde Boreas spirat, qui aërem depurat, & ad interiores partes pulso calore facilitat concoctionem. Hinc quia Meridies, vel Occasus contrarios in homine gignit effectus, hoc situ salubrior est orientalis vel septemtrionalis.

QUÆSTIO ETHICO-POLITICA.

An multæ leges signum sint bene constitutæ Reipublicæ?

AFFIRMATUR.

Felicius regnum nullum, ac illud, quod bilancem justitiæ eripit, nè queri possit virtus publica, nullum Astreæ delubrum finibus suis locatum, in quo Asylum quærat innocentia pressâ; in quo pro meritis lanx altera levetur in præmium, altera prematur in supplicium. Domus Respublica quævis est, non paucis nitatur basibus, & firmamentis, oportet, ut ævum ferat. Columna hæc, imò basis ipsa sunt leges. Inclinat moles, dum paucitate laborat; inclinare est cadere, & sui ruinâ ruinam civium ducere. Sapientia ipsa habitaculum sibi structura, non paucis eam firmavit columnis, ut eventibus ipsis præcautum sit. Culpâ, & contemptu dignus foret sol, si, quam omnibus debet, paucis lucem suam dispesceret. Universale Reipublicæ Fanum est Justitia; ùt quævis necessitas vota adferre, sic auxilia debet posse sperare, omnes omnia ut sortiantur. Exilis est aut providentiæ, aut pectoris, in pauca qui se partitur, paucis qui molem totam confidit. Circulum optimum Mathesis censet, cujus centrum dexteram, & sinistram noscit. Hic lex est, à qua sine discrimine radius in omnes directionis, remunerationis, aut vindictæ manat. Quid felicitatis sperandum Reipublicæ, quæ, quia paucis nititur legibus, paucis aut providet, aut præcavet casibus? idcirco paucis resistit, virtute debiliori, quia minùs cautâ. Fluvius terram duntaxat unam irrorat, quam nempe alluit; pereant agri, oportet, si aut rivis, aut cœli careant providentiâ; hujus fæcunditatis æmula lex esse debet, non fluminis; at si omnibus

bus consulere debeat, multiplicari eandem debere, ùt guttas stillantis cœli concludes. Magnes ferro uni sympathicus est: Lex horologii iconem referat, uno indice, compluribus tamen horis, quadrantibus, & minutis distinctam. ille, cùm se omnibus commodet, nulli magìs inhæret; sic legum arbiter inter legum copiam jura dictet. Imò verò quid si constricto legum numero, lex ipsa, quæ saluti esse debebat, sit exitio? Injurium redditur, quod omnibus debetur, si in pauca stringatur. Absit non rogari legem, ubi æquitas postulat: ùt pharmacum ubi languet valetudo. Quàm malè prospectum homini, si exiguo calculo Medicorum jura arctaveris. Quàm malè consultum Reipublicæ, si sexcentis, quos sors, indoles, tempora gignunt, casibus non sit prospectum. Ut antidotum malis omnibus commune naturâ, sic legem omnium medelam vulnerum Respublica nescit. Felicior Urbs, quæ omni cingitur ambitu; eóque securior, quò pluribus septa, non in communia modò, sed & possibilia mala. Versipellis industria, ætatis iniquitas, geniorum malignitas, quæ non comminiscitur? Lex una Argum superet, si par omnibus esse velit, quod nec ipsa, si vivat, possit Justitia efficere. Tempori, ingenio, ac genio applicanda lex, quanta igitur in diversitate errorum, studiorum, & eventuum diversitas habenda? Anima igitur corpori, malus navi, basis moli, multitudo, & varietas legum publicæ est securitati. Esto, nubi caput inserat, sinè basi hac corruet; Cæsaris fortunam vehat, sinè malo mergetur. Sinè legum copia in latrocinium degenerabit imperium quodlibet.

Negatur.

SAlutem Urbis, & orbis ignorat: cui legum authoritas non est comperta. Hac sinè anima non domus ulla, nedum Respublica ordine suo gubernata constiterit. Rapitur officii immemor dissolutus in licentiam populus, ùt sinè pondere horologium, sinè Cynosura navis. Ut meritò Divinus ille Græcorum Salomon: ubi plurimæ leges, ibi & lites, morésque improbi. En geminum argumenti pondus, lites, & improbitas morum. Aureos censebat mo-

res, ac ſæcula ætas felicior, cùm legislatores neſcierat, faſcium, lictorum, & ſecurium ignara, æqui, boníque tenacior, quia volens, non metu adacta. At ubi ferrei cum ætate mores in orbe pro palma decertant, heu mali mores, quantam bonarum legum iliadem procudêre! Execrandæ Matres filias optimas. Et harum tamen copiâ ſit felix Reſpublica? imò verò, ùt pallor, macies, languor, nauſea, ſunt corpori indicia exitii, ſic ſtatutorum, ſanctionum, Canonúmque multitudo à cunabulis vitium Reipublicæ aſpergit. Nisì errores fuiſſent, nunquam Juſtitiæ Echo lex tam multiplex reſpondiſſet. Menſura improbitatis numerum condidit legum, ùt morbi pharmacorum. Eſto, dives ſit remediorum natura in medelam vulnerum, morborum, & mortis; quantò tamen felicior, quia vegetior ætas prima? cùm horum omnium aut ignara, aut incuria, quia minimè indiga. Pharmacorum copia, ùt morborum, ſic imbecillitatis, atque adeò pejùs conſtitutæ valetudinis humanæ locuples eſt argumentum. Mali corvi, ovum malum. Quid quòd non raró Criticus morum cenſor leges legibus dum aggerat, novis viam pandat erroribus. Oblivionem copia, illa novæ violationi ſemitam pandit. Multas à multis violari conſequitur. Naturæ vitio, an ingenio, neſcio, per quod nitimur in vetitum ſemper. Quo fit, omnes ſervari impoſſibile eſſe. Omnes ſi plexueris, cum Jove, ſi quoties peccant homines, ſua fulmina mittat, exiguo tempore inermis eris. Sin contra neminem; authoritatem, vim, legum pondus ademiſti; eo eventu, quòd conſultius futurum ſit Reipublicæ, non condere copiam, quàm conditam non ſervare. Copioſum omne vel ſuperfluum, vel quia obvium, ferè ſpretum; par fatum legis eſt multiplicatæ. Medicamentum legem aptè edixeris. Si parcum, ſalubre eſt. At verum & illud: reddat quamquam medicina ſalutem; quia unà tollit vigoris non nihil, ſi copioſa, non adjuvat, ſed obruit, & enervat. Ruinæ proxima cenſetur, multis nixa fulcris; vacillat, ac pene perit Reſpublica legum ſub pondere iteratò firmanda. Paucitas obſervata, non copia nobilitat Rempublicam. Caſus prævideri oportere ſi dicas, fuco gloriaris. Quàm lepidum, id audere, quod impoſſibile eſt homini, hoc præſertim cumulatæ legis remedio.

Quàm rara enim lex, quæ omni vel nube nativa careat, vel maculâ, quam ei (quamvìs videatur clariſſima) nequitia non poſſit offundere. Nodum antè, quod dicimus, in ſcirpo, quàm claram ejusdem interpretationem reperias; eo demum eventu, quòd certum maneat, nihil adeò & cautum legibus, & clarum, quod colore aliquo vitiari non poſſit. Apices ſemper ſcrutatur in legibus, quibus triumphet impietas. Sin triumphet, lites è lite, tempus è tempore, & ſumptus trahat ex ſumptibus. Felix memoria Reipublicæ, quâ ſedebat nobilis in portis Urbis Senatus, ne advenis vel Curiam accedendi, vel legum ſibi ſæpe contradicentium copiam veſtigandi foret neceſſitas. Nihil Reipublicæ pace melius. Tolle legum copiam, diſcordiarum fontem, litium forenſium ſemina, injuſtitiæ fomitem, novorum ſcelerum anſam ſuſtuliſti. Hæc Romæ olim ſententia, legum ſuarum authorem hoc ornantis elogio: Manes tui per me licet quieſcant; ſed roſæ aut lilia ſepulchrum tuum non ornent, qui tot tricas nobis fundâſti. Nec Romæ ſolius, par ſenſus ſexcentorum omni ævo querentium. Plus ſemper laborari temporis, æris, & pacis diſpendio copiâ, quàm inopiâ legum. Glaciato in ſalo graditur, qui in legum copia cautè nimiùm.

Cordatus greſſus firmat.



§. II.

Quid Civis?



Formicæ, Civis si vis bonus esse, laborem
Tu quoque consilio, fac imitêre pari.
Et quas natura emeritis dat vermibus alas,
Has tibi, ut alta petas, cura, labórque dabit.

DOCTRINA POLITICA.

CIvis Aristoteli 3. Polit. c. 1. est, *qui habet habilitatem* (NB. proximam) *ad hoc, ut accipiat potestatem judicandi, & decernendi de iis, quæ spectant ad Civitatem*; cujus privilegiis cùm gaudeat, *Civis* dicitur. Definitio hæc intelligenda est de Aristocratia, vel Monarchia. Quia in Democratia actu jam habet quivis civis potestatem dominandi, & judicandi in concione populi de rebus civitatis; omnes enim cives in hoc regimine sunt æquales. In reliquis autem assumi ad Magistratum possunt, sicut apud Lacedæmonios Ephori de contractibus, Senatus de cæde, alii judicabant de aliis.

Civem non facit sola habitatio, vel fori quævis communicatio; nam aliàs etiam servi in civitate nati, hospites, & advenæ; vel alienigenæ mercatores cives essent, etiamsi non

ſi non donentur civitate; Senes, & pueri civium, analogicè & remotè ſunt cives, illi propter nimiam ætatem, hi ob defectum non proximè habiles ad judicandum de civitate. Etſi plato l. 6. de leg. annum 70. excedentes tanquam ingenio debiles Magiſtratu arcendos putet, experientia tamen probat, viros hac ætate, Reipublicæ & lumina, & cardines ſæpe eſſe. Non ergo univerſim viri magni ſententiam probandam exiſtimo

Civium numerum definitum habere, neque decori civitatis, neque ſecuritati congruum videtur, imò ſuperſtitioſum nonnihil ob ſexcentas rerum humanarum viciſſitudines. Gloria, & robur civitatis eſt augmentum ejusdem; ſed & illud aliquos limites habeat, oportet: nè videlicet, ſi multitudo civium multitudinem facultatum excedat, bello, fame, aut peſte laboret, ac pereat. Ut ferè magnitudine ſuâ Romam olim laboràſſe ſcribunt Hiſtorici.

Partiebatur Roma cives ſuos in *plebejos*, *Equites*, & *Senatores*; ità Liv. l. 1. Ægyptii juxta Herod. l. 2. & Judæi juxta Strabonem l. 15. in ſeptem partes. Ariſtoteles demum 7. Pol cap. 8. in ſex claſſes; in *Agricolas*, qui victum ſufficiant; *Artifices*, qui corpori neceſſaria parent; *Pugnatores*, qui Patriam propugnent; *Locupletes*, qui pecuniis Rempublicam juvent; *Sacerdotes*, qui cultum DEI promoveant; *Judices*, qui de civilibus decernant. Et quanquam hos omnes Civium numero recipi non debere meritò videri poſſit, eò quòd horum nonnulli, ùt v. g. viles opifices, & agricolæ à ſervis penè nîl differant, conſequenter etiam ingenio plurimùm hebeti, & inepto ad munus aliquod gerendum, ſic tamen communitatis pars adjuvans, & neceſſaria dici poſſunt, ut per eundem Ariſt. c. 9. in ornata Republica non eorum civium numero habeantur, qui ſubinde Magiſtratum gerere poſſint.

Peregrinos civitate donari æquum eſt, ſi ſuam probent virtutem. Non tamen *Nothos*, & *Spurios*. Utì nec *mendicos*, & extrema egeſtate laborantes: nam *paupertas* ferè *turpia cogit;* videlicet fraudes, & furta, ſi vagabunda, & diſſoluta vita accedat. Quos cum Platone l. 8. c. 11. de leg. hodiéque multi urbibus excludunt. Nec denique *ſervi*, cùm civitas ſit pro liberis, & ſaltèm uno Parente cive

 ortis.

ortis. 3. Pol. c. 4. Intelligo tamen *servos* strictè tales, qui videlicet non tantùm voluntariè serviunt, ùt pedissequi; sed qui vel per *jus gentium*, bello ab hostibus captus, fit *servus* victorum, hodie *captivus* dicitur; vel qui *per naturam*, seu *nascendi conditionem*, quâ videlicet à *servo* genitus est, *servus* proinde dicitur, vel *mancipium*, ità, ut totus sit in potestate Domini, nihîlque suum possideat, præter vitam: in quam etsi Turcarum Princeps dominatum teneat, *tyrannis* hæc tamen est potiùs; cùm DEUS solus sit Dominus vitæ, & necis.

QUÆSTIO ETHICO-POLITICA.

An multa Nobilitas decora Principi, Reipublicæ utilis?

Affirmatur.

QUod dudum controvertit Philosopus, Principum virtus docuit: quidlibet elevari posse ad quodlibet. Limitem virtutis sceptra nesciunt, præter arbitrium suum. Vox unica coronatorum æquat culminibus, quidquid humile natura progenuit. Momento, quod sub modium nascendi abjecit conditio, super candelabrum, in Cedrum rubus, myrica in laurum tollitur, & commutatur. A sole vita, & calor omnibus per naturam; à Principe meridies nominis per gratiam obscuræ nocti subrogatur. *Fiat* uno creata olim sunt omnia; pari fato nobilitatem induit, quidquid abjectum. Felix virtus, quæ, ut paribus meritis pares possit destinare laureas, pares potest creare. Felix Respublica, lactat spe præmii suos, ut merita censeat, suo ipsius emolumento, ac decore. Augusta est omnis Majestas, quæ, ùt satellites Jupiter, sol astra lumine participato fulgentia numerat, sic nobilitate ambiri se spectat, quæ sui lumine augeat, reflexione certè ipsâ intendat. Alieno magnus in lumine, suo major sit, oportet. Nunquam tantus, imò & tanti foret orbi oceanus, nisi scaturientes ab eo rivi, fontes, flumina nos docerent. Nunquam tanta Principis dignitas, authoritas, gloria, nisì alienæ mensura gloriæ mensuram adderet Majestati. Semiramidis laquearia

ria, marmor parium, Phrygum opes ornant conclavia, fateor; at viventes creatorum à Principe nobilium ceras adjice: aulam, ſolium, Principem non orbe, ſed æternitate dignum feciſti. Illuſtrior patuit orbi Deitas, cùm è piſcatoribus Gentium fecit Doctores, ac dum Magos ſibi ſtitit in ſtabulo ſupplices. Congenitum id nempe ſuper adamantem omnem habet ſibi nobilitas, quo ſi careant diademata Principum, ſoli gloriam ademiſti, imò nubila induxiſti. Hoc Principis à nobilitate ſanguinis decus, par Reipublicæ commodum. Intereſt hujus longè plurimùm, ſtipari Curias ſyrmate nobili, horúmque numero plebem, velut totidem ſtellis illuſtribus ſiderum minorum choros diſtingui. Celebris hodiedum perennat orbi Camillorum, Fabiorum, Patriæque Patrum ſanguis Romulus. Dum ſanguinis gloriæ pediſſequa orbem replet Reipublicæ fama.. Eóque certiùs, quòd ardore congenito ad majora pro Patria audenda fervet Nobilitas, civis exemplo propellitur, quibus unà ſtet, creſcat, floreat cœlo æmula Patria. Sensêre id Reſpublicæ calculi melioris; quarum cura uſque adeò peculiaris in nobilitate colenda eſt, ut ſplendorem proſapiæ veteris, novis adnexis, velut novæ lucis auctario illuſtrarent. Cenſoriâ dignus eſt virgulâ ſtolidus Tarquinii ambitus, altiora papaverum colla ſuccidens, quaſi verò non referat gloriæ Principis, inter Principes, quàm inter ſentes duntaxat dictare. Metuantur cum Buſiride, quorum par Tarquinio eſt regula; aut cum Ottomanna barbarie, cujus cura præcipua, togâ perinde ac ſago illuſtrem nobilitatem ad ſordes, & oblivionis quisquilias damnare. Aliter longè æqui perinde, ac Patriæ Patres Principes. Non illis verenda Nobilitas. Tutiùs huic ſalutem ſuam ſe rati confidere, quam gloria in fidem acuat; ac populo, cui ferè ibi fas, ubi plurima merces. Famularia memorantur faſtis mancipia, nunquam aliàs dignanda nomine, niſì, ùt incenſo Dianæ fano Heroſtratus, ſic excidio Principum orbi clareſcere voluiſſent. Dum contrà bello, & pace aheneus eſt Reipublicæ murus Nobilitas. Pacem colat Reſpublica, nobiliora in decus, & commoda meditatur ſanguis conſilia, dum terram ſapiunt vulgi ingenia, non agendi virtute, ſed odio tabeſcentis. Bellum ingruat: præterquam

quòd toto nunquam diſcrimine ſervilis dimicet anima, nihil admodum penſi habet, cui ſceptro pareat: nominis perinde ac generis incuria, aut metu, aut pretio venalia habens omnia. Dum nobiltati nativum decus eſt calcar ad gloriam, ſervandi nominis, augendæ famæ ſitis, fidei non jubet eſſe ſolicitam; pericula ipſa, ſi modò ſtet Patria, lucris; mortem in arena triumphis gratanter accenſens. Nobilis virtus eo ipſo, quòd Nobilis ſit, velut inter adamantes pyropus ſe diſtinguit. Acriori fulmine percellit æmulum, Patriæ majorem conciliat ſecuritatem unà, & Majeſtatem.

Negatur.

FElicior poteſtas nulla, ac ea, cui jus ſummum; pari juri ſecuritas dominandi. Quæ porrò major ſecuritas, ac ubi rivalis nullus generis, gradûs, potentiæ? Feliciùs, quia faciliùs, poſſidetur ſolium, ubi ſerviunt omnes, vetus erat paræmia. Ægrè cervicem tollunt, quos gravius jugum premit: aut ſi ſuſtulerint, ùt torrens furor creſcit, & cum eodem perditur. Furunt ingenia populi, at cerebro carent; vanæ ſinè viribus iræ ſuis ſe flammis depaſcuntur, nisì potenti vento impulſæ ſibi pabulum, & vires ſumant. Rudia ſunt vulgi ſtudia, præceps impetus, ſuíque impotens ferocia. Hinc patent ferè conſilia, ſimplicitate vim malo tollente; quod, cùm patet, robur, ùt corallium flexibilitatem amittit. Præfocantur in herba ejusdem molimina, quæ in flammam ſeditionis erumpere audent nunquam; víxque ſerpunt ſub cinere, nisì adſit authoritas ſanguinis: quæ, quantùm nobilitate, opibus, affinitate floreſcit, tantùm redditur potentiâ rivalis Principi, Reipublicæ formidanda. Peſtifera Optimatum dos magìs, an labes eſt, neſcire terminum ambitûs, ventorum in morem montes tollere, dum ſcyllæ, & charybdi impacta pereat Reipublicæ navis; quæ portum leni provecta vento, id eſt: æquali Civium ſorte ſuffulta tenuiſſet. Quò rarior Reipublicæ nobilitas, clarior eſt Principi gloria, certior civibus quies. Aut ſeminarium, aut fomentum diſcordiæ eſt diſpar conditio; dum contrà uniuntur conſilia viribus, vires conſiliis, dum, quia ſors, mater concordiæ, æqualis eſt omnibus,

tribu-


tributorum onus pari jure tribuitur, emolumentum pari gaudio sentitur. Contemptui ferè est plebi nobilitas; risui est plebs nobilitati: illam vitium noctuæ ad solem caligantis; hanc calcar gloriæ stimulat; veretur illa à majoribus opprimi, dum ùt honor omnis mutandis moribus calcar addit insolitum, sic pronum ferè est quibusque altissimis, subjecta omnia elata fronte despicere. Quòd si splendorem Principis à nobilitate augeri contendas; quid, amabò, interest, augere gloriam, sed minuere potentiam? rivum unum addere flumini, ut duplicem tollas? Quid, quòd & in regia sæpe æraria harpyas nobiles necessitas cogat illustris? Non una cum Ruffino alienis dives splendicat cornicula plumis; Principis, an Patriæ majori dedecore, aut detrimento, ignoro: cujus succum, & sanguinem hirudo nequam abligurit. Syrma clientum premit vestigia, creditorum fundis dotatum. Auro, & argento fascinantur oculi, nitor omnis emungitur. Vitellii, & Sybaritica fervent symposia, præter nomina nihil manet nobilitati residuum. Eheu! emendæ nominis gloriæ tot consecrantur nomina, quot sunt syngraphæ testes inopiæ, aut, quod deterius, virentes familiæ, quas luxus unius extremâ conficit egestate. Sudat avara inferni viscera perscrutans plebs, dum uniones fundet Cleopatræ insanis cupediis, aut Antonii baltheo servituros; sanguinem egestas è venis elicit, dum auro dolorem inducat, quo niteat nobilis fastus. Quasi verò & metalla, & unio palleant, quia tanto se parta esse sanguine pudeat, quæ alienam pascant aut arrogantiam, aut cupiditatem insanam. Inopum myriades censeas, ubi copia est nobilitatis. Ut montium apices vallium fundant abyssos, sic horum splendor, & commoda, sexcentorum incommodum est perinde, atque ingloria. Non æquat fortuna solem, pari omnes radio beans. Quantum adjicit uni splendoris, auget alteri aut miseriæ, aut vilitatis. Nilo æmula, qui, quò latius Ægypto funditur, minùs rigat. En quanto Principis decori, Reipublicæ comodo sit nobilis sanguis. Cujus Mater arrogantia, obstetrix luxus, germen cupiditas. Amplioribus semper inhians, suo nunquam contenta. Donec, ùt nulli satisfit minùs, ac nobili indigenti, ipsa etiam Reipu-

blicæ

blicæ commoda privatæ ſerviant ingluviei. Quo verò id Patriæ fructu? partire flumen ampliſſimum in rivos quàmplurimos, vixdum rivus erit: ſic ærarium, aut potentia Principis nobilitati multæ communiter fundum arat. Menſuram creatura, cornu copia ipſa fundum habet. Parca contrà ſi Nobilitas ſit, paucitas ipſa reverentiam, virtutis cultum, amorem conciliat. Ornabitur Princeps, non onerabitur. Reſpublica decus, tutelam Cives, ſalutem omnes recipient. Planetis ſeptem cœlum diſtinguitur, & orbi ſufficit, illuminando pariter & fovendo. Multiplica, ſi libet, cenſum; quantùm auxeris, tantùm noces. Partita nimiùm lux imicat debilior. Quid multa? Nulla nobilitas, virtutis, decoris, gloriæ eſt exterminium: Nimia, prodigalitatis, luxûs, ambitionis fomentum eſt. Medium Princeps retine. Orna te, tuósque; non onera. Patres Patriæ & culmina funda, non ſanguiſugas.

§. III.

Quæ olim Respublicæ?



Publica res quondam rudis, indigeſtáque moles,
Víxque fuit primis effigiata notis:
Scilicet eſt quædam cunctis infantia rebus,
Maxima ab exortu parva fuêre ſuo.

Do-

DOCTRINA POLITICA.

Lato, quantumvis nomine ſuo cæterà *Divinus*, lepidæ ſanè Reipublicæ author fuit è mente Socratis. In hac enim volebat unitatem ſummam. Et quidem non tantùm unitatem concordiæ (quâ etiam res parvæ creſcunt) quæ ſemper maximè laudanda eſt; ſed talem unitatem, quâ omnia ſint æqualia, ità, ut unus etiam tantum pſſideat, quantum alter. Quod ſanè impoſſibile eſt; nam, ùt numerus perſonarum definiri non poteſt in civium domibus, eò, quòd major uni, minor alteri ſit fæcunditas, ità neque pares eſſe poſſunt omnibus facultates; cùm pluribus egeant ii, qui plures; paucioribus contrà, qui pauciores ſunt numero. Si verò maximam, quæ dari poteſt, unitatem Plato petat, tolli debebit penitus civitas, quia major eſt unitas in unico individuo, quàm in tota civitate, in qua ſolùm eſt unitas conjunctionis.

Abſurda præ cæteris eſt communitas uxorum ab eo admiſſa, quæ naturæ, & juſtitiæ repugnat. *Naturæ*, quia gradus conſanguinitatis confundit, naturalem viri cum uxore nexum diſſolvit, fæcunditatem impedit, & filiorum certitudinem, ac parentum curam tollit. *Juſtitiæ* adverſatur, quia concordiam, quæ bonum eſt civitatis, dirimit; reverentiam Magiſtratui adimit, concupiſcentiam nutrit, ordinis omnis, æquitatis, dignitatis contemptum cauſat; virtutem omnem, quæ civitatis felicitas eſt, penitus extinguit. Quòd Socrates mentis hujus fuerit, quis miretur? ùt, qui Xantippen domi furiam expertus eſt indies; cur tamen Plato adeò à recto erraverit, vix penetrare liceat.

Meritò rejicitur ab Ariſtotele Phaleæ quoque Chalcedonii Reſpublica, ùt, quæ Civium bona, & patrimonia eſſe cupit æqualia. Nam æqualitatem *abſolutam* in omnibus, vetat inæqualitas familiarum, quarum una ſæpè 10. altera 100. numerat capita. *Reſpectivam* verò æqualitatem, quis ad amuſſim regat? ſicut ergo neque Cræſi in Republica ferendi, & Midæ, qui inſanâ opes cumulandi libidine licentiam, ambitionem, injuſtas civium oppreſſiones, atque adeò perturbationem ordinis, & interitum civitatis per alienam invidiam, & æmulationem cauſant; ità

neque

neque Iri tolerandi, quorum mendicitas contemptui apud exteros, desperationi inter domesticos viam sternit. Illa ergo laudanda divitiarum parandarum studia, quæ justitiæ, æquitati, & statui conveniant. Sic nec sutor suam ultra crepidam, neque nobilis per suppressionem civium, sorte sua contentus, suo & Reipublibæ commodo deget.

Hippodamus sua in Republica civitatem 10000. definitam capitibus in *agricolas*, *milites*, & *artifices;* & civitatis agmen in tres partes, *sacram*, *publicam*, & *privatam* divisit. Inventores magnæ utilitatis, honore, ac præmio afficiendos esse censuit; ac demum liberos eorum, qui pro Reipublicæ salute obiverunt, sumptu publico alendos constituit.

Primum, quis cum Aristotele non reprehendat? quæ enim superstitio decem millibus civitatem constare debere? ánne, ut numerus servetur, cæteri occidendi, aut proscribendi? cur rustico, & artifici arma adimantur vitæ ac fortunis tuendis sæpè necessaria? Servi militum hoc pacto forent artifices, & coloni, neque civitatis participes. Agri divisio suo non caret errore. Cur enim Sacerdos, & miles ab agricola in terra colenda non differat? cùm neque aræ, nec arma. seu tempus operi sinant, seu tantam vilitatem admittant. *Tertium* de inventoribus etsi Aristoteles omnino non appobet, tanquam illicium populi ad moliendas res novas, & dissensiones populi, altero dicente, rem novam utilem esse Reipublicæ, altero negante; salvo tamen magni Viri judicio, quis hoc non approbet? Cùm bene de Republica meritis præmia decerni ratio dictet. Quis verò ampliùs meretur de eadem, quàm utilitatis ejusdem repertor? cujus arbitrum esse oportet tribunal summum Reipublicæ, & experientiam rerum optimam testem, quibus dissensio omnis facilè compesci potest: néque periculum illud novorum moliendorum videtur, *rarî* enim *nântes in gurgite vasto*, quibus tanta vis ac perspicaciâ, ut utilia Reipublicæ aut reperire ipsi, aut reperta exequi possint.

Lacedæmonii fortitudinis, & sapientiæ laude illustres Lycurgo moderame salubria multa hæc tamen reprehendente Philosopho vitiosa habuêre: 1. Servitiis cùm abundarent,

ſtarent, nulla iisdem coërcendis lex condita. 2. Mulieres in flagitium omne cùm ruerent, frænum pudicitiæ nullum. 3. Poſſeſſionibus ampliſſimis alii, tenuiſſimis alii è legum præſcripto fruiti. 4. Magiſtratus à plebe electi, & iidem quaſi venales omnibus. 5. Perpetuus erat ſenatus, neque ulla ab iisdem ratio exacta muneris geſti. 6. Convivia publica non pauperum minùs, quàm divitum ſumptu celebrata.

Athenienſes Legislatore Dracone & Solone, ab Archontibus velut Principibus regebantur: hi primùm erant *perpetui*, deinde *decennales* creati; ac poſtremùm *annui*.

Cretenſes demum Minöe, Regum omnium juſtiſſimo, imperante, multa Lacedæmoniis habebant communia. Lacedæmonii Elotas, Cretenſes Periæcos colendis agris deſtinârunt. Convivia publica, ſed ſumptu pariter publico celebrârunt. Lacedæmoniis Ephori quinque, Cretenſibus decem Coſmi, ſeu Magiſtratus imperabant. Illi eligebantur è quavis ſorte hominum, etiam de trivio, hi verò tantùm ex certis familiis.

QUÆSTIO ETHICO-POLITICA.

An conſultius orbi foret, omnia eſſe communia?

AFFIRMATUR.

NIhil optabilius Reipublicæ, nihil Principi ſalubrius, ac unio ſubditorum. Da unionem germanam, Spartam toto fundabis in orbe, ubi unus pro, & præ mille. Fabiorum virtus quantum faceſſivit quondam negotii æmulis Romæ? neque alio id potuit medio, quàm unione. Præſidia ipſi etiam naturæ, & arti invia prorues, ſi rimas agant: Exercitus fundes, ubi latus lateri, galea galeæ, atque viro vir mordaci non cohæſerit tendine. Lapis lapidi nisì nectatur, nihil gloriæ, nihil robori, nihil decori in ævum fundabit architectura; ſic animi, ut ſibi conſtet Reſpublica. Animorum unio mænium vicem ubi ſubiverit, ſaxo æmula ſtabit communio. At ſi comunione omnibus Socratis, aut Platonis conſilio ærarium feceris, pari fi-

delia,

delia, non fundabis modò, ſed incrementa addes unioni. Nulla major animorum conſenſio, âc inter Cœlites, quorum par ſors; da bonorum communionem, exulabit indigentia, exulabit arrogantia, cœlum orbi geminabis, dum quisque ſic ſuis contentus, ac ſi præter ipſum nemo quidquam poſſideat; ſic omnes abundent, ùt ſinguli; nemo ſit indigus, nisì & omnes. Lites hodie, diſcordiæ, odia, rapinæ, orbem æſtuantis inſtar maris convellunt; fontem quære acerbæ tot inter funera mortis: ſola eſt rerum cuique ſuarum proprietas. Bellorum iliade intentantur regnis excidia, hæc peſtis toxica ſpargit. Gentes colliduntur gentibus, armis, & animis; rumpit fœdera hæc flamma cupidinis. Amicus amico vix ullus, frigus hoc verbi *meum*, & *tuum*, amoris æſtum omnem in ſcintilla reſtinguit. Qui hodie momento rumpitur amor, tum adamantis naturam induet, dum omnis cuique, & quisque omnibus amans, & amatus. Liber enim quisque affectu, cujus defectu inbonorum delectu ſcinduntur animi. Liber cupiditate lucri, nemo æris, & inſatiabilis erit rabiei mancipium. Dum hodie procellâ hâc jactamur, curis decumanis confecti, preſſi inſomniis gemimus, dum quò plùs ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. Crede mihi, tempeſtas nulla ſic Erythræum exagitat, ùt cupiditas animos. *Meum*, & *tuum* ¡quantum, quàm multorum hodie fomentum? iniquitatis in judiciis, invidiæ in urbibus; æmulationis in domibus; rapinarum, ac cædium in viis publicis; dum, quos delectat vivere rapto Cacos, atque Scirones, ſuæ ſorti ut faveant, humani non pudet eſſe generis hoſtes. Tolle fomitem mali, quia nemo tum Codrus, nemo Polycrati invidebit Samio; quia quiſque erit Polycrates, ubi omnia amicorum ſors fecerit eſſe communia. Nemo ad fores Cræſi ſquallebit Irus, quia Cræſus nemo ſolus, ſed omnis: pari ſorte famulam ſibi, & Dominam omnium opem experturus. Domeſtica cuique felicitas, dum curarum exercitus, quibus hodie conficitur anima, nullus erit, quia diviſus in omnes. Metuit ſiccitatem hodie quisque, quia ad tenuem, ſuum videlicet rivum confidet; procul tum timor ejusmodi, quia totus ei præſtò erit oceanus. Quid multa? quæ Reipublicæ ſors, eadem eſſet ſingulorum. Sublimatur illa,


aut

aut premitur, par fatum foret omnium. Acceſſio, aut defectus totius, ſingulorum eſſet aut commodum, aut detrimentum. Ferrea fuiſſent Saturni luſtra, nisì commune omnibus bonum inauràſſet. Par virtus felicitati talis Reipublicæ, bello enim decernendum ſi fuerit, quid inexhauſto deerit mari? ubi nervus pari alveo fluit ab omnibus, qui pro omnibus; virtute inſuperabili, quia invicem junctâ.

NEGATUR.

BEne habet. Pro domo ſua perorat Tullius, dum communitatem bonorum omnium ſuadet. Publici prætexitur tituli color, & privatum quæritur bonum. Unio mentito blanditur nomine, majoris ſemen diſcordiæ, quàm ſit bonorum, & cultûs diſparitas. Satiùs Reipublicæ cujusvis privatis fortunis conſulitur, imò ſatiùs cuivis privato. Argus hoc pacto ſuis eſt quisque impendiis, qui Polyphemus foret, dum nihil cuiquam proprium. Nîl demitur publico, quod privatis ſic accedit commodis. Augeatur fortuna domeſtica; ſemen terræ creditur, Reipublicæ fæneraturum. Nervus publici privata ſunt. Hic illle magnes, quo mentes omnes, quas rubigo ſecus conſumeret, artibus, ſtudiis, cultui aptat, & expolit. Sexcentos reperias, quorum genium ad ignaviam, & otium formavit natura, ſtertent hi pigri inſtar Arcadis, dum eis parata ſint omnia, quia gregi communia. Melioris ſpes ſortis, aut opimi fænoris aurea cujusvis ætatis eſt virgula, quâ lactatis nulla fiunt, quæ ardua tempus, imò impoſſibilia credulitas finxit. Malè ſementi ac horreis conſulueris, ſi injuſſo etiam vomere, ſibi quo victitet, adfuturum ſpondeat quisque. Hectorem nullum aut Scipiadas cum Græcis Roma jactabit, ubi par Martis ſtipendium feret virtus, & ignavia. Pallas ipſa ignara lucis pulveres incolet, ſi res anguſta domi ad acuenda in fabricandam ſortem ingenia non addiderit ſtimulos. En nuce in una malorum Iliadem. Ignorantiam, egeſtatem, bellorum diluvia, famem, orbis univerſi excidium bonorum à communione inducta. Palmetum Reſpublica omnis eſt, nisì preſſeris ſingulas, caput nubibus inſerent nunquam. Horologii rotulæ nisì pondere firmentur, tempora ordine ſuo diſpeſcent nunquam.

Quid orbis ſinè ordine? nisì redivivus orcus. Quis porro ordo, nisì bonorum diviſio ordinem fundet, ſervet, ſtabiliat? Varietate ſtatûs, gradûs, fortunarum animatur Reſpublica. Quis ſervitii, aut laborum patiens futurus, ubi pares omnes? quis Princeps ſinè ſubdito, Dominus ſinè mancipe? at ſubeſſe, & mancipari nolet, qui præmium officii, aut obſequii referre poſſit nullum, cùm par ſit cuique ſorte, & vivendi opportunitate. Inſana foret operantis induſtria, deliræ curæ, ubi pari lucro redimitur torpor, & colentis ſolertia. Naves in Oceano anchora, ſpes auri ſuis in curis firmat omnia. Aliena rarus, ſua quisque cordi habet. Nemo unus ex toto induſtrius, qui non toto ſit Dominus. Hanc cauſam arbitror, curDEUS ipſe talenta partiatur, & gratias, neque pares cujusvis orbis plagæ velit eſſe fortunas. Ebore Indiam, thure Sabam, ſerico Seres, aliis alios abundare, ſingulis ut affluant ſingula, nulla omnibus: fomentum illud ſingulis, incitamentum iſtud ſpei, lucri, induſtriæ. Avidiùs ab aliis quæritur, quod ſingulare eſt paucis, dúmque mutuo participant fructu, unio ipſa ſapientiſſimo naturæ authoris conſilio ſtabilitur. Quid, quòd & virtutum copiam hæc partitio cauſet. Quis munificus, magnificus, miſericors, ubi inter pares, & paria omnia miſer eſt nemo? quis fædera amantum jungat, ubi ſiccatur vena gratificandi? Deme igitur ſingulis dominandi, communem omnibus vivendi adimis felicitatem.



§. IV.

§. IV.

Quotuplex hodie Respublica?



Hortus in areolas ùt se secat undique plures
Irrigat & variam fons tamen unus humum.
Res ità amat varias populorum *publica* fôrmas,
Sed populi cunctas dirigit una salus.

DOCTRINA POLITICA.

Ex suprà dictis intelligis *materiam* Reipublicæ esse pagos, vicos, urbes homines. *Formam* esse modum regiminis; seu *ordinem imperantium, atque imperio parentium*, ità Contz. l. 1. c. 14. Ex Arist. qui ordinem tum circa Magistratum principalissimum, vult Reipublicæ formam esse. Principalissimus Magistratus in Democratia est penes totum populum; in Aristocratia penes paucos; in Monarchia penes unum.

Ex fine, quem Respublica habere debet, & modo hunc procurandi, colliges divisiones ejusdem. Finis enim est, *communis utilitas*, & *felicitas populi*; quæ non tam ex opibus, quàm virtute nascitur; sic enim bene, & beati vivunt animi, si per virtutem sua quærant, & possideant.

Hunc finem, quia per regimen, seu ordinem gubernationis præcipuè potest spectare, & curare unus; vel pauci, & illi optimi; vel totus populus simul; hinc triplex oritur forma Politicæ, seu Reipublicæ ex Arist. 3. Pol. c. 7. Et è contrà, quia pariter tripliciter ab hoc fine deficere potest, vel unus tantùm; vel plures, pauci tamen potentiores; vel demum totus populus, quærendo videlicet non utilitatem *communem*, & felicitatem, sed suum tantùm *privatum commodum*, triplex pariter oritur Pseudo-politica, seu mala Respulica.

Recta Politica) si hoc nomen *generaliter* pro Republica, seu ordine gubernandi sumatur) est vel *Monarchia*, seu *Principatus*,, id est: unius imperium, legibus, aut moribus delatum, susceptum, gestúmque parentium bono. Vel *Aristocratia*, seu *Optimatus*, ubi pauci, iíque, qui vel sunt, vel esse deberent *optimi*, ad utilitatem subditorum regunt. Vel *Politica* seu *Respublica* strictè sumpta, in qua totus populus summa cum potestate communi consulit utilitati, & regit. Ad hanc reducit Aristoteles etiam *Democratiam*, ubi secundùm proportionem numeri personarum elevantur aliqui ad Magistratum gerendum. In *Monarchia* est unicus capax potestatis summæ. In *Aristocratia*, pauci virtute, vel stemmate nobiliores. In *Politica* quivis è populo capax est Magistratûs gerendi.

Ab hoc fine utilitatis publicæ, tanquam Cynosura, si deviet Magistratus, oritur Politica *nan recta*, quam Philosophus vocat *Reipublicæ digressionem*. Unde si Princeps non communitatis, sed suam tantùm spectet utilitatem, ex Monarchia oritur *Tyrannis*, quæ palam in bonorum ruinam incumbit, communitatis felicitatem tollit, in vicem legis suam fovet libidinem. Si pauci ad terrorem aliorum, suas opes cumulandas: & secundum arbitrium proprium omnia dirigant, oritur *Oligarchia*. Ex ultima demum, quâ privatorum pauperum commodo tantùm consulitur, fit *Ochlocratia*; quæ omnium perniciosissima est, & sævissima. Sicut enim optima est servorum conditio, si moderatè frænetur; ità *asperius nihil est humili, cum surgit in altum*; & ferè sui impotens evadit, atque acerrimè, in nobilitatem cumprimis, grassatur, dum eandem elidat.

Væ

Væ Romæ in Gracchi ſeditione ex ſervis cöalita! Liv. l. 24. Væ Germaniæ ſub Carolo Quinto! colonis arma gerentibus immani Provinciarum excidio. Unde certa eſt Ariſtotelis obſervatio 5. Polit. c. 10. quòd nemo tyrannidis, & cupidus magìs & ſui impotens ſit, quàm, qui conditione vili, ac proinde indole, ac ſanguine eſt abjecto.

Tyrannidem dividit Philoſophus 4. Polit. c. 10. Primam ait: eſſe *barbarorum*, â quibus Princeps eligitur, leges ſtatuuntur, ſed ad arbitrium Principis violari poſſunt, unde deſpoticè hi ſuos gubernant; utpote in quorum manu ſpes, ac res, vitáque ipſa ſubditorum pendet. 2dam *Græcorum*, quos *Æſymnetas* dicebant, legibus adſtrictè viventium. 3tiam *Tyrannorum*, qui, ſicut vi imperio ſunt potiti, ità nullis legibus adſtricti pro libidine ſua omnia decernebant. Sed inter has tres primæ duæ, *regiæ poteſtates* potiùs dicendæ: tum quòd volentibus imperent; tum quòd juxta leges, & conſequenter ſubditorum utilitatem gubernent. Et ideo veteres *Tyrannum* pro *Rege* uſurpabant. Sic quondam Tyranni Siciliæ. *Tyrannica* verò poteſtas propriè eſt, quæ vi, & conſequenter nolentibus imperat; & cùm nullis ſtringatur legibus, ſuo tantùm, non ſubditorum commodo ſtudet.

Nota hìc: tres Reipublicæ non *rectæ* ſpecies huc pariter referri per analogiam, tanquam contraria, videlicet *rectæ* Politiæ. Contrariorum enim eadem eſt ratio, & locus tractandi. Sicut cùm de ſcientia agitur, per accidens agitur etiam de ignorantia. Quod ſi contingat miſceri Reipublicæ ſpecies inter ſe, ab ea nomen habebit Reſpublica, cujus gubernandi forma cæteris præponderat. Si enim unius arbitrio plurima dirigantur, & pleno jure decernantur. *Monarchicum;* ſi non unius duntaxat, ſed plurium Optimatum res omnis ſtatuatur vel imperio, vel authoritate, *Ariſtocraticum:* Si denique populi univerſi res deferatur aſſenſui, tametſi ſumma penes unum poteſtas ſit, ſtrictè *Politicum* dicendum erit imperium, ſeu Reſpublica.

QUÆSTIO ETHICO-POLITICA.

Utrum felicius, frui gratiâ Principis, an plebis, & Optimatum?

PRO PLEBE, ET OPTIMATIBUS.

ANcipitis res plena eſt aleæ, fidere malaciæ, favore ſuo ſyrtes tegenti. Ridet aura, & pleno favore vela proſequitur, dum perdat. Luſit Narciſſum reddita in aquis forma, ſed formâ variâ deluſit. Illuminant orbem momento fulgura, ſed procella comes eſt. Cave, dum pleno orbe tibi Luna fulget, durabile nihil eſt; hoc *auge* ſplendoris eſt decrementum. Sic favor eſt Principis; gignit illum eventus, lactat inconſtantia, ſors cæca enutrit. Quantò tutior, qui Optimatibus, qui vulgo fidat! Arduitate, & periculo non caret gratia Principis. Arduitate, quia ut unius tibi favor arideat, jactura myriadis eſt facienda. Non alio tibi gemma hæc venalis eſt pretio, quàm plebis, aut Optimatum invidiâ, odio murmure. Ipſum ingenium docile, ipſa gratiam demerendi dexteritas cenſuram patitur. Qui Achates Principi, petra ferè ſcandali eſt vulgo: quorum, ùt certum eſt in contemptu Placentinorum ingenium, in quorum omnem figuram ſe fingit, ſic in odio ferreum, quòd unius ſe flecti arbitrio nolit. Ardua res favori unius nundinando, omnem ejusdem mentiri affectum, nutum proſequi, prævenire animum; eo fænore, ut placitum unius, vectigal ſit inevitabile odii univerſalis Odit ferè placentes populus, quaſi verò vulnus id, & ſentiat, & vindicet, quòd oculus Principis, ùt ſolis radius omnibus debitus, fiat ſeu furtum, ſeu mancipium unius. Acceſſus ad ortum, ab occidente receſſus eſt; ſic gratia Principis, & Optimatum, ac vulgi odia ferè ſunt relativa. Illos æmulatio, hos opinio inflammat. Quantùm gratiæ, & commodi ſibi meretur beneplacens fide, officiis, ſtudio; tantùm ſuo ſe credunt fraudari, qui defectus ſuos alieno metiri ſolent incremento. Vulgus conrrà, quidquid adverſi Reipublicæ obvenit, Cynico dente in felices ejusmodi conjectat. Siniſtram regno jecerit aleam

Bel-

Bellona, tributis amplioribus prematur populus: hoc à fonte, per Principem tanquam canalem, manare conclamant ruinam Provinciæ. Hic unus eſt regula, ad quam error Principis exigi debeat. Ille non ſuſpicione, ſed fide certiſſima pyxis illa Pandoræ, unde Reipublicæ peſtis ducatur. Adeò facilè grandi in numero bilis movetur. Et inſipidus palato communi eſt bolus, qui capiat Principem. Ut facilè raperit acrimonia ſanguinis, quod vitiet. Sed & periculi res plena eſt gratia Principis. Fumus, umbra, vitrum felix eſt gratia: cum ſplendet, rumpitur; Euripo, ſi quid inconſtantius eſt naturæ, favores ſunt Principum. Lubrica nunquam ampliùs via eſt, quàm in alto. Et unde auxilium, ſi fulcrum auferas unum? Felix, qui pluribus nititur, futuris auxilio, ſi cætera dempſeris. Ut plurium oculi plura ſpectant, ſic manus ampliùs firmant. Da multiplicem navi anchoram, ſecura ridebit procellas, quas una non ferret. Certior tibi eſt portus, ubi freqrens eſt Pharus, viæ index. Cynoſura ſi exſtinguatur una, actum agitur. Ut faciliùs longè fuerit unius, quàm multorum gratiæ jacturam facere. Pereat (quod momento nec opinanti contingit) gratia unius, uno caſu perduntur vita pariter, & fortunæ. Quaſi verò ſurgere in altum debueris, *ut lapſu graviore ruas.* Placent aulæ officia, dum vires, ætas, vigor animo ac corpori. Severior fortuitò aura verbuli unius aut ſignis afflet; Fumare continuò montes, fulmina ſereno ſuccedere, & quem Gratiæ adduxêre Principi genium, ſuper ſepiam omnem inviſus, te triſti damnatum cernes exilio.

Pro Gratia Principis.

PLacere, quàm vox chara, tam res rara, ſi fiat, ùt oportet. Placere conatur quilibet, adipiſcitur rarus. Æqui, boníque amore placere deberent omnes, conantur pauci. Quódque mirum, placere potiùs vulgo, & Optimatibus, quàm Principi: tanquam aut faciliùs ſit ſatisdare omnibus, atque uni; aut conducibilius, aſtrorum luce reſpici, quàm ſolem ſibi habere faventem. Non tutò diſplices Principi, ut populo placeas, à quo pendet & vulgus. Et quamquam non facilè oderit vulgus, niſì quem improbum au-

 dit;

dit; periculosius tamen est beneplacitum ejus, quia tumultuario amore rapitur, quem præconcepta fundat opinio. Lévi de causa displicet illi, qui fidus Domino. dum contrà malitia per noxia etiam, modò tecta obsequia gratiam refert. Parùm tutò amatur, qui sic amari cupit, quia nimiùm. Vitium est placere populo, si virtus displiceat. Displicet ei passim, qui placet ampliùs Principi; ipsum placere ampliùs, argumentum est odii; deterrimus omnium videtur, quem prudentiorem sæpè ac meliorem existimant. Secura ei felicitas, cujus vela favor provehit. Quid refert minorum siderum uti gratiâ, quæ nil ampliùs possunt, ac luminis à sole participent. Principis solius virtus, te sinè comite felicem facere potest, non item vulgi. Inconsultè rivulos captas, cui fons puriori & pleniori patet solatio. Potest, si velit Princeps, cui velle ipsum posse est. Fatum id orbis est, gratiam Principis ut habuerint multi, quia unius; Optimatum pauci, quia multorum: populi nemo, quia vento est æmulus. Jam blandè aspirat, jam furit exitio: jam pleno provehit alveo, jam in sicco cymbam destituit. Genius illi & varius, & mutabilis. Diffident animi, & sententiæ, nocentibus innocens, innocentibus nocens audit idem non pro merito, sed pro judicio, absolutus pariter, & damnatus. Sisyphi saxum tollit, qui omnium sibi favores ausit conciliare, ubi varia genii, indolis, nationis, gradûs, officii, & dotum est differentia. Gustus ante, quàm judicia omnium conciliabis. Homine major sit, qui speculi in morem arrideat omnibus. Lepida vindictæ videtur pœna, ut quia nunquam omnes ad salivam nobis, nunquam nos omnibus simus ad eandem. Displicet sæpe virtus vitio, vel invidiæ honor. Neque magnus unquam per orbem audiit, cui multiplex censor domi defuerit. Ferè enim unius commoda, alterius sunt connexa incommodo. Medium nescit popularis amor perinde, ac furor. Fac ei omnia, nunquam tamen præstabis, quo non exigat amplius. Vel unum negligè, quia impetu ducitur, non ratione; oblivione sepelit omnia, tametsi maxima, quia vetera. Quódque durius, parca illius est in præmiando se voluntas, quia eadem incus omnibus, & singulis designatur in vulnus.

nus. Faciliùs multò capitur, ſtabilitur, & poſſidetur favor Principis, quia unius; quàm vulgi, quia multorum, cui & ſuadere difficile, & perſuadere penè eſt impoſſibile. Purpura eadem, quæ delectat, & recreat ſenſum, & genium nobilem, tauri rabiem in furorem exagitat. Satiùs ergò Principis ſolius adhæſeris lateri, ùt heliotropium Phæbo, navis cynoſuræ uni. Quippe oderint licèt cæteri, parum refert, dum ſupra invidiam ſis. Eris, dum Principis gratiâ tectus ſis. Delicata hæc, quamvis in uno ſit, ùt delicatus ferè eſt genius Principum: levior tamen, & mitior tibi unius quoque (ſi præter ſpem accidat) erit offenſa, quàm ſit multorum. Leniùs injuriæ veniam magnanima, ac abjecta; una, quàm multiplex largitur indoles. Imò ſi furat, mitiùs, quia rationabiliùs furit. Placebis affatim, ſi recti & Reipublicæ amans placere per adulationem ſtudeas nemini; utì omnium amicus, nullius ſolet eſſe amicus. Stabilis tibi hæc erit gratia, virtute parta. Sufficit hæc ſi non ad reprimendam, ad tolerandam certè inevitabilem Politico malevolentiam nonnullorum.



QUÆSTIO III.

Ratio Reipublicæ.

§. I.

Quæ optima Reipudlicæ forma?



Tot licèt aſtra polo numeres, tamen omnibus unus
Sol ſatìs eſt, uno hoc nox nitet, atque dies.
Vivat ad exemplum hoc mundus. Rex imperet unus,
Indè dies regnis ſurget, & indè quies.

DOCTRINA POLITICA.

INter alatas gubernandi formas, comuni veterum cum Ariſt. Platone, Xenoph. & recentiorum, Lipſii, Contzen, Savedræ, Barclaji, (ſi Hornium excipias, Hollandiæ ſtatibus faventem, quia clientem) imò SS. Patrum ſenſu, optima eſt *Monarchia*. Primò enim Divinæ gubernationi (quâ nihil perfectius) eſt conformior, & naturæ. DEUS cælo eſt unus; imago DEI Rex eſt in terris. Sol unus cœlo; duo ſi ſint, periculum eſt, ut omnia incendio perdantur. Familiæ Homero teſte, *herus unicus eſto, unicus & Princeps Reipubli-*

publicæ : quæ major eſt familia. Una corpori anima eſt, unde Tacit. 1. Annal. unum imperii corpus unius ad nutum regendum videtur. Bruta ipſa ducem unum ; apum Reſpublica unum ſequitur Principem,ità Plinius.

Hinc factum ſecundò: ut ab omni ævo hæc diviniſſima gubernandi norma gentibus probata ſit præ cæteris. Ariſt. 4. Pol. c. 2. *Principio enim rerum , gentium , nationúmque imperium penes Reges erat.* Ita Juſtinus l. 1. Sic gubernatæ Monarchiæ 4. totius orbis; Aſſyriorum, Medorum, ſeu Perſarum; Græcorum, ac demum Romanorum. Sic à Fojo Sinœ , à Pharamundo Galli, à Brittone Angli, ab Athanarico Hiſpani, à Dano Dani , à Lecho Poloni, ab Attila Hungari, ab aliis alii leges, & jura acceperant.

Quid, quòd concordia non alibi floreat magìs, quàm in Monarchico Regimine. Et ſæpe è mente Taciti , diſcordiarum (quæ Provinciarum exitium ſunt) non alius ſit modus ſedandarum, *quàm ſi ab uno Patria regatur.* In hoc enim neque Princeps ulli quicquam invidet, velut qui ſupra invidiam eſt , quæ non nisì inter pares graſſatur ; neminem verò habet, quem metuat, utpote dignitate & potentiâ ſuperior omnibus: atque adeò juſtitiæ & dominandi cura eſt certior, cùm neque corruptelæ pecuniariæ ſit occaſio. Cùm ferè tam pudeat Regem captare munera , quàm imperare delectat ; ac proinde tuta ſuo in ſacrario imperet Themis, quæ privatos inter parietes nummulis, lepuſculis, & munuſculis ſtringitur, & expugnatur. Accedit, ſic celari arcana conſiliorum magìs, quàm ſi inter plures pateant , quorum ferè venales nonnulli ſunt; atque adeò felicior, & certior ſemper eſt executio negotiorum, dum authoritate unius frænati omnes morem gerunt , & Respublica quieſcit. Tametſi enim etiam hìc plurium audiantur conſilia, non ſecus, ac in Ariſtocratia, vel Politia, id tamen unum exequendum decernitur, quod uni omnium Principi conſultius videtur ad commodum Reipublicæ. Quod ſi Principem errare contingat, non deſunt Ambroſii , & Chryſoſtomi , non deſunt Eccleſiaſtæ religioſiſſimi , qui neque mala unquam commendent, neque veritatem aut taceant, aut diſſimulent ſanctiſſima libertate.

Non

Non diffiteor sanè, cum Hornio, & aliis paucis, Aristotelem ipsum, aut Aristocratiæ, aut plebis imperio favere; verùm si rationis momenta ab iis ipsis pro Monarchia allata considerem, Patriæ solius affectu sic scripsisse omnes certissimum est. Aristoteles sub Optimatum imperio, Hornius sub Hollandiæ Statibus degens, ambo suorum clientes suis faverunt. In Aristocratia námque multiplicato Optimatum numero, tot subesse Regibus cogitur populus, quot sunt membra senatûs: quæ, quia potestate paria sunt, quàm facilè in transversum acta, aut suos amore, aut invidiâ pares prosequuntur? familiis suis dignitates, opes, & commoda pleno alveo invehunt, onera in suos clientes derivando; unde virtuti stimulus præciditur, & si labe aliqua corrumpantur Optimatum mores, quis eos reducet? nisì dum Rempublicam suo casu in interitum præcipitârint.

In Democratia porrò, ubi populus imperat, quàm sæpe fasces imperitis obveniunt, quibus tam necessaria rebus gerendis prudentia, quàm consilium in sola est utilitate. Populus, & procellâ invidiæ, metûs, & factionum ventis jactari solet, & frœni impotens abripi vehementiâ cæci impetûs. Et quia sapientiâ ferè destituitur plebs, cùm honore, æstimatione, & præmio ingenia & virtus careant, jacent virtutis studia; regnat interim adulatio, aut virtutis species, dum eloquentiæ fuco ad ipsam etiam virtutem morte multandam impellitur populus, & malevolorum artes triumphant super levitatem ejusdem: ut quondam Ostracismo Græcorum, insontes, & Patriæ Patres damnati. Verbo: nulla compede duriori premitur libertas, quàm ubi sic triumphare videtur.

Nolim tamen existimes, me hìc Monarchiam illam defendere, quæ multis adstricta legibus παντπασιλεία Græcis dicitur, dum omnium absolutus Dominus Princeps despoticum jus populo dictat. Cujusmodi est Turcis imperium, quorum Princeps, fortunarum, vitæ, auræque ipsius sic Dominus est, ut omnes mancipia ejusdem sese dum profitentur, ab ejus nutu penduli, nunquam sui securi, omnia hæc ei se in acceptis referre ajunt. Apage

ge

ge vitiosam hanc gubernandi rationem, & sicut decoris omnis, ità æquitatis laude carentem *communiter*. *Communiter* dico; scio enim barbariem esse tantam nonnullis Gentibus, ut ex nativa stupiditate ingenii ad servitutem redigi & debeant, & possint. Quia tamen communiter multi etiam liberè dedititii sunt, ad frænandam gentem domandi sunt pauci, quorum contumacia id meretur; cæteri ferè Regem sentiant, sed benignitate gubernantem.

QUÆSTIO ETHICO-POLITICA.

Quæ ætas regendo aptior?

JUVENTUS.

PEssimè rationi congruit, aut orbi consulit, qui statera pari exigit omnia. Non omnis fert omnia tellus, nec omnia possumus omnes. Inæqualia sunt orbis partium pondera, pares molibus humeri. Quid valeant humeri, spectandum singulis inclamabat antiquitas; audivisset monitum Phaëton, malè consultis Patris habenis orbem non involvisset. Anne tamen vel eò juventus sceptris indignior? absit. Grandius pondus diademate orbis non habet; væ, si infirmæ basi credatur. Malè putre molem sustinet. Non occupando, sed opprimendo est senio machina, quæ non nisì Herculeum petit latus, & mentem. Si fatiscat Princeps corpore, parum distat, quin fatiscat & mente. Agere fortia & dura pati, se & velle, & posse doceat, qui magnus esse famâ; & gestis cupit audire, ùt est solio. At quid horum aut velit, aut cùm velit, possit is, cui ætas ruinam minatur? ùt Paridis pomum, sic imperia, gentium abritrio, vectigal erant florentis gloriæ, & fortitudinis. Quasi verò non solùm virtutis, sed & vigentis fortitudinis atrium gradum sternat ad templum Majestatis regnantis. Et bene. Vigeant in venis spiritus; ùt corpus animâ, sic vigebit virtute Respublica. Securitas, decus, incrementum fructus erunt Juventutis regnantis. Langueat contrà caput; ùt senectus ferè est morbus, flaccescant omnia oportet. Sin cadat,

titu-

titubant greſſus, dum effœtos artus acerba, víxque oſſibus hærens hyems conſtringit. At, eſtò, conſtet ſibi mens grandis imbecilli in corpore. Nemo grandia patrat, cui non anni, ſed momenta vix cenſum ducunt. Felicior nunquam Reſpublica, ac uno ſub capite diu regi. Vix deſtinandis, nedum exequendis ſatisdatur, dum menſes ætatem definiunt. Turbantur ferè imperia, cùm mors frequentior ſolio Principes donat. Succeſſorum aliena ſæpè ſunt conſilia, placita, clientes. *Deſtruit, ædificat, miſcet quadrata rotundis.* Verbo: confundit multitudo; quod, una ſi terminâſſet manus, ac mens, orbis probâſſet, regnum fundâſſet. Nova capita, novas ſententias; hæ novas ferè leges parturiunt, & ùt mutatio ſin periculi, odii certè plena eſt ſemper, ſic geminari credit populus jugum, dum geminatur legis ârbitrium. Ut ut tractabilis ſit populi cervix, durum tamen illi, alia, & alia in dies jura accipere, non ſecus, ac ſi membra eadem alteri ſemper applices capiti. Tempora conſule, ubi frequens caloris, & frigoris, pluvii, ac ſereni viciſſitudo: ſunt morbi frequentes, fruges nullæ, aut vixdum coctæ. Typum hìc habes Reipublicæ, dum cana duntaxat ſilicernia ſceptro digna creduntur. Mille remoras conſilia optima, ſirenes adulantum aulæ frequenter, tempeſtates & malaciam Reipublicæ mare patitur; quàm vegeto opus Navarcho, ut eluctetur? Et ſenium hoc auſit, ignobilior vitæ portio? in qua canities ipſa inertiæ teſtis, aut quietis fomentum eſt? Raró auguſta ſunt ſenſa animo, qui occaſum jam ſpectat ætate. Tædet námque vel conſiliorum, nedum auſuum, quos vitæ jam tædet. Sera itinera laſſatæ vires, ſera conſilia gignit mens annis gravis. Quid auſit pro Patria, qui quo pacto ſibi conſtet, vix penſi ſat habet? Malè navi pondus committis, quæ ſuis vix cohæret tabulis. Aſſymbola juventuti eſt purpura, quidnì ergo, & dotibus debita? Stat vivido ingenio, conſtanti pectore, memori mente ad magnos auſus Reſpublica. Malè his omnibus ſenium proficit. Vix greſſum figit, capiunt oblivia mentem, conſtantiæ locô pervicacia dominatum obtinet. Judicii ſui præfidentia ac tenacitas, virtus illis viſa, vitium eſt ferè domeſticum; ut mortuo mederi, & ſenem admonere,

idem

idem meritò videatur Diogeni. Fatiſcit denique vigor ingenii, cùm lux ipſa mentis fatiſcit. Non annis, ſed meritò ſtat ſolio ſuppar virtus. Nives, & rugæ quoties ſunt mentitæ prudentiam? & pueros centum annorum reperias. Neque enim ætatis lege meta prudentiæ definitur. Alexandrum ſeverum ætate puerum, indole Imperatorem; Gordianum undennem, Othonem vix duodennem Imperratores faſti commendant. En quanta juventutis præ ſenio merita. Jure ergo ſinè ætatis diſcrimine Magiſtratûs quondam petendi veniam fore antiquitas ſapiens definivit. Ut natura non ætate, ſed qualitate terrarum virtutem germinum, ſic gratia non annorum, ſed dotum ſyllabo definit gubernandi dotes. Quoties meminêre faſti vel aucta, vel ſervata per Juventutem Imperia, quæ provectior vel minuiſſet ætas, vel perdidiſſet. Nunquam Macedonia orbis limitem in Magno ſuo æquâſſet, ſi ætate provectus hæres ſceptra Patris ſumpſiſſet. Cautela color mendax eſt, quo timorem ſæpe palliat ſenium; & quia ardua vel tentandi, vel perferendi metus animum, ſpiritu, viribúsque jam fractum inceſſit, in occurrentibus fermè reddit trementem, nedum in majora Patriæ decora illuſtria quæque audentem.

SENIUM.

QUàm multi regere cupiunt congenita indole, tam pauci virtutis merito poſſunt. Non fortuiti hæc dos vigoris, ſed artis eſt. Rara ars, quæ longo non ſtetit ſtudio, ſi perfecta. Artem artium regimen eſſe meritò ſapientes commendant. Prudentia, conſilium, experientia baſes, & fundamentum ſunt artis, quibus molem omnem ſuperſtruit. Provectæ hæc omnia tributaria ſunt ætati, non Juventuti. Semper purpuram concolor in venis ſanguis ambit; ân ſympathiâ, an dominandi magìs libidine? dubium eſto. At ferè, quod ambitur nimiùm, noxium eſt; ùt cibi, quos adultera morbidorum deperit fames. Ut meritò non conſiliis modò, ſed curiâ ipsâ interdictum adoleſcentibus voluerit Tullius. Temeritas, inconſtantia, vitæ libertas juvenilem ſequuntur ſanguinem plurimùm; quid agent, ſi habenas, ſui impotes, alieni impatientes ſortiantur? Rarò ornat ſincera gloria virtutibus animum,

nisì

nisì, cum forma, ætate ac viribus corporis ornare cessat natura. Tum maxima sumit incrementa virtus, cùm exhausta propè languescunt membra. Mente, non ossibus hæret ratio. Sapientiam in juventute desideras? senii dos est præcipua. Dedissent Superi! non unum Regnis datum Icarum, non jam fabula, sed fasti censerent, qui, quia præmaturè levati, se unà, ac solium perdiderunt. Domandus antè est sonipes, quàm fræni nescius gradiatur. Non petulcientis hæc spes ætatis est. Experientia, rerúmque usus nisì clavum moderantibus acus sit nautica; syrtes, ac scopulos Respublica metuat. Tempore stant utraque, non hodierno, aut hesterno duntaxat, sed lanuginem dudum emensæ ætatis. Silicernia dicat vulgus, aut sentiat, quos ætas aut lassat, aut frangit; vident acutiùs mentis acie, quod alii toto intellectu non capiunt, suis ipsi usibus docti, quid sibi, quid suis, quid Patriæ prosit, noceátve. Fructus credas, quos natura maturos antè, ac salubres non gignit, sed dum cura putridos facit, tum prosunt. In Mespilo, ac sorbis senum lege consilia. Erroris hæc ferè expertia, quia carent temeritate; fixo ætatis, & inconsulti ardoris Mercurio; licentiæ limes statutus est, dum suo docta vel malo, vel documento canities est, & è malis propriis velut totidem spinis fructus successori legit dulcissimos, leges nempe quàm optimas. Calcari gloriæ urgetur Juvenilis indoles, neque curat, neque præcavet crastina. Subitis, modò gloriosa sint, non salubribus consiliis rapitur; dum errore suo, Reipublicæ aut periculo, aut damno præcipitem lugeat impetum. Gradario fertur senium pede, ut quod non risum modò, & blanditias, sed & dentem fortunæ persensit. A senibus nomen mite Senatus tulit Quiritum. Neque Athenæ Prætorio digna censuêre consilia, nisì decas integra lustrorum exacta sit consultandi. Tum enim verò est acrior menti vigor & consultandi pernicitas, dum tardior est gradiendi facultas. Fruges Senatuum consumere, aut numerum facere apta est juventus. Zeri sunt Juvenes, unitas senis alicujus addita, omnibus dat vim, vigorem, regulam. Errando discere Juventus debet. Gubernanda magis, quàm gubernans. Infelix Respublica, quæ suis cru-

erudiat damnis navarchum. Quisquis artem diſcit, inſtrumenta plura peſſumdat. Utinam non, ùt nonnulli Medici corporum, ſic Republicæ exitio Juventus & diſcat, & doceat gubernare. At, eſtò, ſibi conſtet vigor, & indoles Juventùtis. Contumax ferè, & indomita plebs eſt; audet, cùm trementem, aut flecti facilem ſentit. Aut terretur, aut cedit facilè ætas imbellior. Non ità uſu docta Reipublicæ baſis. Umbra hujus plùs ponderat, quàm gladius juventutis. Non vitio magìs, quàm affectibus patet cereus juventutis animus; aut tueri neſcit ſapienter ſancita, aut umbras formidat. Nempe fluctum quemvis horret, qui mare non vidit furens. Conclamatum credit, cùm alter operi manum admovens, fluctum frangit, & triumphat. Seris hic venit uſus ab annis. Ut meritò Laconibus Seniores Lacedæmonii Lycurgo; Patres canis conſperſi Romulo; Moyſi ipſi DEO ſanciente Seniores in conſilium adlecti. Nempe mens, ratio, conſilium, ſenes, velut aras Numen inhabitat. Aras inquam, à quibus agendorum oracula, quia ſexcenta ſunt actorum monumenta. Quæ præteritis experti caſibus, egêre ſtudiis, eos ſunt & mentis, & animi, ſive ad præcavendum, ne veniant, ſive ad obviandum, cùm venerint aſpera: ſive ad agendum, cùm læta ingruerint; nè poſtremis elatio, primis abjectio mentem, animóſque eripiat. Dùm contrà inops horum omnium Juventus, quia inops & temporum.



§. II.

An successio electione præstantior? Quis ejusdem ordo? & an fœminæ capaces Imperii?



Herculeum defessus Atlas in pondera robur
Poscit, & assuetas grandia ferre manus.
O bene! si semper regnorum pondera natis,
Transcribant simili conditione Patres.

DOCTRINA POLITICA.

GEntium, & populorum consensus geminam hanc imperiorum viam constituerunt, frænum videlicet innatæ humano generi cupidini imperandi. Torquentur Politici acriter, utra præstet; definit electionem Lipsius. l. 2. Pol. c. 2. *Cùm spreto natalium jure Princeps suffragiis designatur.* Successionem verò: *cùm gentilis is honos est, & Princeps è Principe nascitur.* Electio placet Germanis, Polonis, & aliis. Imò in Aristocratia, & Politica necessaria est, cùm non omnes possint imperare. Hispani, Galli, Angli, & plerique hæreditariam successionem amplectuntur. Utraque sua habet commoda, suis non caret incommodis

utra-

utraque. Spectatis tamen omnibus ſucceſſio electioni præferenda videtur; quam apud Veteres receptam ait Ariſtoteles 5. Pol. c. 10. Imò Lipſius. l. 2. c. 4. hodie (exemplis gentium, ſerie, & annalibus temporum teſtantibus) receptiorem ac meliorem aſſerit, cum Contzen. l. 1. c. 25. etſi electio foret antiquior. Et meritò id quidem, ſive *ſucceſſor*, ſive *Rex* ipſe, ſeu *regnum* ſpectetur.

Succeſſor, ùt ferè regio eſt ſanguine, ità indole & virtute ad ſumma natus. *Neque* enim *imbellem generant aquilæ columbam:* & providentiâ Numinis, ſi umquam aliàs, virtutes Patrum cum ſanguine in liberos transeunt; præterquam quòd educatio peculiaris, natura, & diſciplinæ rectitudo grandem animam, ac dotes communiter eisdem inſtillet. Unde præſipiunt communiter Principum liberi, altis duntaxat intenti, & imitatione Majorum ad æmulationem accenduntur; viri antè, quàm alii adoleſcant. Eſtò tamen, quod rarum in terris: ſtupidiore Principem cerebro gigni, aut infantem, vel puerum hæredem dici: nunquid Conſiliariorum induſtria, vel Matris tutela (quam in monitis Politicis Lipſius commendat) felix Principi ſuſtentaculum eſſe poſſunt; ùt quondam Jojada ſacerdos parvuli Joæ L. 1. Reg. c. 11. Irene Mater Conſtanti filio. Theodoricus Almarici Hiſp. Reg. Dux Aurelianenſis, nuper Ludovici XV.

Regem præceſſorem ſi ſpectes, hæredem ſceptri ſi ſciat filium, quantâ curâ ſuo velut patrimonio Regno invigilat; ærarium, armamentarium, commodum publicum, velut ſanguini ſuo æternum curat? dum alius, qui, ùt Seneca loquitur, diadema geſſit, cujus electio invidia, continuatio labor, & finis eſt odium, hæredem non habiturus coronæ, tametſi ſanguinis habet, non adeò regni, ac ſuorum proſpicit commodis, ut videlicet hi ſe meminerint Regios fuiſſe liberos, opibus, & dignitate pollentes; etſi regnum inimicis ipſis in prædam obveniat, illi & citra metum ſecuri, & ſupra invidiam potentes ſinè ſceptro perdurent. Unde fit, ut, cùm fortuna mores etiam mutet perſæpe, principio electionis Trajanum populus experiatur, & quietem; deinde verò ſub Diocletiano, aut

Maximiano ingemiſcat, & ſeditionibus ac turbis commota omnia defleat, & queratur.

Ex parte *Civitatis* porro quid ſucceſſione felicius; tum quia veretur populus in eum quid iniqui tentare, quem ſucceſſorem Patris ſimul, & vindicem novit; tum quia ſuâpte ad reverentiam, & obedientiam magìs inclinatur, dum cunas pueri ad purpuram nati, à DEO, & natura ipſa ſibi velut digito demonſtratas, & erroribus minùs obnoxias, quàm in electione fieri ſoleat, adorat, & veneratur. Ideóque nec indignatur parere ei, quem priusquam lucem ſubierit, naſci ſcivit, ut imperet. Præterea in ſucceſſione abeſt civitatum peſtis diſcordia, & ſeditio, quæ in electione ſpecioſo libertatis titulo adeſt communiter. Ambitio privatorum, & cupiditas eligentium, factionibus urbem convellunt, quæ ſæpe (ùt quondam Romanos Syllæ, & Catilinæ tumultus libertatis causâ excitus) non nisì urbis excidio, & civium ſanguine reſtinguuntur. Dum, qui imperare ambiunt, opibus, genere armis, & animis pares, nec cedere invicem volunt, nec regere unà poſſunt. Electorum animos aut terrent, aut emunt; & qui eligunt, non virtutis (Lipſius in monit.) ſæpe rationem habent, ſed qui affectui, ſpei, ac lucro eligentium ſervit; jam etiam corruptela pecuniis, ſponſionibus, ac matrimoniis votorum trahit ſuffragia: eligiturque, non qui optimus, & digniſſimus, ſed potentiſſimus, aut feliciſſimus, cujus ignavia Electoribus ipſis regnandi poteſtatem ſæpe concedat.

Unde meritò Tacitus 1. hiſt. c. 56. *minore diſcrimine ſumitur Princeps, quàm eligitur:* nam in electione electus ipſe obnoxius vivit eligentibus, utpote quorum votis debet imperium; & cùm in hos ſæpe nihil audeat, non levis juſtitiæ ſit remora. Cùm porro liberos ſuos à morte in ordinem redigi poſſe noverit, deglubit regnum majori ſtudio, ut ſuis corradat; & inſolita dignitas animos ſuſcitat ad audendum in ſuos. Vel certè, ut filio regnum ſtabiliat, venales emit animos, nundinatur favores & amicitias Pater, per quas procantibus exteris regnum præripiat. Ex quibus ſi partium ſtudio eligantur plures, væ Reipublicæ! Ut ſenſit Imperium Germanorum extincto

Hen-

Henrico VI. Friderico II. Rudolpho I. præſertim verò Henrico VII. Anno 1322. dum alii Ludovicum Bavarum, alii Fridericum Auſtriacum delegerunt. Senſit Hungaria, dum aliàs ſuperior Ungaria Joannem Zapolya, inferior Ferdinandum I. Regem ſalutavit; alia Mathiam Corvinum pars, pars alia Caſimirum Polonum ſceptro ornatum volebat. Senſit Græcorum Imperium Alexio Imperatore ſinè liberis decedente, dùm, ùt habet Choniates, *alii atque alii variè nominabantur; ſed omnes, qui ſibi opportuni, aut utiles eſſent, nominabant.*

Et quamquam non ſuâ causâ, ſed ratione ſinceritatis genti ingenitæ, amoris in pacem, & Patriam, genti alicui convenire præ cæteris poſſit electio, præ ſucceſſione, ùt eſt in Germanico Imperio: his tamen ipſis incommodis ut mederentur leges, quàm exiguo numero Electores definiunt? quàm acriter ſtringit aurea bulla? quanto ſtudio contemptui Imperantis præcavent? dum ferè potentiſſimum, & clariſſimum deligunt; quàm denique ſinè præjudicio electionis liberrimæ, Electorum modeſtia, prudentia, & in Patriam charitas ferè tamen in Imperantûm liberos diadema transfert, ac purpuram? adeò, ut teſtantibus monumentis Antiquitatis, nullis Imperatoris filius quietâ electione ſit præteritus. Quod ipſum Auguſtiſſima Domus Auſtriaca, communi orthodoxi orbis gaudio, continenti in 286. annos ſerie hodiéque ſatìs demonſtrat. Quod ipſum bellicoſa Polonorum Reſpublica utinam eâ conſtantiâ obſervâſſet, quâ Jagellonicam Familiam pari ſerie, ſibi olim regnantem conſtituit, dudum ſanè ſinè ſexcentis tumultibus, quibus hodiéque ſcinditur, Ottomanæ Portæ dominatum vel ad Euxini Ponti terminos, vel in Aſia Iſtro tranſito victrix minuiſſet. Claudo rem omnem cum Lipſio in monitis: *ubicunque bonum, & laudabile regnum in Perſide, Macedonia, Ægypto, Sinenſibus, in Hebræis ipſis, ſucceſſio valuit.*

Si ſuccedere genitori liberos oporteat, legitimis tantùm jus eſt. Spurii, gentium, & populorum jure vetantur. Inter legitimos primogenito jus favet; & ſi duos naſci uno partu contingat, uter prior in lucem prodiit, ſceptri jure potitur. Primo-genitus is porro etiam jure

cenſetur, qui ab hoc regni capite, etſi nondum regnante, ſit genitus; ſanguini enim natura id tribuit in ſucceſſione, qui in utroque filio idem eſt; neque enim per acceſſionem regni mutatus eſt in Patre ſanguis, ut alter regni tempore genitus alteri ſit præhabendus.

Quodſi primo-genitus mente ſit captus, jure regni non gaudet, ùt qui nec ſe, nec ſuos regere poſſit. Secundo-genitus igitur regnum capeſſit. Quodſi verò inſania ad tempus, vel ægritudo obſtet, jure non deſtituitur, ſed adjutorio eum levari oportet. Imò neque Sacerdotem non religioſum (nisì peculiaris lex gentium vetet) jura, aut exempla arcent à ſolio. Sic Henricus Cardinalis Luſitaniam, ſic plures alii alias rexerunt Provincias. Dixi tamen *non religioſum;* nam religioſus alieno obſtrictus imperio, nisì votis à Pontifice ſolvatur (cujus exempla non deſunt) regiæ ſucceſſionis capax non eſt. Si Primo-genitus vivo Patre decedat, Regis nepos ſuccedit præ patruo, quia in ſpem regni natus eſt. Si moriantur omnes hujus liberi, ſuccedit Regis frater; ſi hic quoque mortuus ſit, ſuccedit is, qui vicinior eſt lineâ, non autem gradu. Lineæ regiæ tot ſunt, quot filios Rex relinquit: ex his ſuccedit prior linea, quamdiu hæc durat; hâc extinctâ ſuccedit ſecunda, & ſic reliquæ. Ut cum Juris conſultis cenſet Vernuleus. Fratribus Regiis ac ſororibus, cùm Rex omnibus potiatur, vel certa regni portio pacificè poſſidenda, vel penſiones annuæ ſtatuuntur. Barbarum enim, quod gentibus nonnullis cum Turcis commune eſt, ubi inauguratio, novi Principis, Fratrum, & ſanguine junctorum cæde crudeliter decoratur. Felix cæterâ imperium, cui plures in ſucceſſionem ſint Principes. Numerus enim horum, firmiſſimum Imperii columen Lipſio, munimentum Tacito dicitur.

Fæminarum porro imperium, nisì lege, aut Patriæ moribus vetitum ſit, non eſt, cur penitus rejiciamus, ùt bene Lipſius l. 2. c. 3. Eſtò namque rideatur Europa à Sinis, velut fæminarum Imperium, cùm tamen ipſi, Martino Martinio teſte, inter prima ſuæ Monarchiæ tempora fæminam imperantem cenſuerint; eſtò conſiliis, & ſenatu Roma fæminas exceſſe voluerit; eſtò imbecillis, &

gran-

grandibus curis minor, imò & ſævus, & arrogans per licentiam ſexus judicetur; cùm tamen neque illis virtutis via præcluſa ſit, coronis cur arceri debeant ſexûs ſolius causâ, non patet. Fuêre ſceleſtæ nonnullæ, fateor; Jezabel impia, crudelis Athalia, Laodice ſex filiorum ſuorum carnifex, luxurioſa Cleopatra, & in fratrem immanis, Meſſalina, Fauſtina, Fredegundis ſentinæ fæditatum; ſed hoc pacto nec viros imperio dignos concludere oportebit, cùm & horum plures infanda quæque patrârint.

Ætas omnis heroicæ mentis fæminas nacta eſt, quæ, ùt bene Tacit. l. 6. curis virilibus fæminarum vitia exuerunt. Sacræ literæ Jahelem, Deboram, Judith, Eſtherem, quantis laudibus proſequuntur? Hiſtoriam reliquam nunquid Placidia, Pulcheria, Mathildis, Irene Auguſta, Libuſſa Bohemorum, Wenda Polonorum, Maria Ungarorum, Margaretha Belgarum, Anna nuper Anglorum, Auguſta Maria Theresia hodie Ungarorum, & Bohemorum Imperio recèns plaudente, orbe toto ſtupente commendant? Annon Semiramis Babylonem auxit, & munivit? Juſtin. l. 1. Nunquid Tomyris ipſo Cyro perempto fines auxit? Herod. l. 1. Nónne denique Artemiſiam Cariæ Reginam pro Xerxe contra Græcos ſtrenuè pugnâſſe ex eodem l. 8. novimus; ùt Amazones, quas inter fabulas cenſent nonnulli, decantatas, Zenobiam Palmirenorum, Mauviam Saracenorum Reginas regnis formidandas omittam.

Una inter omnes Pulcheria ad vindicandum hoc fæminis jus ſuffecerit Theodoſii Junioris ſoror; Imperii, dum is adoleſceret, feliciſſima gubernatrix. Cujus prudentiam Lipſius in monit. l. 2. c. 2. teſtatiſſimam vel eo facit, quæ, ut errorem fratris, libellos ſupplices, nè quidem viſos, ſubſcribentis corrigeret, ſapiens id inventum commenta eſt; libellum ejusmodi à ſe confectum Fratri porrigit, quo Eudociam Fratris conjugem in ſervitutem ſibi depoſcit. Annuit non viſo libello Theodoſius, & Pulcheria Eudociam ſibi mancipat aliquanto tempore. Repetit conjugem Princeps, cui ſapiens Domina reponit: id, quod Cæſareo ſuum eſſet jure, ſe minimè reddituram. Libellum unà Theodoſii manu ſubſcriptum pandit, quo ruborem fratri, nè lecta quidem minùs cautè ſubſcribenti, injecit. Ab-

sit proinde universim illud Aristotelis l. I. Pol. c. 8. quidquid masculinum, naturâ magìs factum ad imperandum fæmineo. Unde & Salica lex tum solùm mulieres arcet à solii hæreditate, dum mares adsunt; cui & ego libens subscripserim.

QUÆSTIO ETHICO-POLITICA.

Uter Principatus felicior, gentis rudis, an Cultæ?

Pro Rudi.

NUnquam felicior repit serpens, ac dum aprica vallium nullis horrent sentibus, aut spinis. Serpens regnantûm omnium icon pariter, & censura. Bene consultum Principi, meliùs Reipublicæ, cùm Providentia serpentem signat in Principe, nullis invia dolis columbæ simplicitas lucet in populo. Quia obicem non patitur oculus, ubi recessus nulli, non tam lustrat omnia, quàm lustrando deliciatur. Candor vulgus, Principem vis mentis commendet; ut regat iste, Cœlum constituit, regatur illud. Alterius officio, præter excelsam indolem, mente; hujus obsequio, solo opus est animo. Neque rudi deest simplicitati animus, dum imbecillis conscia mentis, alienis & cupit, & gaudet regi juribus, tutiùs rata jubentis parere arbitrio, quàm duci suo. Et bene; docet ferè, quod nocet; docet pariter, quod deest; errat semel, qui sequitur, si error obveniat; duplo errat, qui ducit: quia erroris sui pariter, & alieni prædes est. Meritò gentes complures debitam cunctis dotem credebant, infra Principem sapere semper velle: quisquis supra illum sapere ausit, læsæ reus sit Majestatis. Acerbior nulla humanæ vitæ est sors, ac Judiciorum, sensuum, &, si ità fas loqui, cordium singulorum telonia. Omnes hâc ostraeismi lege si non damnamur, multamur certè; Princeps tantò ampliùs, quantò ùt eminet cunctis altior, super omnes nævo sinè esse eundem seu dignitas jubet, seu populus cupit. Quàm felix hoc uno titulo Princeps, cui rudis,

rudis, populus paret; ſimplex mens, ùt ſimplici oculo ſpectat conſilia, & facta Principis; ſic benevolo eſt animo, agendo omnia è jubentis imperio, ipſis adeò nutibus obſequendi. Quàm commune, tam acerbum ferè Principibus malum eſt, ſubditorum curioſitas, quæ, quantùm alieni ſcrutatrix eſt muneris, tam ſui incuria. Abeſt hæc, dum rudis ſimplicitas populum tenet. Ceſſat tum obſervantia temeraria, ceſſat judiciorum, & decretorum trutina; ceſſat animus, quo, aut urgeat, aut, dum in ſcirpo nodum quærit, vincat contraria. Da rudem gentem, regula illi non imperia, & minis firmata erunt ſancita, ſed nutus; umbra ſui ſolem index, vulgus tale Principem ſequitur, non quia debet, ſed quia vult. Hic unus illi ſuper Pandectas omnes, & ſacram eſt paginam. Oraculum in eo Delphicum ſe rati habere, quod audiant, cui obaudiant. Cautos ſuper Argum; providos, & ſapientes ſe cenſent, tum maximè, dum unius ductu ſiniſtris obicem ſtatuant, aut medelam ferant: ſecundos eventus aut fundent, aut proſequantur; belli & pacis ſtudia pari ſorte definiant. En quanta felicitas populi, Regis, Reipublicæ, dum ſimplicitas pacis atque concordiæ eſt fundamentum. Felicitas populo, facilitas Principi, reverentia in Regem, univerſi ſalus. Manus, ùt oportet, ſexcentas talis numerat Respublica, caput unicum. At eſtò, aut langueat, aut obtundatur vigor dexteræ noxio ſpiritu: ſibilus flectet myricam; dum cultioris, quia doctioris gentis quercina robora vix fulmina torquent in obſequium. Væ rectoribus animantium, ſi ſuas nôſſent vires. Nunquam paveret ſonipes, plauſtra camelus non ferret, turres Elephas, niſì ignorantia eos obſequentes, nos felices ſuâ ipſorum faceret ruditate. Quid, quòd nulla hìc conſpiratio, ſeditio, doli. Ut quæ oculatos petunt, quibus, dum ſuſpecta omnia, aciei quoque ſint pervia regnantûm conſilia. Curioſitas cultum, & doctrinam ſequitur. Hæc in nullo ferè Principe, quod carpat, non reperit. Spernitur tum facilè, qui carpitur. Ægrè paretur ei, qui ſpernitur. Dum contrà nunquam ſe magìs produnt obſequia, ac ubi ampliſſimum à ſcientia, cultúque diſcrimen eſt; ùt luna, quò à ſole remotior, clarior nitet.

Pro Culta Gente.

QUid acerbius Principi, vafras, an duras moderari cervices? problema esto: ego sententiam fero, utrisque pari demerito igni, & aquâ interdicendum esse. Umbra est Princeps, cujus nutus legum vicem non obtinent. Quam porro vicem referant, ubi pervicacia clavum tenet? quæ enim speranda aut promptitudo, aut constantia obsequii, ubi exilitas mentis cerebri loco congenita neque dignitatem purpuræ, neque sui debitum officii noscendi est capax. Quantò ampliùs eminet Princeps fastigio, tantò majoribus licèt sit dignus vulgi officiis, non in hoc tamen passim censetur à populo stare dignitas ejusdem, solii nempe culmine, decore purpuræ, pompæ frequentiâ. Imbecillis est populo mens. Non assequitur Herculeis paria viribus curarum pondera, quibus ampliùs, ac ornetur auro, gravatur purpurâ: Spinas diadematis nescit, quibus caput Principis petitur; cæcutit, quo pacto tormenta animi felicitatem illam extenuent, in qua, quia nihil asperi palpant, reperiri quoque nîl existimant. Mensura nempe judicii mensura ferè est sensuum vulgi, cæcutiunt ad solem noctuæ, sibilum surdastri non sentiunt. Acriores quamvis sint stimuli, quibus Princeps configitur (ùt ferè latentia mala furunt acerbiùs) nulli tamen esse creduntur, quia nulli passim videntur. Et nónne vel eò acerbius sit fatum purpuræ, tum quia ruditati cæcæ imponitur fulgore ejusdem, aculeis spinarum scatentis; tum quia potentiùs configunt animum vulnera, quæ, quia latent, nulla censentur: atque adeò adjutorem, aut miserantem nullum habent. Quare cum suis divitem commodis, nullis obnoxium incommodis vulgus Principem spectat, ùt amamus nostri causâ acerba ferentem, sic sinistro judicio pronum est Principem minùs amari. Minùs quisquis amat, si ruditatem addas, ùt pervicax nullo negotio est, timoris ferme solius fræno stringendus est. Neque mirùm. Nulla ignoti cupido, minùs amor. Pabulo nutritur flamma; amor amantis per adversa meritis, ùt pabulo crescit. Hæc si non videantur, amabilitatem non in-

di-

dicant, atque adeò pondus amandi non addant. Nemo unus inter homines diligit, nisì quod tacitè ùt minùs, sin palam probet in altero. Probatur nobis ampliùs nihil, ac dum nostri causâ mala ferentem cernimus; propterea, quòd nos ipsos reflexo amore diligimus, cùm alterum amamus, quia nostri commodi causâ patitur. Quid porro ab ejusmodi fungis sperandum, hoc præsertim ævo, ubi consiliis plura aguntur, quàm viribus? Da discrimen, quis se ahenum pro Regis capite opponet? Quis sanguine, & morte Patriæ, ac Reipublicæ fidem satis suam probabit? Fidem nescit, qui neque, cui fidem probet, Andabatarum more, neque cur probet, satìs cognoscit. Commendat Principatum amori comes tractandi facilitas. Non hæ rudis populi sunt prærogativæ. Cervicem rudem durities, & pertinacia passim consequitur. Scilicet cùm ratio, judicium, providentia exulat, impetus ferarum more habenas regit. Tormenta ipsa, aut verbera vix adeò durum compescat, ùt verba, ac ratio cultam, prudentémque gentem pelliciunt. O quantò felicior purpura, suavi cincta illicio, quàm duro compedum, aut catastarum satellitio horrida. Ad hæc inconstantius nihil multitudine rudi. Arundo ectypon, sit, auræ cuivis obaudiens. Verbis rapitur, quæ audit; non merito, quod non assequitur. Corticem pensat, non nucleum. Hinc pretio ferè cuique venalis. Da Catilinam, non pro Rostris cum Tullio utiliter, sed plausibiliter dicentem; mancipia linguæ suæ gentem totam numerabit momento. Trajanus testis sit. Limes ejus erat Imperii communis cum orbe, & natura. Et tot subactis gentibus vix ullam censuit fidam, quia omnem rudem, & barbaram. Pari levitate stat illis fides, atque perfidia, quòd stoliditate suâ nec illius decus, aut debitum, nec hujus probrum, aut scelus assequi possint. Et quo pacto Argis ævi nostri hostibus noctuæ hæ suas ipsæ amantes tenebras resistant? non clangor litui, fragor armorum, aut impetus laurum extorquet, meliùs rudi gente id tygris, aut panthera præstabit. Jungenda militari virtuti cura, solertia, providentia, non ignavia rudis; nè laniénam magìs subeas, quàm arenam. Cultioris hæc omnia

sunt

ſunt populi decora. En, ùt & in pace decus, & in bello præſidium gens culta ſit Principi, præ ruditate inculta.

QUÆSTIO IV.
De Rebus publicis hodierni orbis.

§. I.
Romani Imperii Respublica; numerus, & munia ejusdem Electorum.



Signa quot alta vides Domino famula ntia ſoli,
Cuncta ſuas obeunt officioſa vices. at
Multa Teutonicæ quoque ſint licèt a ra coronæ,
Nulla vacant: proprium ſingula munus habent.

DOCTRINA POLITICA.

EUropa omnis partium orbis mole ſuâ, & ambitu minima; dignitate, opibus, ſcientiâ, & armis maxima, Monarchicam alibi, Reipublicæ formas alibi obtinet. Duo cenſet imperia, *Romano-Germanicum*, ſeu *Occidentis*; tum *Orientis*, ſeu *Romano-Turcicum*, cui ho:ie præeſt Achmetes. Regna majo-

majora decem, minora complura; Ducatus, & Principatus quàm plurimos.

Romanum à Roma condita anno orbis 3230. Regibus primùm, tum Consulibus, Cæsaribus demum, seu Imperatoribus paruit. Primus horum Julius *Cæsar*, à cæsarie, cum qua natus, vel à cæsa Matris alvo dictus; *Imperatores* porro dicti sunt, eò quòd invisum Romanis Regum nomen fuerit. Cæso per Julium Brutum, & Cassium in senatu deinde Cæsare, Triumviri Imperio dominabantur, Antonius, Lepidus, & Octavianus, qui superatis cæteris, & ad Actium præsertim Antonio cum Cleopatra, Imperio potitus, annis 40. dignitatem hanc stabilivit, & posteris transcripsit. Caput orbis, & Cæsarum sedes Roma sola permansit, donec Constantinus erectâ Urbe sibi cognomine Constantinopoli, Imperium in occidentale, & orientale per filios est partitus. Desiit subinde in Augustulo Imperium Occidentis, & Regibus paruit Italia. Donec Carolus Magnus Adriano Pontifici contra Desiderium Longobardorum Regem suppetias tulit, & in gratæ mentis contestationem, annuente Nicephoro Occidentis Imperatore, Romanorum Imperator à Leone Tertio est salutatus, anno Domini 800. A Francis in Saxones, Bavaros, aliósque sceptrum subinde translatum. Donec concordi Principum Germaniæ calculo sub Ottone III. Imperatore sancitum, neminem, nisì germani nominis Principem in Imperatorem eligi posse, quod ipsum à Gregorio V. Ottonis consobrino legibus confirmatum. Tum devolutâ in Rudolphum I. Habspurgicum coronâ, & per varios Imperio gubernato, hodie continenti successione, ab anno 1438. Augustissima Domus Austriaca clavum moderatur. Quodsi mirari velis hanc continuam domûs unius successionem, causam accipe ex statu Imperii, titulo de Opibus Imperator: Ubi præcipitur: licèt electio vigeat, tamen inter alia, quàm maximè Electores opum & divitiarum tenentur habere respectum, ut videlicet talem in Imperatorem eligant, cui ex patrimonio proprio tantùm supersit æris, quantùm ad magnificentiam hanc sustinendam satìs esse possit. Neque libertati Germaniæ Virtus Austriæ coronata unquam fuit adversa.

Forma

Forma duplicis hujus imperii eſt Monarchica. Germanici inſuper eſt Electitia, Ariſtocratiæ, & aliquantùm Politiæ mixta. Lampadio teſte P. 3. c. 7. Cæſar Ariſtocratici Imperii partem dimidiam ſolus obtinet, & multa ſolus monarchicè temperat. Multa enim, præter Imperatorem, qui caput eſt, etiam à cæteris, veluti à membris, dependent in hac gubernandi forma, ſcilicet ab Imperialibus ſtatibus, qui tres ſunt. 1. Electorales. 2. Principes ſeu Eccleſiaſtici, ſeu ſæculares; ad quos Landgravii, Comites, Barones reducuntur. 3. Liberæ Civitates, quæ in Suevico latere ſunt 31. in Rhenano 35.

Imperator Romanus, cùm per bullam auream à Carolo IV. certis legibus definitam, jure jurando in coronatione, & unctione ſua ſe obſtringat: *Se velle Catholicam Religionem ſervare;* præterea cùm habeatur in capitulatione Imperii, quòd juret: *Se velle debitum Pontifici honorem habere, & Eccleſiis donata conſervare &c.* videre licet, non niſì Catholicum hâc dignitate ornari poſſe. Jura ejus ſunt: bella indicere, ſancire fœdera, Civitatum, & Academiarum jura tribuere, Electores facere, Duces & Principes creare, imò & Reges dicere, ùt Henricus IV. Wratislaum anno 1086. Philippus Imperator Primislaum Bohemorum Ducem Regem an. 1199. ità Stranskius in Geographia Bohemiæ c. 8. Leopoldus I. Brandeburgum Electorem Fridericum tertium 1700. Regem Pruſſiæ dixêre. Vectigalia tamen non ſinè Electorum conſenſu inſtituit. Spirenſi Cameræ Imperiali Cæſar non ſubeſt, ſed caput ejus eſt ipſe. Ubi Cæſar reſidet, vi bullæ aureæ C. 9. Judicium Imperiale morari poteſt, Imperii res tractans; hujus tamen conſilii Cæſarei Vice-Cancellarius locô Moguntini licèt eſſe poſſit Nobilium quiſpiam è Comitibus, vel Baronibus Imperii, non tamen poteſt eſſe Nobilis terræ alienæ.

Primus ab Imperatore Rex eſt Romanorum, qui ùt vivente Imperatore eligi poteſt, ità electus, ſæpius nihil, vivente, nec impedito, aut inhabili reddito Imperatore, ſuo nomine facere poteſt. Vicariâ poteſtate præeſt imperio, & ſucceſſor certus ſinè nova electione, ùt Delphinus Galliæ, Walliæ Princeps in Anglia. *Caput* &

Au-

Augustus dicitur, simplicémque aquilam in insigni gerit, Imperatorem tamen *Dominum* nominat, qui etiam *semper Augustus* dicitur, & duplex eidem aquila pro scuto est. Hodie cùm etiam Reges hunc sibi titulum arrogârint, Imperatori dari solet *Augustissimi* titulus.

Imperator olim omnium statuum suffragio eligebatur, sub Ottone III. ad 7. duntaxat Electores devoluta est sors, quod ipsum *Bulla aurea* Caroli IV. confirmat. Regia horum est dignitas, & potestas. Unde Ecclesiastici 3. Moguntinus, Coloniensis, & Trevirensis Cardinalibus ipsis in celebratione Curiæ Imperialis non cedunt; sic Coloniensis Legato Apostolico Cardinali Maronio non cessit. Sæculares pariter 4. videlicet Rex Bohemiæ, Palatinus Rheni, Saxo, & Brandeburgus Regibus ipsis competunt; hinc Marchio Brandeburgicus Rudolpho II. tum Ungariæ Regi Ratisbonæ cedere detrectavit. Jus est Electoribus Imperatorem dignum eligendi, qui etiam Wenceslaum ignaviæ suæ causâ post 22. annorum gubernium exauctorârunt. Præterea ad utilitatem Imperii celebrandi comitia inter se, monetam cudendi, fodinarum &c. quæ Regum propria sunt. Juxta bullæ aureæ sancita non requiruntur ad validam electionem omnium Electorum suffragia, sed sufficit eorum pluralitas sola. Hæc bulla aurea à Carolo IV. sapientissimè instituta est, ad firmandam pacem Electionis Germanicæ, quæ aliàs facillimè turbis obnoxia esse consuevit; éstque bulla hæc nihil aliud, quàm consensu Imperii statuta nonnulla, circa requisita ad eligibilitatem, item modum coronandi Cæsaris, & ejus authoritatem, demum circa Electorum potestatem.

Romani Imperii nomine tota venit Germania, quæ à Cæsaribus Maximiliano, & Carolo V. in 10. circulos distributa est. Suum quivis circulus directorem habet, ad quem querelæ deferri possint, & debeant, priusquam ad Curiam Imperialem, & Cæsarem rerum omnium arbitrum causæ devolvantur. *Austriaci* director est Archi-Dux Austriæ, Serenissima hodie Regina Ungariæ, & Bohemiæ. *Bavarici* Archi-Episcopus Salisburgensis, & Dux Bavariæ. *Suevici* Episcopus Constantiensis, & Dux Wirtenbergicus.

Rhe-

Rheni Superioris Epiſcopus Wormatienſis, & Palatinus. *Rheni Inferioris* Archi-Epiſcopus, & Elector Moguntinus. *Burgundici* Rex Hiſpaniarum. *Franconici* Epiſcopus Bambergenſis, & Marchio Culmbacenſis. *Saxonici Superioris* Elector Saxoniæ, & Elector Brandeburgicus *Saxonici Inferioris* Dux Magdeburgicus, Dux Bremenſis, & Dux Luneburgenſis alternant. *Weſtphalici* alternativè Epiſcopus Monaſterienſis, Rex Pruſſiæ, quà Dux Cliviæ, & Palatinus Jul. Silеſia, Bohemia, & Moravia circulo nulli adſcribitur; rege tantùm ſuo gubernatur. Mantuam, Mutinam, Regium &c. Matricula Imperii per Lampadium ſibi adſcribit, jus tamen ſuffragii non habet.

Celebratis comitiis, quibus non de Rege, vel Imperatore eligendo agitur, Electores, & Principes viritim dicunt ſuffragia. Comites & Prælati curiatim. Civitates ſimul duo obtinent vota, & quidem ſententiâ non nullorum non modò conſultandi, ſed etiam ſuffragandi.

Septem erant Electores principio, ùt dixi. Additi his ſunt duo *Bavarus*, & *Brunſuico-Luneburgicus*, ſeu *Hannoveranus*. *Moguntinus* dignitate eminet. Decanus hic eſt Collegii Electorum. Menſis unius ſpatio, Cæſare fatis functo, convocat Electores, eorúmque ſuffragia excipit. Cuſtos Matriculæ Imperij, tanquam Archi-Cancellarius Germaniæ. In Germania extra Diœceſim Colonienſem dextrum latus occupat Imperatoris.

Trevirenſis, cùm Gallia olim ad Imperium ſpectaverit, Archi-Cancellarius eſt per Galliam. Primum ei votum aurea bulla tribuit. In conſeſſu ex adverſo Cæſaris ſedet, facie in eundem intentâ.

Collonienſis Archi-Cancellarius eſt per Italiam. Votum habet ſecundum. Alternativè cum Moguntino coronat Imperatorem, extra Diœceſim alterutrius, ſcilicet in ſua quilibet. In ſua Diœceſi, & extra Germaniam à dextris Imperatori comes eſt.

Rex Bohemiæ, quicunque à ſuis electus fuerit (antequam Auguſtiſſimæ domui Auſtriacæ hæreditarium fieret regnum) elector erat Imperii; cæteri enim Electoratus

gau-

gaudent ſucceſſione, quæ ſi deficiat, Imperator pro libitu confert, quod non erat in Bohemiæ Regibus. Hic ergò Rex in electione eſt arbiter ſuffragiorum, & decidit, ſi vota ſint paria. Per bullam tertium votum habet. Pincerna eſt Imperatoris, & primum offert potum Imperatori, non id tamen tenetur præſtare coronâ actu redimitus, nisì propriâ ſponte velit. In comitatu Cæſaris, Cæſarem, & Regem ſequitur, Imperatricem præcedit.

Palatinus Rheni, nondum inſtituto Electoratu Bavarico, Archi-Dapifer fuit, & primum Imperatori attulit cibum. Vacante Imperio, per Rhenum, & Sueviam vices agit Imperatoris. Pomum aureum Cæſari defert.

Saxo Archi-Mareſchallus avenam primus ſolet diſtribuere, dum ſolennia Curiæ celebrantur. *Enſifer* portare ſolet enſem Cæſaris. Per inferiorem Germaniam Vicarius eſt Cæſaris.

Brandeburgus Archi-Camerarius, aquam manibus Cæſareis porrigit. Sceptrum Imperiale geſtat in publicis actibus. Sextóque voto gaudet per bullam auream.

Bavarus Electoratus ſuum ſumpſit initium per Maximilianum, in præmium bellicæ operæ Cæſari fideliter navatæ, cùm factioſi Bohemorum non nulli Fridericum V. Palatinum in Regem aſſumerent, adversùs Ferdinandum II. vivente adhuc Mathiâ Imperatore, Regem Bohemorum anno 1617. creatum. Pugnaverat Fridericus hic ſiniſtrâ aleâ ad Pragam 1620. tum ad Hollandos ſalutis causâ ſeſe recipiens, Electoratu exutus eſt. Recepit deinde, Oſnabrugenſis pacis pactis, Carolus Ludovicus Friderici filius cum Palatinatu inferiore, & cum Archi-Theſaurarii titulo Electoratum ſuum; eâ tamen lege, ut Bavaris cum Palatinatu ſuperiore, & Archi-Dapiferi titulo Electoratus maneret, quorum ſtirps, ſi penitus fatis cederet, Palatino omnia rurſus obveniant. At cùm aliter viſum eſſet Numini, & Palatina priùs deficeret linea, 1685. Leopoldi I. favoribus Philippo Wilhelmo Neoburgico Duci Palatinalis Electoratus collatus eſt. E cujus ſanguine Magnorum Genitrix Cæſarum Eleonora Magdalena Thereſia Leopoldo conjux adlecta anno 1676.

Brunsuico-Luneburgicus, seu *Hannoveranus*, suam Leopoldo I. debet originem. Archi-Vexilliferi titulus cum Electoratu Ernesto Augusto obtigit primùm. Cùm tamen Dux Wirtembergius, utpote cui Imperiale vexillum commissum, non modicum obsisteret. Excepit ab hujus fatis Electoratum Georgius, Britannico hodie solio clarus. Gemina Brunsuicensis Ducatûs linea suo merito memoranda nobis hìc venit. Luneburgica, seu Hannoverana altera, ex qua Wilhelminæ Amaliæ, Augustæ Josephi I. Conjugis Genitor Fridericus Calenbergæ, & Grubenhagii Dux. Altera Daneburgica, seu Wolffenbütellana, ex qua per Ludovicum Rudolphum genita Elisabetha Christina, Augustissimi Caroli VI. Conjux Augusta.

QUÆSTIO POLITICA.

Utra felicior Respublica, multitudinis, an paucorum suffragiis Principem legens?

Pro Multis.

JUs naturæ, & Imperium duo sunt nomina, res una. Membra mentem, orbis Numen, Principem populus cœlo datum adorant. Quid mirum, pacis, bellíque interesse plurimum, ut ab uno pendeant omnia? cùm sinè hoc, nè domus quidem, aut mapale rusticum, nedum Respublica sui secura consistat. At estò, unum præesse velis Imperio, hic unius, an plurium calculum ferat, vix quærendum existimo. Amari ab omnibus, & coli Principem lex, & Respublica imperat, quî ametur, qui imperat forsan invitis, aut invisis? Regit omnes; ut rectè regat, amans nempe, & amatus, delectum, & suffragia ferat omnium, oportet. Non solis Procerum aulis, caulis æquè, & mapalibus civium dat jura sceptrum. Parî sorte parent fora cum Curia, communi lactantur sanguine, vectigalis, homagii, fidei. Quid ni ergo omnium quoque vota & petat antè, & referat imperaturus? Ægrè sanguis impenditur ei, quem indignum censent alii; parere aut nesciunt, aut nolunt, quorum adversatur aut ingenium,

genium, aut animus. Fides incerta eſt, dum invitis leges dictantur. Det ergo ſua Nobilium cætus ſuffragia, ſtat horum gloriâ Principis decus. Accedat civis, cujus nervo ſi non fundatur, ſtabilitur ſecuritas ſolii. Claudat agmen plebs infima, quæ vita eſt Reipublicæ. Cor ſunt primi, nervi ſecundi, ſanguis ultimi. Quidquid horum adimas corpori, truncum ſinè vigore cadaver; quidquid horum adimas Principi, umbram magìs, quàm Principem ſpectabis in ſolio dominantem. *Per me Reges regnant*, divino docemur oraculo. Nunquam certior non tam hominis, quàm DEI deligentis eſt regula, quàm dum concors eſt ſuffragiorum unio, & ſententiarum par ſenſus. Quem populus uno deligit corde, cœli, non mundi calculo ſolium tenet: vox enim populi, vox DEI. Diſcordia mentis, & oris, mendacium cœlo & orbi inviſum eſt; dum diſcordant ſuffragantium ſtudia, mendacio par fatum Reipublicæ peſtis eſt. Feliciùs nunquam, ac dum multitudo conſentiens in ſolium levat. Nîl Orienti, Sueciæ, aliíſque frequentius, ac regni totius, plebis, & Optimatum ſtudiis ſceptra deferri. Quàm ſæpe, quia Electores pauci, peſtis, non Pater occupat diadema? dum clitella auro onuſta gazas primùm, tum animos deligentium occupat, aut argentanginâ fauces laborant, nè deligant, per quem conſultum publico, ſed quem utile privatum poſcit. Procul eſt peſtis hujus diſcrimen, ubi populus deligit: quem ſi cœlum ipſum aurum depluat, emere nunquam poſſis. Flectuntur donis Numina, quidnî & paucorum venalia plus offerenti ſuffragia. Multitudini contrà ferè comes eſt veritas. Sed & peſtis rara, quæ, potentiſſima ſit licèt, graſſetur in omnes. Quid ſi tamen indemnia ſint deligentium corda, ſint manus innocuæ hâc Autolici pice. Conſentiant ſingulorum ſtudia, nè deligatur alius, niſì qui digniſſimus viſus. An non pronior nihilominus error paucorum, ac ſit Univerſi? Quæ Pharus adeò aut excelſa, aut clara, quæ vadum omne ſinè offenſione pandat decurſui? Plura cerebra, plura volvunt; & oculi plura vident. Nihil magìs Reipublicæ intereſt, ac deligi quemque optimum. Amæniùs quippe ſuo, & ſubditorum imperat commodo delectus, quia vel eò dilectus. Mos geritur im-

peranti faciliùs, cujus ſponte ſunt expetita imperia. Ut & pondus ipſum ſuaviùs premit, quod manus, aut arbitrium proprium lacertis imponit. Ubi amatur cum præcipiente præceptum, decumana etiam pondera ſolatia cenſet omnis Reſpublica.

Pro Paucis.

ERrat, qui principiorum multitudine perfectionem metitur effectûs. Non copia, ſed præſtantia fundat felicitatem. Monſtrum natura ſæpe neſciret, nisì multiplici genitum ſanguine. Quaſi verò devium ſit, quod in multa diviſum, aut è multis connexum. Ordinem ferè paucitas, confuſionem multitudo comitem habet. Plurium manus iconem, coquorum ferculum, architectorum mens palatium non perficiunt, ſed deformant. Diſcrepant ferè ſenſus, ùt genii, guſtúsve mortalium; quódque probatum uni, non vacat alteri culpâ. Nunquam calculorum numero, ſed judicio acri eventus rei penſandus. Et quis hoc quærat in trivio? abdita & ſacraria, non compita ſunt oraculorum delubra. Delectu Principis nîl Reipublicæ majoris eſt ponderis; nîl expectatione majus orbi: in hoc quantum multiplicantur ſententiæ, acrimoniæ diſtrahitur. Vigent ſpiritus ampliùs nunquam, ac dum ſtringuntur in centrum; languent, dum diſſipantur. Flamma flammæ addita incendium, & vim auget, quia naturæ ejusdem. Calculus ubi additur calculo, frequenter retunditur; quia ubi copia, certa una hæc regula eſt, judiciorum fore diſſenſum. Pœna hæc, an natura ſit congenitæ hominibus arrogantiæ, dubites Capitum ſenſum ſequuntur ferè ſententiæ; quódque acerbiùs, dum ſuæ cuique placent cauſæ, ùt matribus liberi, quin ùt quisque ſibi; tam ægrè receditur à ſuſcepto, aut propugnato conſilio, ac à ſe, quia nemo facilè diſplicet ſibi. Paucorum vota vix idem ſibi ſæpe ſtatuunt centrum, quid multorum factura ſunt? præſertim ubi ſpes allicit, metus retrahit, imber aureus faſcinat? Facilior ſors eſt paucos, atque multos in unum inflectere. Ut rivum duxeris leniùs, quàm torrentem. Naturâ ferè comparatum ſic eſt, quantum diſtat à cœlo orcus, tantum nobilis à plebejo ſenſus. Ille, quia ſuperficie capitur,

pitur, ùt cortex ſolus ſenſui ſubjacet, ſic colorem vixdum, & vultum Principis ſpectat pro merito; dum ſenſus intimos rimatur alter, atque adeò ſuppares clavo animos, & mentem pandit. Væ Reipublicæ avium, ſi talpa ſententiam ferat, nunquam Aquila chorum ducet volantûm. Adde, quòd ſcindi vulgus ferè oporteat, vel ideo, quia vulgus eſt? levitate, impetu, fuco ducitur, imò rapitur. Inconſtantiâ pari, quâ ſceptrum defert hodie, rapit poſtridie, jure non demeriti, ſed arbitrii inconſulti. Seditioni magìs, quàm delectui plebs opportuna eſt. Error eidem pronus & facilis ſimplicitate nativâ: doceri tamen impotens, quia parem non patitur, majorem non vult; erroris redargui minùs; quid ſupereſt? nisì ut ſæviat licentiâ furens. Sopit flammam cinis; auram præbe, excidium vomet. Sic plebs, vim ſi addas, cervicem ſceptro flectit, fortunis interim imminet, non animo, ſed occaſione nocendi carens. Occaſionem præbe multorum delectu, intra urbem hoſtem ſenties, qui dum diſtractis viribus grandia tentavit nunquam; unitis, quæ tentat, rumpit. Numero arrogans fit ruditas, dum potentia & protervia ad arma provocet, & ferro decidat. Rara plebs, cujus pars læſa non ſit: coquuntur injuriæ veteres, & in ultionem urget memoria vulnerum, dum occaſio cætûs eſt. Cerebrum ſcrutariæ penûs vix capax, de rege, de ſolio judicet? ſus de Minerva? Apage, nisì flagitiis, quibus non caret vulgus, vel patronum, vel conniventem deligi malis, quàm vindicem legum, & arbitrum juris. Orbis ſententiam vide, & concludc. Romanos faſces non plebs, ſed ſenatus Patrum annis, virtute, ſanguine nobilis ſacravit quondam: hodie Imperium Imperiorum novem virorum delectu; vicarium ipſum Numinis ſolium purpurati duntaxat cætûs ſententiâ coronatur.

(o)

§. II.

Quæ Imperii Orientis Respublica?



Si virtute pares inter ſtirpe eminet alter
Æmulus, eſt ſummo dignior ille loco.
At ſolos qui jactat avos, ſtirpémque vetuſtam
Æmulus, eſt ſummo dignior ille probro.

DOCTRINA POLITICA.



Mperium Orientis, quod hodie Achmetes regit, à Conſtantino fundatum Græci Imperatores tenuerunt usque ad annum Domini 1204. quo Comes Flandriæ Balduinus, Imperator electus, ſuccedentibus deinde Latinis aliis, rexit. Anno 1452. ſub Conſtantino, Mahometes orbis terror Bizantium barbaræ poteſtati ſubjecit, & expugnavit, Græcorum avaritiâ, & perfidiâ, hoſtium molimina promovente.

Ex eo tempore *Sultani* rerum potiuntur. Monarchicâ quidem, adeò tamen barbarâ poteſtate, ùt ſuprà Q. 3. §. I. ſub finem dixi, ut nè quidem auræ hujus, aut vitæ, quâ fruuntur, ſeſe Dominum, quisquis ille fuerit, dicere auſit; ſed vitam, & fortunas gratiam eſſe Cæſaris, velut ali-

alicujus Numinis, fateatur. Neque immeritò, nam etsi clementiæ laudem peculiari studio Sultani Turcarum (ità hodie communi vocabulo Imperatores dicunt) in populo, ac subditis venentur, unius tamen illius arbitrio momento quovis fortunæ, ac vita cujusvis, vel maximi, pendent. Quo factum, quòd cupiditate inducti, belli cumprimis tempore, quos opulentiores Provinciarum Præsides nôrunt, vitâ sæpe, ac fortunis momento exuerint. Reis, leviorum sæpe criminum causâ, bonorum omnium jacturam, & mortem ipsam gladio, vel resti ùt plurimùm gentis more, oppetendam ob Imperatoris Imperium in lucro, & honore ponentibus.

Nullus apud hanc gentem nobilitatis, aut hæreditatis est cultus. Virtus bellica sola nobilitatem fundat, & promovet: ac præsertim acre in Christianos odium. Literarum pariter, ac sapientiæ nullus usus, naturale duntaxat rationis lumen, & experientia moderatur consilia. *Bassa* iis dicitur, qui nobis *Comes*. Geminæ in signum eidem præferuntur (nobilitatis id decus censent) caudæ equinæ perticis affixæ, vulgò *Tug*. Cui trium caudarum jus est, nobis *Princeps*, iis *Vezirius*, seu *Uztuglii Bassa* dicitur; neque ulli gloria hæc obtingit, nisì quibus Cæsaris nomen decretis subscribendi munus est. Aut si quem peculiaris fides bellica, & virtus distinxerit. Imperator 7. *Tug* honoratur.

Duo in aula à Cæsare obtinent summam dignitatem, & potestatem. Vezirius, seu *Vesiriasam*, belli Ducum caput. Et Præfectus aulæ seu *Baseapu agassi*. Ille bellum omne moderatur, & Patrimonii Cæsarei custos, & pro necessitate eventuum, alienator est. Cameræ Præsidis rationes exigit, & thesaurarii. Aulæ Præfectus Cæsarei ærarii tributa, & rationes lustrat, nè aut fraudibus detrimenta, aut injusta incrementa sumat cum onere populi. Utriusque rationes vestigantur à duobus, quorum summa est authoritas, Cæsari à secretis; qui fraudem, si quæ in perniciem ærarii admissa sit, Cæsari detegunt morte piandam. Vezirii porro dos maxima censetur, singulos in annos ærarium aliquâ sui parte ut augeat; neque enim aliàs meliùs gentis avaræ animos lucrari potest.

Quatuor à Vezirio Principes, Ægyptum 1mus, Babiloniam alter, Niſſam 3tius, Boſnam 4tus obtinet. Triennio rerum potiuntur. Tum ſucceſſor Provinciæ ſtatuitur à Vezirio. Hi ferè reduces à ſanctioribus conſiliis, & Vezirio ipſi ſunt ſucceſſores. Septem aliis ad conſilia Vezirius utitur, quos vulgus *Cubbe Vezirios* nominat, quorum caput *Niſſanghi Baſſa*, tum maris Præfectus *Capitan Baſſa*, qui abſente Cæſare vicariæ ſunt poteſtatis. Et præſente etiam eodem Sultani nomen ſubſcribunt. Vezirio tria, Cube Vezirio mille, Imperatori 40. Janitſcharorum, 30. Spahorum millia (Equites iſti, pedites illi Turcis ſunt milites) comitatum præſtant, & excubias agunt.

Dicti 4. Principes conſiliis à Vezirio reguntur. Primus eorum *Æ yptius* 27. cenſet Provincias, 20 millium præſidio firmas. Pars horum Candiam, pars Meccam ſcurræ Mahometis fanum, pars præſidia, & confinia adversùs Indos, & Sinas tuetur. Belli tempore horum 20. millium numerus demitur nunquam, ſed ſuo ære Pro Rex octo hominum millia ſiſtere jubetur. Quodſi Indos bello petat Pro-Rex, cum ſuis octo millibus ipſe cum Imperatore cogitur proficiſci. *Babylonicus* 12. bellatorum millia numerat, Provinciis quinque, maximè adversùs Perſas tuendis, neceſſaria. Si bellandum cum quopiam, Perſis exceptis, ſex millia ſecum in Cæſaris obſequium ducit, reliquis 6. præſidio relictis. Si Perſa petendus, vi omni domi ſuæ hoſtem adoritur. *Boſnenſis* tria bellatorum millia ſiſtit; quia verò regio omnis, Imperatoris munere, & in octingentos penè *Saimos*, virtutis bellicæ causâ, diviſa eſt, horum penè quivis belli tempore 100. ſecum pugnatores cùm adferat, quot ex his millia cogat, nullo negotio conjeceris. Ad hæc tartaro ſi pax ſit, trecenta millia ſiſtendi copia eſt facilis, quæ tamen vix vicenis ad belli regulas culti exercitûs millibus paria ſint.

Belli, ſi quod immineat, apparatus, univerſo imperio geminis datur mandatis, ad Vezirium altero, altero ad Janitſchar-Aga, ſeu peditum Ductorem. Hi ſubinde ex omnibus ditionibus militem cogunt, quisquis armorum tractandorum capax. Tum mercatoribus, & cauponibus, ut alimenta Provinciis, ut viarum commoda procurent,

impe-

imperatur. Nullis ſtipendiis merituri, ad exercitum, plurium millium cenſu, confluunt; qui exercitum ſuum excurſionibus identidem præcurrunt. His porro cùm per ſolas excurſiones vitam ducere non liceat, annona ſumptu Cæſaris tribuitur. Procedente Exercitu ea eſt diſciplina, ut minimam colono, fortunis, aut agris illatam injuriam morte piare debeat miles. Vicem militum, ſi res poſcat, opifices, lixæ, & calones ſubire coguntur.

Occupatis regnis, Cæſaris arbitrio dividuntur Provinciæ, harum tributis militaria penduntur ſtipendia; quod his redundat, Patrimonio Cæſaris libero obvenit. Nam cæterùm prædæ pars 10ma Cæſaris, officialium, & militum cætera eſt. E captivis junioribus, 5tus quisque obvenit Imperatori. Hic ſi moratus, aut docilis, aulæ adlegitur; ſin contrà, Janitſcharis adſcriptus aut fidem ejurare, aut necem oppetere, aut Imperatoris triremes petere cogitur.

Tria cæterùm gens omnis commendatione digna numerat. Caput eſt, quòd ad odæa ſua frequentanda impellat. Miſericordiæ, & in multis etiam æquitatis quòd adeò amantes ſint, ut pro eadem extrema quævis pertentent. Nam & egentibus, aut infirmis ferè ſuccurrunt benigniùs; & (cùm Cauponis viatoriis regio ferè careat) domibus ampliſſimis viatorum commodis ſervituris inſtruendis, tum etiam fontibus publicis curandis immenſam auri vim profundunt, perenni nominis ſui gloriâ, & aliorum commodo. Hæc ſi excipias, ferina barbaries, & ſui impotens luxuria omnis gentis eſt regula, & idæa; & Vatiniano majus in Chriſti cultores odium. Quo ſtimulati, cùm numero, & viribus corporis valeant, Chriſtianas dudum ſub jugum miſiſſent Provincias, ſi diſciplinæ militaris, præſertim Janitſchari patientes forent.



QUÆSTIO ETHICO-POLITICA.

An Nobilitatis potior ſit habenda ratio ad Reip. munia?

Negatur.

UT coſta quadrati cum diametro Mathematicis, ſic Reipublicæ mederandæ dignitas ſanguinis regulâ metienda non eſt Politicis. Virtutem poſcunt munia, non ſanguinem. Cui æmulus in arena eſt Hector, non auream quærit vel haſtam, vel Caſſidem; ſed robur, & aciem calybis. Ubi architecto, pictore, navarcho res eget, non unde is genitus, ſed artis ſpecimen petis, ut ſalutem tuam committas, ut ſapienter deligas. Sic delecturus, non quo ſanguine, ſed quâ virtute ſit animus deligendi, conſidera. Quot flumina, ſuo etiam principio grandia, abſorbet Iſter, qui origine rivus eſt? grandia omnia id ſibi vendicant nomen eo, quod actu ſunt, non quo cæperunt. Imò melius eſt ferè, quod ſeriùs venit; vel naturâ, vel arte nempe politum magis. Quis auro pretium neget, etſi Ditis fauces in cavernis occupet? purpura mare quondam incoluit, byſſus vermis erat, unio fundus abyſſi, cedrus planta fuit exilis. Quis merito? quantus animo? non, à quibus? in Miniſtro ſpectandum. Genus, & proavi, & quæ non fecimus ipſi, non ea noſtra ſunt. Suo levari quemque oportet decore, non alieno. Non naſcuntur, ſed fiunt merita; utpote decora, non uteri, ſed animi. Non origo, ſed qualitates hominem probant, laude vel opprobrio, atque adeò ſolio, aut pulvere dignum efficiunt. Quid fædiùs, divitem, glorioſum, fortem videri, ſed alieno duntaxat? ridebitur, ubi cornicula plumas poſuerit. Fama ipſa, ſi diſſimilis ſit meritus, obeſt magìs, quam prodeſt. Quantò felicior! qui Patriæ, & ſanguini nobilitatem fundare ipſe & poſſit, & velit. Ut adeò à viro & ſanguis, & patria, non à Patria, & ſanguine vir gloriam auſpicetur. Sortis, non animi eſt, aut ſanguine, aut patriâ nobilitari. Laude porro indignum eſt, quod

quod fortuiti duntaxat eſt eventûs. Meritò Alphonſus Regis filium, Regis nepotem, Regis fratrem ſe dici audiens, riſit, laudanti reponens: *hæc mea non eſt, Majorum eſt. Nobilitas vera non à teſtamento, ſed à virtute.* Multos Therſites genuit orbi natura, heroum tamen numero accenſuit virtus. Alios genuerunt Scipiadæ, & in Therſitem indoles, & facta mutârunt. Vis nôſſe, uter dignitate ſit dignior? vide à quo major accedat Patriæ dignitas. Multi ſæpe ſunt hæredes ſanguinis, non tamen unà virtutum ſanguini parium. Non diffiteor, latent in traduce propagine ſemina ipſa cum vita congenita; at hebetatur nativa calybis acies dulcore ſuccorum. Enervârunt Campanæ delitiæ domitorem Urbis. Quid dicendum, dum ſuos primis à cunabulis non nisì Campanas inter Bajas nobilitas educat? indulgentiam, & blanditias generoſus neſcit animus. Serpentibus gaudet Alcides, dum vixdum, quem proterat, ſatìs cognoſcit. Deſipit togâ, ac ſago illuſtris Pallas, ubi licentia, & libertas animum occupat. Non bene Martis incommoda, regionum, aërísque intemperies ſapiunt animo voluptatibus effæminato. Vigilias Marti, aut Minervæ non conſecrat, cui cervicali opus eſt ſemper. Malè frænatur Respublica, cùm vanitas dominatum, literæ exilium colunt. Conſiliis non fervebit anima, cupediis, & ſpectaculis à puero docta. Hinc Carolus V. Cæſar egenos Pariſiis virtute pollentes prætulit ſanguini ad dignitates. Supplet namque induſtria, ſciendi, agendíque cupido, quod negat ſanguis, imò etiam excedit. Oneratur, non ornatur ignavo nobili Respublica, partim exemplo, partim appendicibus clientum, quos quia ſuo pares & cerebro, & ſanguini nactus eſt, non nisí Magiſtratu dignos exiſtimat, & promovet, ſolius Reipublicæ detrimento. Quaſi verò ceræ veteres calculus eſſe mereantur etiam ignorantiæ ad purpuram, jacente interim virtute, quia ignobili in concha latente. Procul errorem. Reſtio erat Valentinianus, opilio Maximus, bubulcus Juſtinus; & quid vetuit orbis commodo trabeam, & diadema capeſſere? Cùm & ſceptrum ipſum, cui gentes lunantur, herì arbor fuerit ſylvarum, & ventorum ludibrium. Animus nempe, non origo, & meritum, & gradus ad

ſolium

ſolium eſt, quo conſtet Respublica. Non tam parca eſt natura, ut ſoli nobilitati virtutes in dotem tranſcribat.

Affirmatur.

SI natura calculum ducat, trutina pro nobilitate libratur. Quod ſapientûm cum Ariſtotele dictat ratio, experientia firmat. Præſtantiſſimos non nisì præſtantiſſimis gigni, ùt Phænicem Phænice. Nulla lepori cum leone eſt communio animi, quia ſanguinis nulla. Tributaria ferè virtus eſt ſanguini; Vehiculum, an ſemen dotum illuſtrium dixerim, neſcio: illud ſcio, vivaciora ferè, & præſtantiora eſſe germina, quæ caloris ampliùs, cùm ſeruntur, participant, ùt aromatum radix. Quæ generis in Nepotes propago: virtutum ferè delectus eſt compar. Igne nihil potentius natura, auro cenſent metalla, flamma illud commendat, & vim præbet, hæc flammæ in viſceribus naturæ coquentis eſt munus. Cæleſtis penè origo eſt nobili, vigor igneus; quid nisì aurea ab his Reipublicæ luſtra ſperanda? non plebejum illis lutum nativum, humile nihil, aut ſordidum adhæret animæ, conamina non nisì grandi Reipublicæ commodo, quia honeſtiſſima. Ut ſpeculum nempe Majorum ſunt decora; ſi fatiſcere libeat, futura ſeu calcar virtutis, ſeu pœna opprobrii. Menſura filiorum Patres ſunt. Virtutum Primordia ægrè degenerant in vita; ùt neſcit cinnamomi radix viperas, & aconita, aut alere, aut germinare. Qui tepet in plebe, bullit nobili in vena ſanguis; ſatiari neſcius, nisì litro æternitatis. Quod hàc minus eſt, ſe, quia nobili, indignum ratus, ad vulgi ſcruta condemnat. Sed & ſi nobilis moderetur, glorioſa illi nomina, & trabeas veretur laceſſere invidia; debitam rata gloriam animæ, quam ipſa naſcendi conditio ignobile ſuper vulgus fecit clareſcere. Quis enim nisì demens invideat aquilæ, quòd cœlo æmula, ſolem irretorta ſuſtineat? Non rodit livor facilè, quod à cunis cum ſanguine deſtinavit hæreditas. Ubi æmulandi libertas eſt, ibi duntaxat eſt arena invidiæ. Non decora, ſed hæreditas nobilitati ſunt faſces, purpura, ſecures. Non gravant elementa hæc, quibus orbis conſtat, aut nobilem, aut orbem ipſum: quia dum in eo ſunt, in loco ſunt proprio.

Suas

Suas ſibi ſedes purpura vendicat, dum nobilem ornat, ut ornetur ipſa. Erubeſcit ampliùs, cùm vilem tegit, tum quia admirationi, tum quia æmulationi majori obnoxia. Quaſi verò rubore ipſo metum pandat, nè latens ſub murice formatum vili è maſſa pectus, nihil dignum ſuâ gloriâ unquam patret. Magnam mentem ſeu inveniendo, ſeu exequendo requirunt magna. Provincias conſule, rerum delectu, & frugum exquiſitâ præſtantiâ non æquè gaudent frigidæ, ac calidæ. Sic nativa hyems generoſiſſimos præfocat ſpiritus, nè poſſint, & audeant auguſta. Ægrè ad nobiles auſus animatur ſanguis vulgaris, natali ferme ſolo reſpondent fructus, & germina. Sed etſi faſcibus ornetur ignobilis; quàm ægrè feruntur imperia ejus, quem ad obſequia magìs, quàm jura ſanguis ipſe damnavit? Quàm ægrè mos geritur, quem herì parem vulgus & vidit, & fortè contempſit? Malè ſecures tractat, quem ſtiva uſu ipſo congenuit. Ut contrà gaudent in officia ejus populi, cui ſceptrum natura à faſciis deſtinavit. Vivere nempe nolens, nisì regnaturum. Vis cauſam diſcriminis? habe: ſi vulgus ſit obſequens, ſola ibi regnantis authoritas, hìc authoritati muneris debitum reverentiæ in ſanguinem extorquet obſequium. Sin contrà jura danda ſint nobili, quis æquiùs rexerit nobiles, ac nobilis ipſe? non Rempublicam, ſed ſe, ſuáque quærit ferè hirudo vulgaris, luteæ à teneris aquæ aſſueta. Æra magìs, quàm homines regit, ut ditenter æraria naſcendi ſorte inania. Felix vetus Germania, non nisì è nobilitate; felix hodierna, non nisì ampliſſimæ domûs Regem, è mente bullæ aureæ, ſumens.

Et bene Quàm miſerum terris aſtrum eſt Princeps, cui obſcura ſemper ſidera famulantur.



§. III.

§. III.

De Republica Russiæ.



Quæ propiùs conspecta juvant, distantia formam
Surripiunt oculis, diminuúntque tuis.
Sæpe peregrinis propiùs succedere regnis
Profuit, & Patriæ consulere indè suæ.

DOCTRINA POLITICA.

ROxolanorum Imperium, in Europæa Sarmatia, seu Russia, & Moscovia, despoticâ aliàs, & cæteris mitioribus Europæ regnis, atque Provinciis multùm abhorrente potestate gubernârunt Principes sui, olim *Magni Duces* dicti. Unde tametsi Religionis sacris à Turcis alieni (Schisma enim Græcorum sub Patriarcha peculiari sequuntur) moribus tamen, cultu, legibúsque non admodum discrepabant. At eorundem Princeps, Petrus Alexioviczius, sapientiâ, indole, ac mente dignitati tantæ par Dominus, visis Europæ Provinciis, aulísque Austriæ, Franciæ, Angliæ, & Hollandiæ, Italiæ, & Belgii lustratis, ad earum normam suam cœpit fundare Politicam, seu Monarchiam.

Peri-

Periculo (ùt fieri in rebus grandibus ferè assolet) non caruêre magna molimina. Cùm enim Austriam primâ suâ profectione peteret; sive potentiæ, & oneris tributarii impatientes, sive libertatis cupidi, sive reducem alienum cum alienis moribus Principem veriti, absentiæ opportunitate usi, accerrimam in eundem tempestatem per seditionem moliuntur. Quam Princeps magnanimus præsentiâ suâ è vestigio sopivit, reditu maturato; ut dubium orbi fecerit, an major ejusdem in compescendis tumultibus magnanimitas, an severitas in necandis pari sorte Principibus, ac plebejis, genti domandæ necessaria fuerit. Pace regioni par tâ, rebúsque compositis, Galliam, & cæteras Europæ cultioris aulas revisit. Ubi perspectis rei nauticæ, bellicæ, Oeconomicæ, militaris, & quæstûs faciendi institutis, ad paria regioni suæ commoda fundanda, animum adjecit.

Ad omnem proinde opportunitatem commeantium navium instructo, & contra adversam hostium vim munito portu *Arch-Angeli*, invitatis ad quæstum faciendum mercatoribus, datâ iisdem liberâ religionis cujusvis veniâ, & privilegiis non levibus, Apothecas exterorum mercatorum ingentes allexit. Fabricas varias (*manufacturas* vulgò) adductis ingenti ære opificibus, gentis uni ersæ bono, & eruditioni, in urbe sibi cognomine *Petroburgi* fundata erexit. Rei nauticæ servituros epibatas, & architectos navales impendiis grandibus ex Hollandia, & Anglia advehi fecit, qui & opportuna classibus struendis sylvarum loca deligerent, & ædificii struendi normam dirigerent, & suos indigenas erudirent. Cujus eruditionis gratiâ suos quoque in exteris Provinciis sumptu regio alebat artifices; adeò, ut ad invidiam gentium aliarum cùm mercatoria, tum navali potentiâ floruerit Princeps hic.

Pari curâ artifices alios variarum artium, & scientiarum grandi ære evocatos, & honoribus, immunitatibus, ac fortunis auctos Russiæ amore inescavit. Unde Petroburgum, inculto cæterà, & minùs salubri cælo situm, Moscuâ (Ducum priorum sede) illustrius ædificiis, populosius censu capitum, artium, & mercatorum evasit.

Trifariam Respublica omnis dividitur. Magistratus Princeps ea, quæ Politica, seu civilia dicimus. Bellica

alius.

alius. 3tius Nautica curæ habet. Omnia hæc Europæis aularum cæterarum inſtitutis. Prior horum, legationum, dignitatum Civilium, & tributorum exigit rationem. Secundus inſtructâ Teutonicum in morem militari Legionum diſciplinâ, indolem nativam coërcet; armis iisdem, eodem arma tractandi modo, Ducibus ipſis alienigenis uti jubet, & mereri ſtipendia, ſícque ad ſecuritatem ſuam & commodum, terrorem ſeditionum, frænum hoſtium ſuos regit, ac temperat. 3tius non ſecùs, ac Anglia, Gallia &c. ſummo rei navalis Principe, quem *Admiralium* dicunt, gubernatur.

Ea hodie Magni Ducis hujus (quem gens Czarum, der vato Cæſaris nomine compellat) eſt potentia, ut centum velorum claſſem, quas inter graviſſimæ etiam triremes bellicæ non levi ſunt numero, cenſeat: præter bis centena armatorum millia, inter quæ Europæo cultu frænata propè 70. hominum millia, Ducibus, ùt dixi, exteris, partim etiam indigenis gubernata.

His inſtitutis manſueſcere ſenſim docetur populus, nondum tamen Europæ cultioris morem omnem ſatìs patitur. Mercimoniis, & mercatoribus abundânt dicta cumprimis duo emporia. Arma gentis Carolus Sueciæ Rex ad Pultavam 1711. & ex eo tempore Suecia omnis terrore vexata experitur conſtanter, utì & Polonia bello priore non leviter preſſa; proximè demum lapſo 1723. anno, ad mare Caſpium fines gloriosè aucti teſtantur.

Succeſſionem Ruſſi præferunt electioni. *Czaroviczius* Incolis dicitur vivente Genitore Princeps ſucceſſor; quemadmodum Hiſpanis primo-genitus *Infans Aſturiæ*, Galliæ *Delphinus*, *Walliæ Dux* Angliæ audit. Univerſim plenâ poteſtate in fortunas juxtà, ac vitam ſuorum Princeps potitur.

QUÆSTIO ETHICO-POLITICA:

An conſultum Principi, viſitare Provincias:

NEGATUR.

NOn bene conveniunt, nec in una ſede morantur Majaſtas, & amor. Minùs inquies, & regnorum curæ.

curæ. Atlantem Mercurio ji ere nunquam bene congruit. Illius vires molem orbis ſuſtentant. Hujus inquies eundem perdat, oportet. Cedet enim ſecuritas, ſi loco ceſſerit ipſe. Decumana moles eſt cura gerendi. Par nemo huic oneri, nisi ſit roboris gigantæi. Fulcrum, & fundamentum ſalutis publicæ eſt valetudo Imperantis. Neque enim valere membra poſſunt, ubi caput, à quo vigor, & vis, languet. Hæc eſt naturæ indicta ſeu doloris communio, ſeu miſeratio. Et hoc fulcrum objiciatur diſcrimini, alienum ſolum luſtrando? Sint namque proficiſcenti Principi commoda, extenuant vires itinera, etſi opportuniſſima. Laſſitudo comes, auræ, alimentorum, vivendi ordinis mutatio, quid nisi quantùm moleſtiæ tantùm cieant periculi Principi? Ut enim ab aſſuetis, ſapientûm ſenſu, non fit paſſio; ſic contrà, ſi primorum quietem turbes annorum, turbinem cies certiſſimum. Terreſtria animalia mari, æquorea terris credis, ſi patrii cœli influxibus Principem aſſuetum alieno Jovi confidas, ſin diſpendio, periculo longè certiſſimo. Neque refert periculo certo, ſi quod ſit, incertum emere commodum. Dudum id Vates præcinuit: *Felix, qui Patriis ævum tranſegit in annis: una domus Juvenem quæ capit, una ſenem. Errat, & extremos alter ſcrutatur Iberos, plùs habet hic vitæ, plùs habet ille viæ.* At eſtò, non viæ modò, ſed vitæ ſtudioſus Princeps, ſideris, & fulminis more omnia adeat, luſtret, audiat. Eripitur ſuis tantùm, quantùm aliis commodatur. Satìs hoc damni eſt ſuis, quorum curis animum ſi non avocat, ſomni inſtar oppreſſum tenet. Juvat equidem peregrinatio Rempublicam. At vagamur ferè plerique, mores, & cum his vitia populorum cernimus, probamus, referimus, non doctrinam, quam oporteret; emolumentum, quod Patria, quod Majores petunt. pulchrum, fateor, Urbes, Provincias, gentes vidiſſe; mores, legésque Urbium diſquiſiviſſe, ſocietates, & fædera cum inſtitutis luſtrâſſe, artes. & munimenta, æmulorum ſibi Principum virtutes perinde, ac vitia, Miniſterii florem, & Politicæ formam tenere. At intentus pluribus ſenſus, ad ſingula, & domeſtica quidem redditur minor. Abyſſus ſit licèt conſiliorum in Principe,

perit, si tot in alveos dividatur. Malè cõsulit viribus suis natura, dum terminos sibi constitutos excedit. Ut oculus, sic providentia mentis eò magìs confusè, quo magìs remotè spectat omnia. Bizantii ætatem omnem exegit Amurathes, & se ipso teste, orbem majoribus perculit victoriis, ac ullus Majorum. Nempe & architectus in conclavi lineas ducens urbes struit, & mænia Nullum non movit lapidem, ut Carolum V. Regem Galliæ, regno tantisper suo moveret Anglia, bellorum non æstu modò, sed turbine. Actum egit. Nullius tamen majori, quàm Galliæ commodo; fatente æmulo Anglo: neminem eorum, quibuscum pugnaverit, minùs armatam in Angliam; neminem tamen periculis, & majoribus præliis attrivisse. Fervent membra, dum adest anima. Felicitas viget domestica, cùm urget præsentia Turni, fidelitati in stimulum, & solamen, perfidiæ in pœnam, & terrorem. Quantis ardere cæpit flammis Russia, cùm sæculo priore Magnus Russorum Petrus Viennam tantisper incolleret? Jacuit, & repressa momento seditio, cùm Princeps suis redditus; fraudes aulæ ministrantium vestigatæ, & penetratæ, belli æmuli vis compressa. Ut solis nempe, sic Principis obtutus dissipat Reipublicæ pestem coactam in nubes. Efficaciùs agit Luna, non quòd efficacior, sed quòd orbi vicinior. sic in bellis vicinia Principis. Domi suæ cùm Princeps est, horizonti suo diem fundit; alienum subeat hemisphærium, noctem dabit. Stat influxu Principis suorum opulentia, quia stat affluxus. Exhauritur contrà proprium, ditatur per absentiam alienum ærarium. Pericula vitæ, viæ docent, & gentes, quas colit. Aut enim amicæ sunt, aut invisæ? Amicæ donorum illicio, invisæ armorum metu in officio continendæ; nè fortè agatur insidiis, ubi nulla felicior occasio vindicandi Provinciam, ac unius discrimine omnes involvendi. Utrumque facultatum, & virium suarum dispendio. Eo solo fortasse detestando fructu, & commodo, quòd exteri adhæsuri sint Principi mores, ùt qui abiens cultu Patrio sibi corda devinxit, alieno redux affectu suorum perdat affectus. Paucis: vagetur Princeps, vagabitur felicitas regni, succedet ilias vel damnorum, vel periculorum.

AFFIR-

Affirmatur.

LUstrandæ Provinciæ studium, aut sapientiam dissuadere, paris est rationis, ac ponderis. Caput sinè cerebro est Princeps, cui sapientia exul est: sinè dexteritate est mens, quæ suum præter solum, & solium nihil orbi esse existimat. Viâ lacteâ pandi ad superos iter somniabat Ægyptus, lustratio via est ad germanam prudentiam. Nulla præter Græciam tellus Athenas numeravit quondam; felix sæculum, quod Athenas penè Regnorum numero suppares hodie numerat. Videndi, audiendi, assequendi copia frequens ea quoque artium portenta, quæ vetustas ipsa sua esse, si viveret, cuperet. Non soli aureæ hastæ, aut clavi aditus panditur, sed & artifici gladio, cùm Urbs, mænia, situs, robora, aditus discuntur antè, quàm designentur in victimam. Bellat, quia triumphat feliciùs nemo, quàm, qui gentium mores, ac indolem præsipit. Felix auceps, qui quâ semente aut ducatur, aut oblectetur avis, prænoscit. Novisse genium, cæpisse prædam est. Lustrentur Imperia, patent Reipublicæ leges, moderandi providentia, instituta, æquitas, consilia, fœdera. Quæ potior, amabò, formandíque Principis aptior regula, quàm virtutum regiarum atrium? quo imperandi methodus; quæ expetendi, quæ vitandi sit ratio; quantùm æquitati miscenda severitas, discitur, & docetur. Nunquam, mihi crede, tantus Æneas Latio, Ulysses Homero, nisì terras emensus, & maria heroëm se & formâsset, & probâsset uterque. Rarum amanti spolium Principe digna sapientia, nisì cum Jasone non colchidem modò, sed plura lustret imperia. Non injuriâ, prudentiæ sementem credit orbis, gentium conversatione succrescere; quasi verò certa exedat rubigo animas, quas domestica morantur siparia. Poliendi ingenii cos est varietas rerum. Experientia mentem poliat, non sero sapiet cum Phrygibus Princeps. Experietur, cùm viderit. Aut enim aliena spectat damna, aut commoda? utraque fructu suo; illa accersere, hæc aut amoliri impendentia, aut cavere longinqua edoctus. Atteri peregrinatione vires clamitant; non atteruntur, mihi crede; sed roborantur motu pro-

portionato. Luſtranda dico, non pererranda regna. Sapiens Princeps ſui æſtimationem, amorem, metum injiciet gentibus, nè tentare auſint, quem tantum nôrunt, Sibi porro ac regno fructus leget; ſibi vigorem mentis, quâ Promethei in morem flammis dives, ſuos animet felicitate. Regno verò, dum, ùt horologium inquies, ſic ipſius ſapientia rectitudinem promovet felicitatis. Felix Princeps, & Principatus, dum non ſolo aut miniſtrantium arbitrio, aut alienis cuncta ſtatuuntur conſiliis. Fit hoc, dum memoria, & uſus faſtos ſuppeditat Principi, & quibus actorum principia, agendorum ſint regula. Facilia & felicia dictantur jura, dum dictanda multo uſu combibita ſunt: oracula, non conſilia fluunt, dum non eventus, ſed experientia Magiſter docet. Stratagematis vincitur, quæ per umbram antè excocta. Hæc omnium via, qui tanti futuri nunquam, niſi ſuis tantiſper ſedibus elongati. Caroli V. & VI. teſtes ſint. Toga, ſagum, pax, Imperatores cedro canit digniſſimos. Jure Macedo gloriatus quondam, plura oculis ſe luſtrâſſe, quàm Reges alii animo, & cogitatione ſint aſſecuti. Jure, inquam; ſi enim ſegniùs irritant animos demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus; quantus futurus eſt Princeps ſuis juxtà, ac exteris, qui nihil ferè ſuorum poteſt audire, quod præſens ipſe non viderit. Adrianos, Germanicos, Trajanos Urbs, & orbis celebrat; quantis itineribus claros! Nunquam Mithridates 30. gentium dominus, linguis totidem ſuis amabilis: aut Seſoſtres Ægyptius ductis ad Taniam uſque coloniis obeliſcis perennaret illuſtris, nisì Arabiam, Lybiam, Æthiopiam, Indiam utramque, ac Scythiam, & famâ, & itineribus perluſtrâſſet. Lutum colligit amnis exundans, fateor, non Princeps errata, aut mores gentium, cui cum ſanguine nativa eſt teſſera: Plus ultrà, meritis, virtutibus, actis. Non ut curioſitati, ſed ſuorum imperet Utilitati? imò etiam gloriæ. Non memoro vetera, hodierna cùm ſuppetunt. Magnum Europa Principem, Patria ſidus, maſtygem Oriens in Alexioviczio nactus eſt. Capaciſſimam facinorum grandium mentem quid ſtupenda orbi moliri fecit, imò & perficere? Provinciæ. Culta moribus ruditas, ordinis

dinis

dinis & diſciplinæ patiens effecta militia; methodum, ſtimulósque dedêre exempla non audita, vel lecta, ſed viſa Germaniæ. Dominatus mari lectiſſimâ claſſe firmatus, mercimoniorum fundata, & privilegiis firmata emporia, flos artium regiis ſumptibus accerſitus, auctus, ſtabilitus; fecêre Europæ cultioris luſtrata terrâ maríque emporia. Gens omnis legere docetur Regnorum utrâque Pallade cultorum veſtigia: Athenæis prima jaciuntur fundamina, ſolio ipſi, par aliis Europæ Principibus decus, diadema accerſitur, Equitum nigræ aquilæ Ordo fundatur; quis tantorum author moliminum? niſi exterorum viſa Regum, & Regnorum Politica. Nunquam tantum, id eſt Magnum geſtis & nomine Petrum adorâſſet Ruſſia, nisì Orbem ſapienter luſtrando, tanto ſe parem nomini, tanto Patriam dignam decore, tantis ſubditos monumentis felices Princeps feciſſet. Tanti intereſt, ſapientûm more, mentem non ſibi, ſed Orbi natam, Orbem omnem cognoſcere.



§. IV.

De Rebus publicis Variis.



Dissipit unius semper resonantia vocis,
Plectra placent variis articulata sonis.
Diversos diversa juvant: neque norma regendi
Pluribus ingeniis una placere potest.

DOCTRINA POLITICA.

REgna, & Principatus Europæ cæteri, qui numero non modico definiuntur, hæreditarios sibi Reges deposcunt, & Monarchicam gubernandi rationem præeligunt; unam si *Poloniam* excipias, quæ hodiedum electionem præfert, & ideo continentibus ferè bellis vexatur, potentibus æmulis Poloniâ ipsâ in partes divisâ, armis jus sibi deposcere contendentibus. Quod nostra memoria in Stanislao, & Friderico Augusto abunde testatur. Sed & regi electo, non nisi cum Republica, decernendi potestas est graviora regni negotia; ùt pacis fædera, belli apparatus &c. Felix Polonia! si in hac libertate sentiendi, de qua Nobilium sibi quisque blanditur, dum uno etiam 1720. anno tria lacerantur comitia, paucorum diffidentium votis, quibus, ùt ipsi ajunt:

Acti-

Activitas sistitur, dum amittere metuit, ipsa sibi ultrò non minueret libertatem.

Polonis vicinior *Dania*, si Lipsio in monit. Polit. c. 3. fides sit, Electitia quondam, hæreditariis hodie annumeratur. Non item *Succia*, quæ ad Friderico-Hallam fatis functo Carolo Rege suo, cùm hærede careret, Ulricam Sororem Regis, Hasso Cassalensi Principi conjugio vinctam, Reginam sibi delegit, & coronavit, communi 4. statuum, è quibus Regia constant comitia, videlicet Ecclesiasticorum, Nobilium, Civium, & Rusticorum acclamatione, anno 1719. Cui anno subsequente, ut votis Reginæ regnum satisdaret, suffragiis paribus, pari potestate regnaturum delegit conjugem Regium Principem Hasso-Cassalensem, & diademate Regio, non ùt aliàs Upsalis fieri consuevit, sed Stokolmiæ insignivit. Nec hìc tamen libera omnino potestas est regia, sed cum 24. Senatoribus graviora conferre consilia, & decernere cogitur. Quod-si hæres mas horum morte desideretur, liberam fore electionem pactis sancitum est sæpius.

Bohemiam, liberâ olim eligendi potestate gaudentem hæreditariam esse Augustissimæ Domui Austriacæ inficiari nemo potest. *Hungariam* quod attinet, sententia dici sanctior nequit, quàm Augustissimi ipsius Caroli VI. verba, quæ articulo primo Diætæ anno 1712. celebratæ reddidit, quibus: *legitimum hæreditarium Regem, ac Dominum* sese compellat. Quod ipsum concordia, Procerum Hungariæ, & Commitiorum Posonii celebratorum, studia, æternùm valiturâ lege, anno 1723. die 27. Junii firmârunt. Dum solenni ad aulam Cæsaream Legatione submissâ, non in masculinum duntaxat, sed & fæmininum sexum hæreditarium Augustissimæ Domui Austriacæ Regnum esse, & fore sunt contestata. Quod exemplum Ungariæ secuta est Dacia, lege sancita Comitiorum anni 1745.

Angliæ Regno, cui sub Anna Regina, Hybernia, & Scotia sub nomine *Britanniæ Magnæ* unita sunt, potentia Monarchica imminuta non nihil est. Nam Parlamenta duo, quorum aliud *superius*, aliud *inferius* dicitur, magnam ibidem obtinent authoritatem. Felixque Rex ille pace, & bello est, hostibúsque par, qui hæc sibi consentientia ha-

bet. Leges enim condere, & abrogare, belli necessarios sumptus decidere, & majora statuere omnia cum Rege solent. Accedit magna inter horum Parlamentorum membra simultas, quorum alii *Wigs*, alii *Torris* genti dicuntur, non secus, ac olim Romæ *Gvelffii*, & *Gibellini* contraria semper studia spectantes. In his ipsis tamen Parlamentis primus Regis est locus, quem ponè Cancellarius sequitur.

Hispania, *Grandes* quidem censet, qui tamen, cùm, præter veniam coram Rege verticem tegendi, potestatem singularem regiminis non evertant, Monarchicæ; & hæreditariæ dominationi nîl derogant. Quod ipsum de *Paribus Franciæ* sentiendum est. In hoc tamen regno id peculiariter notandum venit, quòd inter 10. Galliæ Parlamenta, quæ olim regnum censebat, Princeps dignitate juxtà, ac potestate fuerit Parisinum, ac Tolosanum, quorum tamen potentiam Ludovicus XIV. mirum quantum infregit. Certè memoriâ nostrâ anno 1720. Regens Galliæ Dux Aurelianensis, Ludovico XV. tum adhuc minorenni, Parisinum Parlamentum Pontesam relegavit, non rediturum Lutetias, donec voluntati Regiæ morem gereret.

Quotquot hodie Europa Respublibas censet, singulis ansam dedit aut eventus belli sinister, ùt *Ragusæ* in Dalmatia; *Venetiis* in Italia; aut, quod frequentiùs, ac ferè uni ersim, impatientia populi in Magistratus, ùt *Genuæ*, & *Lucæ* in Italia, *Helvetorum* in Germania; aut metus eorundem; ùt *Genevæ* ad lacum Lemanum, fæderati Belgii, quos *Hollandos* vocant; aut denique securitatis suæ amor, ac studium, ùt *Hanseaticarum Urbium* in Germania. Quamquam, si cum Arist. 6. Pol. c. 2. ad Rempublicam necessarium sit, *ut sit in ea potestas cuivis privato ad Magistratum veniendi, & p er vices imperent omnes, ac pareant*, vix ulla dici possit Respublica, cùm id vix eveniat in omnibus.

Quinque inter has potentiores sunt. Agmen ducat *fæderatum Belgium* è septem Provinciis conflatum, videlicet Geldria, Hollandia, Selandia, Ultrajectum, Frisia, Transisalania, Groninga. *Fæderati Belgii* sortitæ sunt nomen à fædere, quod Duce Auriaco, adversùs Philippi II.

Impe-

Imperium, quod in Belgas, cedente Patre ſuo Carolo V. obtinuit, inivêre. Unde & in ſignum fæderis virum thorace armatum, gladium dextrâ, faſcem ſiniſtrâ tenentem delegerunt, cum lemmate: *concordiâ res parvæ creſcunt;* quod ipſum hodierna Reipublicæ moneta luculentè oſtendit. Cauſa gemina ſeparationis dedit principium. Caput erat faſtus, & ambitio Orangii, quæ hæreſi per id tempus è vicina Gallia, torrentis in morem, non ſinè turbis, & tumultu in Belgium ſe diffundente, uſa fuit.

Senſit diſcrimen, Philippi ſecundi nomine Belgium id temporis gubernans, Soror ejusdem Regis, Margaritha. Et ùt erat providentiâ, ac religione illuſtris, ſic ſuæ conſcia imbecillitatis, malo ſerpenti, atque tumultibus leniter, ac fortiter pro opportunitate obviavit, eo profectu, ut vel ipſis hoſtibus non diffitentibus, vulneri medelam latura crederetur. Subinde verò Albani Ducis conſiliis in ſeveriora inclinato Rege, cùm providentiſſimæ Margarithæ ad Hiſpanos revocatæ, Dux Belgis inviſus ſuccederet, iſque ipſe imperii ſui principia Egmontii, & Hornani Comitum ſanguine auſpicaretur, inclinatis in Reipublicæ & religionis libertatem incolis, ſacrámque Hiſpaniæ Inquiſitionem execrantibus, furor, & deſperatio aperti belli incendia, ferrum, & flammas excitavit. Vim vi retundendam ratus Albæ Dux Gubernator, malo velut flammæ oleum affudit, quæ non niſì ſeparatis, Hiſpano conſentiente; Provinciis, anno 1648. ſopita eſt, pace incolis redditâ. Ex eo tempore absque Duce ullo Reipublicæ Ariſtocratia viguit. Provinciæ 7. Legatos Generales Haagam Comitum in Hollandiam deliberaturos de conſiliis cùm ſuis, tum exteris ſubmittunt. Summum hi Magiſtratum efficiunt, unde & *Generales Belgii fæderati ſtatus*, vulgò Die Herrn Staaten dicuntur. Non ſecus tamen, ac Venetiæ, & Genua *Sereniſſimi* titulo gaudent. Sui ſunt Præſides & Gubernatores Senatui; Urbibus Conſules, & Prætores &c. iique ferè tam delectæ ſapientiæ, ut graviſſima Europæ conſilia Haaga Comitum, Ryſſwicum, & cætera agitari, & confici videant.

Rei nauticæ, ſeu *Admiralitatis* ùt vocant, hac in Republica ſummi eſt conſilium. Hâc enim re cæteris ferè

palmam sic erripiunt, ut tametsi omnium sit inops Hollandia sterilitate suâ, omnibus tamen per mercaturam, quam exercet dexterrimè, abundet. Hácque unâ ferè tam modicis, & periculi plenis initiis ad opes, & potentiam formidandam evaserit. Militia, fœdera, ærarium, & unio Reipublicæ fundamenta constituunt. De Religione mireris id jure, quòd, cùm omnis sit religionis libertas, solius: *Publicum exercitium Religionis Pontificiæ nullibi tolleretur, Jesuitæ excludantur &c.* lege sancitum sit.

Florentissimam *Venetorum* Rempublicam, etsi cum Contareno, & aliis, multi ex profuga nobilitate cunabula sumpsisse scribant, sub tempora Clefi Longobardorum Regis; communior tamen, veriórque sententia cum Forestio, & aliis censet, ex profugis piscatoribus, & pastoribus coäluisse, quos furor Attilæ, Aquilejâ dirutâ, aquis salutem quærere coëgit. Unde eam statuum mixtionem venisse existimant nonnulli.

Duci paret Respublica instar principis, quem ipsi *Doge* dicunt. Dignitas eum, & cultus corporis discernit ab omnibus. Potestas hujus tanta, ut omnia nomine ipsius fiant: tam simul stricta, ut nihil per se statuere, consulere, &c. valeat; imò sine senatu nè literas quidem aperire. Sic sapienter præcavetur Duci, nè tyrannidem possit invadere. Unde nec Monarchicum iis, nec purè Aristocraticum est gubernium, sed harmonia potiús ex omnibus formis. Quæ fecit, ut post Carthaginenses Respublica hæc sola, diuturnitate & potentiâ floruerit maximâ. Monarchiam repræsentat Princeps. Aristocratiam constituit grande consilium, seu senatus ex 40. nobilibus, seu Patriciis constans. Inter hos Regis vicem obtinent 6. Procuratores S. Marci dicti, præsertim ærarii; qui, utì perpetui, ità magnæ sunt authoritatis. Perpetuitas horum facit, nè experientiæ defectu peccetur aliquid. Democratiam demum refert vel magnum (ùt ipsi vocant) consilium mille circiter, & 600. Nobilium, ad quod cuivis veniendi jus est, qui 25. annum excesserit; quorum in numerum divites referunt, qui belli tempore Rempublicam pecuniis juvant. Reliqui 400. nobiles (bis mille enim Nobilibus constituitur) legationibus, & Magistratibus

aliis

aliis distinentur. Vel etiam plebs, quæ nonnunquam consulitur. Civium multis ad minores dignitates aditus patet, non tamen nisì nobilium suffragio. Nobilitas triplex est; *vetus*, *media*, *nova*.

Bases Reipublicæ servandæ has ferè constituunt: 1. Censurâ magìs, quàm bello potentiam tuentur. Unde in Senatorum, Legatorum, Præfectorum (quos in Provinciis *Proveditores* dicunt) gubernium diligentissimè inquirunt, nè muneribus fascinentur. 2. Potentiam nullius, etiam opibus, admodum sinunt crescere. 3. Nulli aut ab extero Principe sumendi stipendium, vel sacris initiato Magistratum in Republica gerendi fas est. Unde, nè obnoxii fiant Principibus, frequens est Legatorum mutatio. 4. Mercaturæ tantum est studium, ut Nobiles perinde, ac cives negotientur: imò nulla navigatio permissa sit, nisì Nobilitatis concursu. 5. Annonæ, & ærarii cura ùt necessaria, ità maxima est Senatui. 6. Hoc mirandum in cæteris, quòd per conductos Duces bella gerant, qui, cùm pecuniæ causâ, non pro Patria dimicent, minùs rem curare posse videntur. Quamquam incommparabilis Schulemburgii Corcyram hoc ultimo bello propugnantis virtus, Reipublicæ, & orbi commendari summè mereatur. Venetis ad has leges Politicæ non parum momenti attulit Petrus Süavis.

Genuensium Respublica, excusso Vice-Comitum jugo suam anno 1444. debet originem. Duci paret, non tamen annuo, utì Athenæ Archontibus; néque perpetuo, utì Veneti, sed biennali tantùm; ad idem tempus, octo Duci Gubernatores adduntur, qui rerum potiuntur. Major Ducis est potestas, quàm inter Venetos, sed minus tempus; unde verenda tyrannis non est. Dux hic Senatum cogit, ad illum referuntur, & per illum aguntur omnia. Gubernatores duo in Palatio Ducis. censorum instar, per vices habitant, ità ut bini tribus mensibus absint domo, & anno vertente vices suas obeunt omnes. Exacto biennio, qui Dux erat, fit Procurator, quod munus dignitatis in Republica magnæ est. Unde fit, ut expertorum virorum numero Respublica abundet. Procuratorum enim Collegii authoritate negotia omnia tractantur. Electioni severissi-

riſſimis cautum eſt legibus, & inſtituto religioſo, quod videre eſt apud Contzen l. 7. Polit. c. 19. n. 11.

Helvetorum Respublica, quæ hodie Democratiam æmulatur, Athenienſi Reipublicæ maximè ſimilis eſt. Nobilitate veteri pulsâ, aut in ordinem redactâ, ſinè ullo Duce ſummo, populare hodie regimen ſequitur, & moderatâ æqualitate gaudet. Tredecim Respublica omnis *Pagos*, *Societates*, ſeu *Civitates* complectitur, quos Galli, & aliæ paſſim gentes *Cantones* dicunt. Horum ſinguli parvam conſtituunt Rempublicam, plena cum poteſtate leges, & jura ſibi dicendi. Quodſi cauſa communis omnibus eveniat, ex ſingulis pagis Thermas Helvetiorum, vel Aravium, aut aliorſum conveniunt certi, de ſumma rei deliberaturi.

Pagi ſinguli in Præfecturas dividuntur. Præfectos pro arbitrio anni unius, vel plurium decurſu mutant, communi plebis, & nobilitatis ſuffragio. Quivis Helvetus Patriæ miles eſt; hinc ſi deſtinatis in montibus: quibus regio abundat, & ſe tuetur, ignes ab excubitoribus excitentur, 24.horarum ſpatio 100. facilè armatorum millia ſiſtent, quovis ſtationem ſuam, jam antè cognitam, occupante. Anno 1712. Bernatenſes, & Zürchenſes hujus ſpecimen dedêre, dum in Catholicos arma ſumpsêre. Quatuor enim pagi, *Zürck*, *Berna*, *Baſilea*, & *Schafhauſen* Calvinum ſequuntur. Septem alii Romana Sacra colunt: *Lucerna*, *Friburgum*, *Solothurna*, *Zugum*, *Weiz*, *Uri*, *Unterwalden*. Duo pagi *Glaris*, & *Appenzel* mixtam tolerant religionem, hinc etiam diſſidia. In reliquis verò, nè Religionis diverſitas Reipublicæ officiat, pagum illum quivis colere jubetur, quam religionem ſequitur; ac proinde, ſi religionem alicui mutare viſum ſit, pagum quóque mutare neceſſe eſt.

Frequentia montium cùm ſementem neget multitudini ſuffecturam, quam regio gignit; exterorum Principum ſtipendia merentur, & venalem habent peditem, roboris ſui causâ bellis aptiſſimum. Peditem tantùm militem alpibus plena regio exerceri ſuſtinet. Initium Reipublicæ hoc ferè prodit hiſtoria.

Duci-

Ducibus parebat olim Provincia. Ante 400. circiter annos Prætores suos ab Imperatoribus accipiebat. Unde ad Imperium pertinebat. Sub Alberti primi tempora Præfecti Provinciæ acerbiùs populum moderari, & non nulla imprudentiùs peccare. Ut erat Grisleri Præfecti imperium: quo pileus perticæ præfixus Altorffensi in foro sui locô honorandus præcipiebatur. Repertus, qui jussa detrectaret Tellius, Legis violatæ reus jubetur sagittâ pomum è filii sui capite dejicere. Paret duriori imperio Pater: sic tamen, ut cùm duas sagittas sumpsisset, quæsitus causam, Præfecto audacter responderit: *te secundâ ut feriam, si primâ filium sauciâssem.* Carcer æternâ pænâ dicitur dicto feroci. Fugâ elapsus Tellius tumultus ciet, & ad fædus paciscendum Provinciæ aliquot inclinantur, cujus fructus pulsis omnibus Præfectis anno 1308. fuit.

Vim adhibuëre Austriaci, sed vi repressi; quæ cùm Helvetis felicior identidem esset, æternum fædus anno 1320. pro libertate vindicanda sanxerunt. In quo adeò pertinaci concordiâ perstiterunt, ut ab Austriacis primùm, tum ab ipso Romano Imperio pace Westphalicâ anno 1648. liberi sint dicti: cujus libertatis titulo tres Provinciæ *Schweiz, Uri,* & *Unterwalden* dedêre principium.

Ante bellum Burgundicum accesserunt. 5. aliæ, *Lucerna, Zurch, Glaris, Zugh, & Berna.* Octo hi pagi unà *veteres* dicuntur. Occiso deinde anno 1477. Burgundiæ Duce Carolo Audace, rursus se sociârunt 5, & *novi* sunt appellati. *Friburgum, Solothurna, Basilea, Schaffhausen,* & *Appenzell.* Atque hi 13. pagi propriè Respublica sunt Helvetiorum. Nam cùm, tuendi sui causâ, cum Provinciis quóque vicinis fædera ineant, Provinciæ fæderatæ *socii Helvetiorum* dicuntur. Cùm porro exigui districtus aliqui sint, qui néque libertatis primæ, nec fæderis socii sint, *subditi Helvetiorum* dicuntur.

Celebre olim Germaniæ nomen, & fædus erat *Urbium Hanseaticarum.* Nomen suum veriori sententiâ à situ, quem requirunt, sortitæ sunt; eò quòd an See, flumini, aut mari adsitas esse oporteat. Quamquam alii, Hansa, *Ligam*, seu fædus, veteri Germaniæ significatione dici contendant. Caput harum *Lubecca*, quæ, cùm olim

olim ſola tam potens fuerit, ut claſſi toti adornandæ par fuerit, Occidentalium Principum, viciorúmque cumprimis invidiam concivit. Suæ proinde ſecuritatis causâ in communionem fæderis alias quóque liberas civitates invitat, fædus *Hanſeaticum* fundat, & Urbibus nomen *Hanſeaticarum* tribuit.

Cauſa fæderis erat, mercimoniorum ſecuritas, & flos: mutuum auxilium, quod ſibi diuturnis etiam, & ſanguineis bellis fideliter præſtiterunt. Donec ſæculo 16. Carolo V. Imperatore, rupto fædere, potentia earum ſit compreſſa. *Lubecca*, *Hamburgum*, & *Brema* nomen illud hodie conſervant, quæ ſalubriori conſilio legibus hodie non armis, potentiam, & opes, quibus florent, præſertim mercaturam tuentur. Dum enim armis tueri ſe volebant, libertas ſub ictu ſtetit.

Sexaginta novem olim cenſebantur, in 4. claſſes diviſæ. Princeps erat *Lubeccenſis*, ſub qua cum Hamburgo, & Limburgo ex Pomerania & Mecklenburgico 13. univerſim ſunt numeratæ. *Colonienſis* ex Rheni tractu, Weſtphalia, Ducatu Cliviæ, Friſia occidentali, & Comitatu Marchiæ complectebatur 30. *Brunſvicenſem* cum Minda Weſtphalorum ex inferiore Saxonia 13. ſequebantur. *Dantiſcanæ* denique ex Livonia, Pruſſia, & Norvegia 13. annumerabantur.

Harum in numerum Urbes recipi ut poſſent, tria requirebantur. 1. Ut maritimæ ſint, aut celebriorem ad fluvium mari illabentem. 2. Ut liberæ ſint Urbes, quibus clavium poteſtas ſit. 3. Ut ſint Imperiales. Unde vetabatur acceſſus Daniæ, aut Sueciæ maritimis quantumvis Urbibus.

QUÆSTIO POLITICA:

An conſultius orbi futurum, tot Principes, quot urbes cenſeri?

AFFIRMATUR.

FElix moles globi terraquei, una ſole uno per diem, unâ per noctem Lunâ illuſtris. Nec hæc, nec ille luce, & influxu ſatisdaret, ſi plures globos natu-

ar

ra-censeret. Pateretur quilibet, dum, ut unius augeretur Imperium sideris, orbium actaretur commodum. Sic Urbium sibi constat gloria, ubi sua cuique coràm est anima, Princeps. Converti in Mundo omnia experientiâ cernimus, causa una est; rerum vicissitudo. Oriuntur omnia ut moriantur. Ruinæ destinantur principio, pari omnium fato, quia sorte mortali. Quæ hominum, par urbium conditio est, & naturæ consona Rerum-publicarum mutatio. Obviatur excidio, si, ùt mundi factum principio, suus Urbi cuique sit Princeps. Grandius est munus Respublica, ac ut unius humeris sustentetur. Decipi cupit, qui dissita possidet villicus, urbes quis sinè periculo dissitas regat? Causa quævis, & virtus Principum limitem habet. Quantùm dividis, minuis virtutem juxtâ, ac Majestatem. Acie præcellit aquila, soli tamen propinquat, dum se aquilam probat. Dissitum, aut divisum quisquis spectat, aquila sit quamvis, minùs, quia confusè spectat. Unde pestis Reipublicæ duplex: impunitas scelerum, quæ momento plecti; virtutis remuneratio sera, quam celeri præmio dignam meritum fecit. Fræno illa, calcari hæc egent, caret utroque, dum pluribus jura dat unicus. Centenos licèt oculos numeres, cæcuties, si dubiâ spectaveris luce; ùt ferè fit, quod eminus cernitur. Leviùs sentiuntur damna, quæ seriùs. Quasì verò damnum non sit, quidquid, etsi grandius, remotius est intervallo. Non premitur, sed fatiscit sub pondere mens, dum singulis vix unus satisfacit. Quid ages multitudine cinctus Urbium? Singulis te dabis? omnibus te subducis. Pari lance vigilantia, & studia in unam, cæterarum aut incuriâ, aut negligentiâ librantur. Perfecti nihil causat divisio in natura. Hostis Gigantæus imbellis sternitur, si vires ejus diviseris. Dum conttà, quod totâ fit mente, vires, animos, sensum omnem concentrat. Distrahe, & sibi ipsi animum eripuisti. Arenam prodit flumen, tametsi vastissimum, si ducatur in alveos. Influxum solis coronati partire, justitiæ mora, plebis murmura, nervi bellici dispendium fructus leges vastissimos. Imperium urbium ùt grande est mole, sic carie ferè non caret; atque adeò fulminis ictui est periculosum, ùt quercus grandes. Magni.

gnitudine suâ laborant moles corporum Giganteæ; vixque dum respirant, spirare possunt. Dum contrà agile est, quod exile. Numine suo felix Urbs, quod, quia pluribus liberum, vix petitum, momento adest votis, apicibus ipsis intentum. Ardentiùs amatur sanguinis hæres unicus, amoris pignus. Sic Urbs Principi; à quo bellis oracula, paci præsidia, eventibus medela coràm sunt semper. Quid mirum? acutiùs paucorum indolem penetrat unus, frænaturus impetus, si res poscat; aut pacem servaturus. Dum contrà fine suo frustrantur imperia, quæ quia distantibus è locis, advolant post eventus. Néquè suis omnia, néque nihil omnino credere Principem decet. Nihil ut fidere velit, vetat distantia Urbium. Omnia penè ut debeat, eadem jubet. Hinc pestis illa magistratuum, præfidentia potestatis, temeritas, quódque Comes, oppressio civium, legum contemptus. Dum sexcentas novit semitas anguis! quibus etsi reus sit Principi, ac Reipublicæ, ejusdem tamen & consulentûm oculos eò certiùs fallat; quò faciliùs elidit casses fera, quæ eminus à venatore spectatur. Denique ahenus Urbi uni est Princeps; quâ solâ amissâ, omnia momento uno amittit.

Negatur.

Commune vitium est; id existimare consultius, quod cupimus ipsi. Principem domi suæ, non Reipublicæ, aut Principis, sed suâ ipsorum causâ multi exoptant. Usque adeò & hìc affine virtuti est vitium. Mentiri gaudet alienum nomen, quasi cognatum fiat, si mendaci velatum sit fuco. Alia longè est sapientibus sententia, ac ut singularum Urbium limite Principem circumscribant. Nîl magìs analogum regnis, quàm corpus. Membra hoc, illud Urbes constituunt. Una membris anima Princeps, Regina, legislatrix. Una regit omnia mens Voluntas unica jura dictat. Cur una pluribus mens impar sit urbibus, tam consortis impatiens, quàm rivalis? Indignum naturâ teste consilium, regalem trabeam spitamali, ùt sic dicam, cingere limite, tanto sanè indignam vel nomine, nisì pleno gloriæ cursu axem universum lustraret sol, néque gravis noctuæ foret, néque fugaret tenebriones.

Nisì

Nisì omnia dominatu ſuo Cœlum ambiat, quàm exilis, & manca erit Majeſtas? vileſcit potentia, quæ finibus arctatur exiguis. Amplitudo dignitati ſit ſuppar, ut magni nomen reſpondeat merito. Rideret orbis paria Conſulum jura, & Principum, ſi urbs quælibet in his ſolem, in illis lunam veneraretur. Amplius eſt, quod ſibi gloriæ ſtadium aula depoſcit. Palatiorum dignitas, conſiliorum frequentia, gloriæ ſplendor non unius plebis ambitu, qui quondam fines erant Carthaginis, cingi ſuſtinent. Confundit aliàs, quod diffunditur; ſecus hoc in eventu eſt- Confunderet, quod arctaret. Plebs quippe aulæ frequentiam, civis conſulentûm duceret cenſum. Et quæ, amabo, à plebe Majeſtas, aut reverentia? quis à civilibus animis vigor mentis, Reipublicæ curis dignus, ſperandus? Faſcinat fulgor oculos, ſi eminus ſpectetur. Mitiùs tolerat oculus, quod coràm rutilat Sic ſpernitur Princeps, cui urbs una patrimonium totum eſt. Nulla enìm à tali ſperandi, timendi cauſa vix ulla. Spem opes, & potentia fulciunt. Vires metum incutiunt, & ſuſtinent. Neutrum finibus poteſt eſſe exiguis. Quæ enim opes agro uni? unde emolumenta vitæ tam cumulata? unde bellantium robora? belli nervus, ærarium? Adſit æmulus pro mænibus Hannibal, in tripalmari, ût ſic loquar, ambitu, unde oro vis ſiſtendo turbini? ſtipendia centuriando militi? delectus præficiendo belliduci? Bellum non auſpicetur, cui ſuppetias tum virorum, tum auri virium penus non ſubminiſtrat. Victorias, & triumphos non leget, ſed ſibilos, cui cæsâ ſemel potentiâ, altera, quæ ſubſtituatur, non ſupereſt. Ludibrio habentur hodierno Marti exilia, fomentum militaris proterviæ, illicium cupiditatis, aut arrogantiæ. Illa ut auſit, hæc ut etiam velit. Imperare illa, hæc non nisì è ruinis, & buſtis ſibi dominatum geſtit conſtruere. Terret, & proturbat columbam accipiter, ſcombrum balena, catulum leo; ſic grandis vis Urbis modicæ Dominum. Et quæ hinc civibus ſecuritas, dum ſatellitii locô metus, moleſtiæ incommoda Principem ſtipant? Curâ cujusque privatâ, & commerciorum flore ſibi conſtat Respublica, evertit utraque Urbium hic Principatus: dum enim nulla

ſuis ſic locuples, ut alienis non egeat, deglubere quævis alteram tentat, quia non ſui Principis. Suorum porro incurius deget quilibet. Cur enim curæ ſunt vitæ impendia? quæ vel in prædam hoſti proximo, vel domeſtico ſint in ſtipendium militi partienda. Divinè Plato, ùt ſolet: Majeſtatem habes? non urbis, ſed orbis, ſi non univerſi, certè majoris deſtina dominatum. Hæc menſura eſt magnitudinis, & dignitatis.

QUÆSTIO V.

De Magiſtratibus.

§. I.

Quid ſit Magiſtratus? quæ ejus diviſio? tituli?



Occumbente ſubit Cælum ſoror aurea Phœbo,
Alternátque ſuas orbe probante vices.
Quàm bene ſæpe viris ſuccedat fæmina: mundi
Nos docet exemplo machina tota ſuo.

DOCTRINA POLITICA.


Agiſtratus ſive ſumatur pro uno, ſive pro communitate imperante (vox enim communis eſt omnibus) eſt poteſtas, quam is, qui præeſt, obti-

obtinet in ſubjectos. Hanc poteſtatem cùm alibi Cæſar, alibi Rex aut Princeps; Prætor & Præfectus alibi; Senatus, Parlamentum, Reſpublica alibi obtineat, omnes & ſinguli Magiſtratus dicendi ſunt; eò quòd velut Magiſtri ludum, ſic Legibus ſubditos pro æquitate in commodum eorundem moderentur. Hæc enim poteſtas, ſui officii Magiſtratum quemvis commonefacit, cùm non *ſinè cauſa Princeps gladium portet* (per Paulum) *ſed ad puniendum malos, præ iandum bonos.*

Magiſtratus alius eſt *ſupremus*, alius *medius*, alius *infimus*. Primum orbi referunt Imperator, Rex; in Republica Senatus univerſalis, quo videlicet major non eſt poteſtas in Republica. Secundus Magiſtratus ſunt primi aulæ Miniſtri, à quorum judicio videlicet ad ſolum caput ſummum licet recurrere. Cujusmodi ſunt Prætores Provinciarum, Pro-Reges, Gubernatores, Conſiliorum Principes &c- quos *Optimates* cum aliquibus liceat dicere. Infimum Magiſtratum conſtituunt, qui Optimatibus ipſis gradu, & poteſtate ſubordinantur, ùt ſunt Præfecti minorum rerum, Senatus in urbe ſubjecta Principi. Hi Magiſtratus, quia varia ſunt Regum munera, & fines, varii quoque ſunt: aulici, urbici, Judiciorum, cameræ, ærarii, Fiſci, legati &c. per quos auctoritatem, & poteſtatem ſuam Princeps in ſubditos exſerit, cùm ipſe per ſe innumeris Reipublicæ negotiis ſufficere nequeat. Unde qui his reſiſtit, Principi reſiſtere cenſendus eſt.

Alius eſt *Togatus*, qui pace; alius *Sagatus*, qui bello præeſt. Alius *ordinarius*, qui conſtanter Reipublicæ ſervandæ ſtatus eſt; alius *extraordinarius*, qui dum res, & occaſio poſcit, ſtatuitur; ceſſante causâ tollitur.

Tituli hodie Magiſtratuum ſunt varii. *Imperatores* olim dicti belli Duces, ab eo, quòd militi imperarent. Et primùm à Conſtantinopolitanis Cæſaribus nomen uſurpatum. Hodie pro *Cæſare* ſumitur, quod nomen Imperatoribus primus dedit Julius Cæſar, vel ex eo, quòd *cæſus* in lucem ſit editus, vel potiùs, quòd natus *cæſariem* aliquam in ſummo capite habuerit. Imperator dicebatur *Aguſtus* ab Octaviano Auguſto, ab augendo virtute, armis, ac gloriâ imperio. Cùm verò etiam deinde Rex

Romanorum diceretur *Augustus*, dici cæpit Imperator *semper Augustus*. Donec aliis quoque Regibus hoc nomen sibi usurpantibus dici cæperit *Augustissimus*.

Regibus, ac Ducibus *Serenissimi* hodie nomina deferuntur, quod idem Reipublicæ Venetæ, & aliis datur. Quamquam olim parca ejusmodi titulorum vetustas Regem *Dominum* tantùm nominârit. Principes *Celsissimi*. *Illustrissimi* Comites, & Barones dicuntur; quos inter aliqui *Excellentissimi*. Quis inter nobiles *Perillustris*, *Eques*, *Nobilis* audire debeat, Politici certant, & adhuc sub judice lis est. Tu morem gentis observa, & cùm 600. hodie sæpe sint nomina, vix ullum meritum, titulis nè parcito, námque nîl demet verbum.

Sub Imperatore & Rege nobilitas est. De qua sentio cum Juvenal. Satyr 8. *Nobilitas sola est, atque unica virtus*. Fumus enim, & umbra sunt omnia, si absit virtus. Duces, Principes, Comites, Marchiones, Barones, & Nobiles variis gentium institutis complectitur. *Duces* à populo ad bellum ducto nomen sortiti sunt. *Princeps*, ut plurimùm pro Domino ditionis propriæ accipitur, quæ tamen ditio regno par non sit. Sic sunt Imperii Principes. Quamquàm omnis summa potestas *Princeps* dici possit, atque adeò Cæsar, qui etiam Reges subjectos habere potest: ùt Romanorum hodie Imperator Regem Bohemiæ. Principes nonnunquam sunt majori potentiæ vectigales, ùt Moldavus, & Valachus Orienti, & non penitus subsunt; aliquando verò penitus subsunt, ùt sunt Principes non Imperiales in Germania. *Comitum* nomen à comitando natum, dum olim Consules, vel Cæsares alii comitabantur. Deinde verò nomen factum est dignitatis. Nobiles ejusmodi majores etiam censet Germania: Pfaltzgrafen, Comites Palatinos, Marckgrafen, Landgrafen, & Comites Tyrolis, qui hodie Principes Austriæ. *Barones* iidem, qui liberi Domini sunt. *Nobilis* ex eo, quòd per virtutem ipsam è vulgo noscibilis sit. Secus enim phaleram clitellario adde, & nobilis merito suo evadet, quod falsum est. *Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo sanguine censeri? virtus si deficit.* Bene olim Vates.

QUÆ-

QUÆSTIO POLITICA:

An felicior Respublica, cui Magiſtratus perennis?

Affirmatur.

MAlè conſulit communioni hominum, & animantium, qui aërem, victum, vivendi ordinem mutat indies. Pejus Reipublicæ, dum Magiſtratuum mutatur imperium. Non hominem, ſed ſemi-DEUM poſcit ars regendi; neque, ſi ùt oportet, tractanda, aliâ faciliùs diſcitur methodo, quàm experientiâ Magiſtrâ. Non anni, ſed luſtrorum & ætatis hic labor, hoc opus eſt. Nemo grandia molietur, cui dum animus incipit, poteſtas moliendi deſinit. Quî reddat felices Princeps, qui vix tempus, quo felicitas nitatur, nactus eſt, ut condiſcat? Momentum unum, aut annus nec populi genium, nec ſtatuta regnorum, nec momenta felicitatis penetrare ſat poteſt, Non una Scipiadem format arena. Nec fluctus duntaxat viſus domitorem Oceani. Aſſuetas, & expertas clavus, & habenæ poſtulant manus. Periculosè diſcitur, ubi non nisì Reipublicæ damno error conjungitur. Loqui ad libellam, tacere pro meritis, diſtinguere fucum à colore, ex æquo librare rerum momenta, ponderis res eſt Divini. Malè, quia ſerò diſcit is, cujus, dum imperare cæpit, verba ſunt oracula, facta omnia ſunt exempla. Non unius hæc ſtipendii viros poſtulant, ſed quos uſus probavit, duravit, quales Reipublicæ admovendos juſſit callidus aliàs regendi Tiberius. Exilis profectò uſus, experientia eſſe poteſt ei, qui hodiernam, vel heſternam poteſtatis vix numerat diem. Novitas quævis, audaciam, & animos nova ſuggerit moliendi, ſi populum; ſe ditandi curam, ſi Principem ſpectes. Intendit hirudo ſugendi acrimoniam, cùm tempus defuturum novit, quo ingluviem ſatiet. Quæ porro hoc è fonte tributorum vel copia, vel acerbitas verenda. Satiata hirudo, etſi hirudo ſit, quia ſatiata eſt, mitiùs furit ſitiente.

te. Novitas intolerandum populo, invisum Principi jugum est. Acerbum est genti Protei in morem jam læta, jam nubila coquere pro genio, & ingenio capitis, cui parent. Imperanti porro tantùm admittitur gloriæ, & Majestas, quantùm temporis. Vix enim exordiis grandibus breve tempus satisdat. Aut si exordia videat orbis, consummatorem non habet, qui sequitur. Displicet, & vilescit purpura, cùm veteri, vilique palliolo commutatur. Non Mercurium, solem æmuletur Princeps, ut solio aptus sit. Dura ars ambulatorio nunquam, ùt dicimus, fertur ordine. Rara avis tanto digna munere. Ut dextera clavo, sic rara mens regni curis, quia grandibus, suppar est. Non omnis acies amplissimis par est curis. Regna omnia, quibus Magistratuum consueta varietas, minùs ferè felicia. Decumanis jactatæ procellis Athenæ, neque grandium admodum tolerantes, neque tyrannidis contemptores. Nunquam egêre suo nomine digna, id est grandia, nisi diuturno fortium virorum ductu. Secùs enim, qui brevi est tempore, secures antè ponit, quàm præesse pariter, ac prodesse didicerit. Suum meditatio, suum executio, suum experientia tempus poscunt; mutatio Magistratus frequentior vix meditationi, atque adeò designandis felicioris sortis consiliis spatium sinit, nedum experientiæ, quâ solâ nititur Magistratuum dos, & Regnorum flos maximus. Scientiam nullam Philosophus numerat, nisi scire se sciat. Scit se regere, & feliciter suos, qui felicitatem, quam Patriæ fundavit, aut stabilivit, videt ipse Magistratus, & sentit. Raræ imperantûm sunt mentes, quibus eadem in eodem quoque munere sensa sint. Probata uni consilia damnantur alteri: perpetuâ quasi scenæ mutatione, quâ non alteri nocetur magìs, quàm Patriæ, quæ Principem hac in fabula chorum ducit.

Negatur.

QUod Poëta de Dea: *& tantùm constans in levitate sua est*, verum de hoc universo est hodie: hoc unum in natura stabile esse, quòd instabilia sint omnia. Alternant vices tempora. Tam implexis, quàm occultis se

ipsum

ipſum volvit, & revolvit Mæandris per terræ viſcera abyſſus. Nunquam ùt curſu, ſic aſpectu ſibi conſtat Luna, pari mobilitate flectuntur ſidera, & his motibus ſtat naturæ felicitas: ſtabit pari fato ſors placita Reipublicæ, ſi ſibi non conſtent perenni ſerie Magiſtratus. Da conſtantem, aut Sirium, aut Plejades orbi; torrebit ille, inundabunt hæ omnia, perdet utrumque ſidus. Vel Atlantis vires aut laſſat, aut frangit decumana moles imperii; geſtatur faciliùs, cùm Hercules ſuccedit ùt oneri, ſic honori. In auras abit unde motu perrenni bulliens, & flamma lucens, nisì pabulo nutriatur. Sic ſui ipſius incuria eſt ſubditorum cura; languet vigilantiæ alacritas, torpet induſtria, cùm idem cerebrum cura ſemper fatigat. Et calybs atteritur frictu non interrupto, & vigor mentis obtunditur, ſi agat ſemper. Age, vices muta ſiderum. Quia fervet omne principium; labor ipſe regendi non quietis erit monitor, ſed incentivum alacritatis. Quàm indignum avaritiæ genus, quod virtus, & merita deſtinârunt pluribus, paucorum ſinu arctare? Sapientia, providentia, virtus complures Magiſtratu dignos efficiunt; cur præmium, quod jubet æquitas, non obveniat meritis? Et gloria Principum, & ſubditorum felicitas eſt, multos ornare poſſe, multos ornatu dignos videri. Aut enim expetendum eſt decus, aut malum verendum eſt Magiſtratus? Si decus: ornentur plures. Si malum: non opprimatur unus. Servat Rempublicam civium ſingulorum moderatio, dum contrà Marii, Syllæque protervia, potentiâ ſuâ Romanam convulſit Rempublicam. Muta Magiſtratus, moderationem fundâſti. Jacet enervis arrogantia, dum pariturum ſe poſtridie novit, qui hodie clavum tenet. Non adeò præſentis fulgor ſortis excæcat, ac futuræ expectatio, dum adeſt certitudo, in ordinem ſe redigendum propediem. Temperamentum, & condimentum eſt arrogantiæ hominibus congenitæ, nè quis ſe ſupra ſe auſit levare. Ipſa faſcium gerendorum temporis brevitas, quia ſemen aut famæ, aut probri eſt ſempiterni, acriores ciet curas ad agendum, animos ad audendum. Nullus tum penſi eſt labor, cùm momento venit exiſtimatio æternitatis: Sic, quod tormentum vetuſtas cæca credidit,

dit, gaudium erit, quia commodum mundi, Regibus ſubdi. Nemo unus eſt facilè ſubditorum, qui non etiam obſequio, ùt Princeps offendat imperio. Medela malo eſt amica, Magiſtratûs varietas, Oblivioni namque novo cum Magiſtratu dantur veteres parentium ſeu incuriæ, ſeu noxæ; tantóque ſpes affulget amplior, quantò amænior ſemper ridet Phæbus exoriens. Cum contrà radices quæ egêre mala, vix, ac nè vix quidem tolluntur, cujusmodi ſunt veteres Principum offenſæ. Si porro unius ſit jactura gratiæ facta non antè, quàm tuo, vel imperantis funere eſt terminanda. Imago veritatis hujus ſit Princeps mundi Imperium, Roma. Affuſus ſolio ejusdem univerſus orbis, dum lapſu annuo Magiſtratus mutavit. Ubi hanc mutavit regulam, aliam rerum facies ſcenam induit, non rarâ Tyrannidis, & arrogantiæ cataſtrophe vitiatam. Nempe, non amænum modò in hortis, ſed utile quoque in orbe eſt nihil, nisì ſit varium. Color unus effigiem nunquam ornat! Ipſa noctis & coloris umbra decus & pretium conciliat iconi, & diei. Heu, quàm malè conſultum foret orbi, ſi idem ſemper Planeta regnaret. Vices horum originem, fæcunditatem, decus naturæ conſervant. Buſta, & cineres generabit orbis Veſuvio ſimilis, ſi perenni ſole coquatur; flacceſcent contrà humore omnia, niſi ſubſequens Luna ardores æſtuum temperet. Gaudet natura ipſa perrenni motu dominatum infringere; nè, quod prodeſſe oportuit lumine, calore, influxu: obeſſe incipiat neglectu, temeritate, Tyrannide. Impatiens ferme oneris diuturni eſt validiſſimus etiam lacertus; & quia impatiens, facilè negligens; tum verò & officii oſor, ſuo primùm, tum Reip. detrimento.



§. II.

§. II.

Præcipuæ summorum Magistratuum, seu Regnantûm dotes.



Aurea poma facit non tam color extimus auri,
Quàm liquor, & succi dos pretiosa sui.
Aureus esse cupis Princeps? color imbuat ora
Virtutis: mentem sed magìs ipse tuam.

DOCTRINA POLITICA.

HAs ut compendio absolvam, ultimorum 4. Austriacorum Cæsarum symbola refero, & cardinibus totidem virtutes definio Imperantûm. Ferdinandus III. Salomon ille Germaniæ dictus, *Pro pietate, & religione* tesseram sumpsit. Sapientiâ suâ Salomonis nomen sibi proprium fecit. Optimè sibi, & Reipublicæ consulit Princeps, qui sapiens ipse. Aptissimè enim ad virtutem animum doctrina præparat, è mente Senecæ ep. 88. Unde bene de Alphonso Sapiente Magnus ille: non memini feliciorem, & majorem Principem, quàm Alphonsum; non feliciorem, & majorem Rempublicam, quàm ab Alphonso.

Doctrina Principis alia *Splendori*, alia *Prudentiæ*, alia *Virtuti* ſerviat. Splendorem conciliat eloquentia, ùt erat Cæſaris, & Auguſti, gravis, ac fulminans. Accedat linguarum, præſertim ſubditorum ſuorum, notitia. Nullum 32. gentium ſuarum Mithridates, nullum Ferdinandus hic per interpretem audiit, ſingulis reſponſa dabat ipſe, vel magìs oracula. Quid illuſtrius, & amabilius Principe tali inter ſuos? quid formidoloſius inter exteros? ùt quem Reipublicæ ſcientia, & hiſtoria, rituum, morum, inclinationum, ſtudiorum omnium ſcientem, eóque ingenio potentem fecêre. Et quamquam potentia Imperii opibus, armis, conſiliis, fœderibus, & fortuna paretur; omnia hæc, ſi ſapiens Princeps ſit, & parabit pro debito, & cum ſucceſſu tractabit. Baſis nempe virtutum ſcientia, & amor eſt literatorum. Evertit porro, non conſervat Rempublicam, qui bonis pacis artibus, & ſcientiis ſe, ſuóſque cultos non cupit. Haſta, & ægis Palladis uſu exercita tueatur imperium; eruditio regat, & cautum faciat: ùt Julius, & magnus ille Macedo triumphis clari, nunquam adeò illuſtres, ſi non pariter literati.

Religio ſcientiæ, & cæterorum omnium caput eſto. Regem aræ tuentur, Rex aras vindex. Harum myſtas & colat, & tueatur, oportet. Veritas, & ſanctitas religionis cordi ſit, Diviníque cultûs augmentum, ſinè quo quid ſperare Princeps poſſit, non video. Si enim per Ariſt. Polit. 5. c. 11. obedientiores ſunt ſubditi Regi pio, quippe qui putant Deos vindicaturos, ſi quid in pium Principem peccaverint; ſanè contrà agenti quid evenire neceſſe ſit, nemo non videt. Quid? quòd *componitur orbis Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus humanos edicta valent, quàm vita Regentûm* Claud. de 4. Conſ. Honor. Auſus olim gloriari Tullius: *Romanos non calliditate, aut robore; ſed pietate, ac religione gentes omnes, nationéſque ſuperâſſe.* Hodie feliciorem domum non refert omnium ſæculorum hiſtoria hâc ipſâ Auſtriacâ, & tamen cunabula, & meridiem gloriæ omnem uni in acceptis refert religioni per Rudolphi pietatem. Hinc peculiaris ejus in Romanam quoque ſedem veneratio, jurisjurandi religione firmata toties, quoties diadema novus

Cæſar capeſſit. Et bene Protector Eccleſiæ ac vindex, non caput. Utinam eadem Henrico VIII. Angliæ quondam obſervantia! non tam lugubri Metamorphoſi Anglia ſe aliam fuiſſet mirata, non ipſe ſupremis vocibus *omnia* cum religione ſe perdidiſſe fuiſſet confeſſus.

Juſtitia caput eſt alterum. Eam hìc intelligo, quâ Princeps legum conditor idem, & obſervator eſt, per rectam in moribus, & omni actione vitam, ex honeſti norma, Si enim ſecus egerit, exemplo plùs nocet, quàm peccato. Ferè enim juſtitia, aut iniquitas dominantium in virtutes, ac vitia tranſeunt ſubditorum. Cùm hæc ſit conditio Principum, ut, quidquid faciunt, præcipere videantur. Sol Princeps eſt Reipublicæ, ſubditi aſtra, Luce careant, oportet, ſi ipſe tenebras alat, non lucem. Sed etſi hoc abſit, minùs ei licere credendum, cui plùs licet. Cùm omnia facta, & dicta Principum rumor excipiat, & amorem cum authoritate amittat, qui, cùm præſit ordine, virtute melior eſſe debere exiſtimatur.

Conſilium ſequitur Leopoldi. Hujus nomine, anchora illa, & Reipublicæ acus nautica, venit *Prudentia*: quæ Principem Cynoſuræ ſuæ, ſeu bono ſubditorum intentum & prævidere facit, ut præcaveat; & providere legibus, ut gubernet, & dirigat. Rara hæc dos naturæ eſt, quia raros natura deſtinat ad regendum. Hæc enim una, præſentia ordinat, futura providet, præterita recordatur. Mater felicitatis; dum contrà imprudens pleraque, & ſe præcipitat. Pars princeps prudentiæ ſolùm optanda eſt, quæ *à ſe* habetur; ſcilicet lumen inditum cæli munere, quod uſus, & experientia firmant. Secunda tamen ad volandum ala requiritur etiam, videlicet conſilia libri, amici, ſcientia; hæc, quæ *ab aliis* veniunt, fulciunt prudentiam. Certè ſi ſuo ſolius ſenſu Rex agat omnia, ſuperbus magìs, quàm ſapiens audiet. Aliter Alexander, de quo Lamprid fuit conſuetudo ipſi, ut ſi de jure, aut Magiſtratu tractaret, ſolos doctos, & diſertos adhiberet; ſi verò de re militari, milites veteres, & ſenes bene meritos, ac locorum peritos, & caſtrorum, & omnes literatos: ac maximè eos, qui hiſtoriam nôrunt: requirens, quid in talibus cauſis, quales in diſceptatione

ne

ne versabantur, veteres Imperii seu Romani, seu exterarum gentium fecissent.

Industriâ Princeps qui caret, quid? nisì ventis semina sparget, etsi consiliis ac sapientiâ sit Alphonsus. Hæc impendiis sæpe non grandibus grandia & molitur, & conficit. Hæc si curam gerit suorum, quæ prima Principum cura est, ut suæ quoque dignitatis, cultûs, & Majestatis non oblita soli *publicæ* serviat *utilitati*, quam regnantûm regulam esse oportet. Neque enim adeò Cives Regi, quàm Rex Civibus Pater, & arbiter, ùt sol cælo & astris datus videtur, secus, ac, Lipsio arbitro, Romani illi censebant Imperatores, qui non tondebant oves, sed deglubebant; Provinciarum prædones, non imperantes.

Amorem *Clementia* conciliet. Stulta vox Machiavelli de Cæsare Borgia: *metui tutiùs esse, quàm amari.* Firmissimum Livio l. 8, imperium, quo obedientes gaudent. Infirmum est imperium, cujus fundamenta sunt ossa civium necatorum: & ferè nimiùm non lubricus modò, sed præceps est trames Civium sanguine irrigatus. Hæc vox digna Principe, quam deliciæ generis humani Titus olim: *non oportere quemquàm à facie Patris tristem discedere.* Non honestiores modò, sed & tutiores præstat clementia Reges, ornamentum imperiorum simul, & certissima salus. Trajanus omnium instar testis sit, sub quo meridiem altissimum Roma tenuit; tantus in hunc subditorum amor, ut alii se satìs vixisse ipso viso, alii ipso viso magis prædicarent vivendum.

Quamquam crudelis evadat clementia, si gladius absit *Justitiæ.* Væ Reipublicæ! cùm impunè grassantur scelera: sic enim quò majus regnum, eò majus est latrocinium. Cùm ferendo injuriam veterem, invitetur nova. Hæc una seditionum parens est certissima, dum quæ libent, licere cernuntur omnia. Contrà, ùt immodicus, & constans metus vindictam, sic temperatus observantiam gignit, & Majestatem firmat. Ament probi, legúmque custodes Principem, ùt Patrem. vereantur improbi vindicem, quod necessarium sæpe. Aurelianus tametsi severus, *necessarius* Princeps est judicatus, quòd vitia mitiorem Principem non admisissent. Pari causâ Seve-

rum

rum aut non naſci, aut non mori debuiſſe cenſuit Senatus. Cæterùm rogatus, ſi tutò poſſit, ignoſcat Princeps: non ſemper (ùt in parvis delictis) cùm poſſit, puniat; ſin parcere pœnam poſſit, temperet Abſit enim ſævitia, quæ pænam ſemper diligit: clementem volo juſtitiam, quæ pœnitentiâ ſæpius, quâm pœnâ contenta ſit. Vel certè à qua ad paucos pæna, metus ad omnes perveniat.

Conſtantia, quem virtus reliqua ſecundis caſibus firmat, adverſis adamantinum reddit. Non ſemper mare æſtuum, cælum tempeſtatum eſt expers, baſis Conſtantia eſt Principi; ſui ſecurus ſplendoris, tempeſtates coërcet. Jure lauris cinxit coronatos vertices antiquitas, fulminibus majores, & conſtantes. Cadat imperium neceſſe eſt, quod arundo, quovis Martis, aut Fortunæ turbine mobilis ſuccollat. Sed & illa conſtantia cordi ſit Principi, quæ æquales ſemper habenas moderetur. Præterquam enim, quòd vileſcat Princeps, qui, quæ juſſerit, vetat, quæ vetuerit, jubet. Accidit Reipublicæ, & legibus innovatis, quod Plantæ: quæ non convaleſcit, ſi ſæpius transferatur. Cùm certum illud ſit Taciti: ferè *ſuper omnibus negotiis meliùs, atque rectiùs veterum legum ſtatutis eſſe proviſum.*

Fortitudo agmen claudat virtutum. Agere fortia Romanorum olim Principum hodie magnorum ſit teſſera, ſi hoc nomine digni eſſe cupiant. Leonis ferè exuviæ, & clava Herculis hos decent, ſolo etiam nomine formidandos; quamquam belli ſtratagemata vulpinum quóque ſuo tempore non recuſent pilum. Verentur Principem fortem hoſtes, quàm aggrediendo cautum, & providum, tam ſi agreſſus ſit, cedere neſcium, & invictum. Quantum verentur iſti, tantùm confidunt cives, nubem credentes, quæ cum magno illo Cunctatore (ùt ajebat Hannibal) in montibus ſedens ſollicitatâ procellâ imbrem datura eſt. Præſertim cùm nullum belli genus ſit, in quo eum fortuna non exercuerit. Et ſi Princeps non tam imperet, quàm oſtendat tolerare labores.

QUÆ-

QUÆSTIO POLITICA:
An consultum Principi, omnia per se decidere?
NEGATUR.

FElix regnum, cui tantus Princeps, ut, quantùm dignitate, tantùm mentis acie cunctis antecellat suorum. Jure; quia tutò vitæ, necísque arbiter Prætorio præsidet. At quemadmodum optanda magìs, quàm speranda hæc omnibus felicitas, ita optanda magìs sors, ut aliorum arbitrio Areopagum Princeps cedat, quorum acie momenta cognoscat, discutiat, concludat. Quoties felix cum Nerone plausit Respublica, dum per arbitros; quoties luxit infelix, dum per Principem jura accepit? Amplior est imperantis aut dignitas, aut Majestas, ac ut Prætorem agat. Anima sit Princeps, oculi sint Ministri, quos ipse organorum vice informet. Quantùm addis frequentiæ cum subditis, tantùm minuis Majestati; tollit enim frequentia æstimationem. Horrori sacro non est, quod gressu teritur indies. Summa quæque magnitudinis admirationem, & pretium perdunt, si semper spectentur. Ut aliena ferè magnifica decantat fama, sic longinquitatis comes est reverentia. Quot partibus se, amabò, Princeps distinguat, si omnibus partiri eundem oporteat? Eò singulis minor, quò communior; ùt minùs acutus est gustus, qui per multa discurrit. Hebetat magìs, quàm oblectat confusus odor, & canis per floreta discurrens feram amittit. Senatus integros censoriâ dignos credo virgulâ, sibi omnia deposcentes. Quantò magìs Principem? Suo carent fine membra, si caput; suo pariter tribunalia, si Princeps egerit omnia. Pater Patriæ, & legum vindex sit Princeps, non Æacus, aut Rhadamantus. Damnet reos, aut mitiori faveat calculo, non per se, sed per suos. Secùs enim, dum impunitatem scelerum foverit, tyrannus erit; qui malis audiat bene: illo si satisdet Justitiæ, Pater erit, sed à malis ipsis audiet malè. Utroque sibi injurius, dum & facilitas authoritatem, & severitas amorem imminuet. Error si sententiæ, aut sancito obrepat, alienus erit, non Principi imputan-

putandus; qui index ſit horologii, non rotula; horas aptè partitas indicans, non curſum ipſum torquens. Aliorum cum Carolo V. conſilia audiat, ſua reticeat. Vel certè cum Claudio ſic dubio proponat ſenſu, ut quæ Principis mens ſit potior, noverit nemo. Aſſentationi, communi conſiliorum, aularum, & regnorum peſti, via ſic momento præciditur. Quam ut Romano ſenatu exulem faceret, Druſo filio Conſuli ſententiæ dicendæ copiam lege cavit Tiberius. Arctatur, ſi non eliditur, conſulentium libertas, ubi coràm eſt Princeps, quem reveremur. Frequens ſæculo avis eſt, quæ placendi ſtudio rationum poſtponat pondera; ubi leges ipſæ palmam cedunt aut ſpei, aut metui Majeſtatis in alia inclinantis. Utinam nunquam Themidi adverſa ſanxiſſent conſilia! dum metus, nè aut minùs placeas, aut dicendi libertate diſpliceas, iniquum ipſum æquitatis colorem fecit mentiri. Blandiri conantur non rarò, qui ſenſa noverunt capitis deliberantis. Servare ſemper eſt Principis, non damnare. Fidem devincire clementiâ, non terrere imperio; quia Jovem refert, qui veteribus nunquam, nisì faventis author ſideris credebatur.

AFFIRMATUR.

MOnſtrum naturæ parturit, qui otio purpuram, deſidiæ, aut licentiæ ſolium damnat. Nunquam languor commendat Principem. Credidit Aſtræa lancem Principi, gladius libratur unâ, parte alterâ ſceptrum. Utroque pari ſtudio curato ſalus, & tutela ſuorum eſt Princeps. Cùm & gigantum auſus arceat, & cauſas ſublevet inopum. Quid horum aget, qui, quid actum ſit, vel agatur, ipſe ignorat? Animam Reipublicæ Politica cenſet Principem, exſangue eſt cadaver ſinè influxu, trunca Respublica ſinè præſente anima. Raro fons in canales ductus primâ ſibi conſtat puritate, raro aliorum ſenſu relata primo veritatis colore. Tutiùs quisque credit, quæ cernit ipſe, ac ea, quæ alieno ſenſu intelligit. Extenuat ſæpe, vel auget momenta cauſæ, referentis aut conſulentium ſeu affectus, ſeu odium; & dum æquilibrium non ſervant pondera, quid mirum, Principem inclinari in il-

lud, non quod cuperet, ſed quod inaudiit? Pudenda res, mancipium ſuorum facere eum, quem dignitas non ſequi, ſed ducere voluit, & docere. Per Labyrinthum errat, qui aliena duntaxat ſtudia ſequitur. Suis oculis, alienis exequentium manibus utatur Torquati conſilio Princeps; imperet, & regat, exequantur Miniſtri. Ut cera, ſic per multos anfractus certior redditus facilè recipit Princeps, quod ſubdola plagiariorum vafrities tentârit imprimere. Regio, non Miniſtrorum arbitrio creditus eſt orbis; ille ſcripturâ teſte ferat judicium. Neſcit conſortem imperii; Miniſtrum, non æmulum patitur Majeſtas. Cui jus dicendi poteſtas creditur, creditur & Majeſtas, umbrâ duntaxat ſceptri ſervatâ. Nihil geri feliciter credit orbis ſuffragium, ſi Principis non agat Majeſtas. Et meritò. Tutiùs, quia labi eò minùs obnoxium judicium, quò excelſius. Rara orbi felicitas eſt, nullum in tribunalibus cor, & linguam reperire venalia. Non auri faſcinum ſentit Aquila, Vectigales non curat rivulos, cui famulatur abyſſus. Non adulatio, non metus, non reverentia Principem tangunt; nubes ſunt inferioris regionis, olympo nondum pares. Dum compede ſive aureâ ſpei, ſeu ferreâ metûs libertas judicum minorum non una ſuccubuit. Quot non annos, ſed hæreditatis ſpolium numerant, quibus lites forenſes ſunt curæ! commodum cauſa ſentit, quia finem maturum, cùm Princeps jus dicit. Dignus ſecùs voce illâ mulieris, Alexandro jus in via dictare nolenti inclamantis: *ſi nolis judicare, noli regnare.* Sollicitudinis ùt minùs in reliquis, ſi non alacritatis fomes eſt Princeps, ipſe cauſas cognoſcens.



§. III.

§. III.

Pauca de Magistratibus cæteris.



Deligit è multis, quæ ſit magís apta columnis
Diva manus, niti quâ diadema queat.
Scilicet haud quovis bene ſtant diademata fulcro
Firma lege, ut firmo ſtent tibi regna loco.

DOCTRINA POLITICA.

TRia minorum Magiſtratuum nomine indico. Senatum, Magiſtratum, Judicium. Reipublicæ felicitas, & Inſulæ fortunatæ obtingunt, his tribus ſi beatur. Senatu, in quo conſilium; Magiſtratu, in quo imperium; judicio, in quo juſtitiæ, & æquitatis habet aſylum. Romam florentem adoravit orbis, dum Senatus purpurâ, Magiſtratus gladio, Juſtitia æquitatis floruit bilance. Emarcuit gloria, cùm Senatum furor, Magiſtratum timor, Juſtitiam favor, & pretium occupârunt. Hæ peſtes nè in Reipublicæ exitium irrepant, pauca præmitto univerſim de minoribus Magiſtratibus, dum ſigillatim virtutes expetendas, vitia ſingulis cavenda. Cenſent plures veriſſimum de Republica il-

lud: meliorem, & tutiorem fore Rempublicam, cui malus Princeps, & Magiſtratus boni; quàm, cui Magiſtratus mali, & Princeps bonus obveniat. Cùm faciliùs ſit à valentibus membris caput debile fulciri, & à multis bonis aut corrigi utcunque, aut celari vitia Principis; quàm à ſolo valente capite membra omnia putrida emendari.

Tria in minoribus his Magiſtratibus deligendis cumprimis ſpecto. ut dignè, & cum utilitate Reipublicæ his fungi poſſint. Primum eſt *vitæ probitas*, & ſinceri animi juſtitia. Gladius in manu furentis eſt poteſtas improbo collata, hinc ruina Reipublicæ, & Magiſtratûs. Quo enim plùs poteſt, plùs nocet. Hinc procul à Magiſtratu, qui acriter, importunè, dolis & artibus variis clavum depoſcunt. Sed & illos arce, qui cum Tiberio ambitum occultantes nimiùm ſe excuſant, aut impotentiam, aut metum prætexentes; inſanè, tamen occultè appetunt, & amplectuntur, cùm ſeriam Principis vocem: *aut age, aut deſiſte*, intelligunt.

Procul aut potentes nimiùm opibus, aut pauperes. Illi, quia præfidunt, & ſui impotentes; per vim, non conſilium moderantur. Arrogantia publicam illis delictorum cauſat licentiam. Amplitudo familiæ, & clientum ſubditos gravat, & cùm ferè creſcat amor nummi, quantùm ipſa pecunia creſcit, horum cupiditates plus habendi, magìs deſtruunt Rempublicam, quàm multitudinis, ùt monet Ariſtoteles 4. Pol. c. 12. Pauperes è contrà hirundines ſunt divitem provinciam adeuntes, ipſi divites eandem pauperem relicturi: hinc jus, fásque eorum cuíque venale, occultè pravos, & in rebus exiguis fraudatores meritò compellat Ariſtoteles 2. & 4. Polit. Unde ex iisdem capitibus, idem Philoſophus cum Solone, mediocrium tantùm opum homines ad Magiſtratum ſumendos cenſet, & probat Politicorum c. 11. Quamquam ſi juſtitia, pietas, prudentia ſic aliquem divitem faciant meritis, ut nihil horum verendum ſit, néque habilitate hominis promovendi obſcuretur Magiſtratûs authoritas, non omnino excludendi ſunt pauperes à Magiſtratu.

Arcendi denique, qui largitionibus Magiſtratum ſibi comparare velint, miniſtrorum animos, commendationem

nem pecuniis, & promissis ementes. Quòd si enim dignitas, quæ virtutis merces, & præmium est, non meritis, sed divitiis detur, non modò malè constitutæ Reipublicæ id argumentum cum Platone, c. 8. de Rep. sed, ùt habet Vopiscus de temporibus Aureliani, in ruinam vergentis imperii omen esse meritò potest. Quâ causâ vapulat ab Aristotele Carthaginensium Respublica, venales esse volens Magistratus, cùm *lex talis pretiosas magis faciat divitias, quàm virtutes, ac civitatem totam ad studium pecuniarum convertat.* Quoties enim sordidissimâ hâc mercaturâ (ùt eam Bodinus nominat) culmen tenebit ambitio, & scelus, virtute pecuniis destitutâ, rectis studiis, & artibus humi serpentibus? Unde tolletur studium virtutis, & scientiæ, reverentia Magistratuum, amor Patriæ. Quoties in talibus emptoribus verum erit? quod Seneca l. 1. de benef. c. 9. & Tullius censet, quòd conaturi sint impensas in Magistratum factas, venditâ etiam justitiâ, compensare, & lacunam illam rei familiaris explere. Et quod deterrimum omnium, quoties verum erit illud Severi? *necessarium est, qui emit, vendat; nec sinè rubore puniri possit is, qui, quod emit, vendit.*

Virtus porro singulorum, quæ in collatione Magistratûs spectatur, curanda est, nè pereat, nimiâ Principis beneficentiâ, favoribus nimiis, & pluribus Magistratibus uni collatis. Natura ipsa pluribus destinata partitur officia. Singuli enim exactiùs muneri suo deserviunt; nec ità præsidentes fiunt potentiâ, quibus pars committitur, quàm quibus summa creditur omnis. Néque alius magìs, quàm Respublica patitur; nam & alii virtutis suæ præmium se acquisituros desperantes, aliorsum se convertunt, & patriam obsequiis fraudant, imò cum Patriæ pernicie alibi idem consequi contendunt. Et quamvis dexteritas, & ingenium nonnullis sit ad admirationem, & multis par; caveat tamen Princeps hos levare nimiùm, nè fortè gigantes efficiat. Rejiciendi, qui ambitione suâ facere omnia volunt, & dum ipsi omnia nequeunt, Vicarios sui Reipublicæ detrimento multiplicant. Bene Lacedæmonii, Romani, & Macedones lege cavêre, nulli duos in civitate honores conferri. Sed de majoribus

hæc Magiſtratibus dicta intellige, minora ſi ſibi non obſunt, nil refert connecti.

Alterum caput eſt in promovendis ad Magiſtratum deligendis, *Amor Patriæ.* Cùm enim Magiſtratûs regula ſit utilitas publica, huic conſulet optimè, quisquis amat. Amare majori fide cenſentur primùm *Indigenæ*; hinc exteris, cæteris paribus, præferendi per Ariſtotelem 5. Pol. c. 3. Adamantina hæc lex eſt Sinis, qui exteros etiam ſummâ curâ finibus arcent, utpote à quorum copia ſeditiones, legum, & morum everſio. Succia cum pluribus, exteros arcet officiis, duplici ratione. Tum quòd offendantur, ſe neglectis, plùs fidei, & munerum tribui exteris, quàm Patriæ filiis; ùt exemplo ſunt Siculi, qui cùm Wilhelmus Neapolis, & Siciliæ Rex ſolos exteros officiis præponeret, omnes Gallos icto fœdere unà interemerunt. Tum quòd ad conſulendum bono publico Reipublicæ, requiratur notitia ejusdem; cujus notitiâ ùt plurimùm carent exteri, tenaciori ferè affectu, & ſtudio ſuam in patriam affecti: Atque adeò potentiâ, & authoritate ad hujus ſtatum, cui malè addicti ſunt, evertendum abutuntur non raro. Quamquam, cùm æmulis acuatur virtus, quæ non ſolis favet indigenis, ſed etiam in hoſte ſit æſtimanda; proderit, rariùs nonnunquam, ad ſtimulandos indigenas, excellentis virtutis exterum ſublevare; præſertim ſi, ùt ajebat de ſe Cicero, cum ſibi conſuli peregrinum ſolum objiceretur: *non adeò ſint peregrini habendi, quorum nomen, & honor Urbi jam inveteravit.* Sic Trajanus Hiſpanus licèt, imperio præfuit, à quo tamen hodie, nisì Germanos arceri vult omnes Bulla aurea.

Amore Patriæ excellere præ cæteris plebeiis cenſendi ſunt *nobiles*. Quamvis enim in plebeis quóque virtutum ſplendor originis vilitatem poſſit compenſare, dum ſcilicet, ut ſe laudabat Iphicrates coram Harmodio Nobili vilitatem generis exprobrante dicens: *meum genus in me ſumit gloriæ principium, tuum in te videt exitium.* Quamvis plures cum Dentato Romanas ſecures ſapienter perinde, ac feliciter tractaverint, ac proinde concordiæ ſervandæ causâ ad minora officia his aditus patere meritè

tò poſſit, nihilominus tamen palmam his jure præripiat in majoribus Magiſtratibus gerendis Nobilitas, ùt quæ & genere ipſo Magiſtratui authoritatem conciliat, cùm Ariſtotelis placito 1. Pol. c. 8. ideo Nobiles *generoſi* dicantur, quia animum habent generoſum vel hoc ſolo argumento, quòd virtutes Majorum eosdem ſtimulent ad rectè agendum. Et vetus hæc Tacito teſte inter Germanos fuerit prærogativa: *Reges ex nobilitate, Duces ſumere ex virtute.* Meminere Annales Galliæ, Nobilitatem offenſam, quòd neglectâ virtute, ſanguine, ac meritis, obſcura genere, & agendi dexteritate hominum trias à Ludovico XI. Gallorum Rege non ſinè diſcriminè Regis ac Patriæ ſit ſublimata; Sutor videlicet internuntius regius, tonſor Legatus, alius demum magnus Regni Cancellarius dictus. Contrà verò, minùs Reipublicæ plebejos affici eſt neceſſe, ùt quorum ſors bonorum expers, odio ſtimulata, quòd egeat, rariùs publicæ intendit tranquillitati.

Hujus amoris cauſa eſt, quòd quisque naturali pietate in ſuam feratur Patriam. Etſi quivis ad Magiſtratum ſumendum cogi poſſit, eò, quòd quivis teneatur Patriæ bono præſtare, quod poteſt, dum ejus obſequio Patria eget; imò pro eadem mortem oppetere ſit obſtrictus, utpote, quæ uti poteſt filiis ſuis, veluti inſtrumentis ſuæ incolumitatis: quod ipſum Horatius Cocles, & Curtius Romani, Rex Codrus ſubditis ſuis teſtati ſunt. Quamvis inſuper Gentium leges pœnam detrectantibus Magiſtratum indixerint, ùt Lacedæmones exilium, Athenienſes ſupplicium capitis, Romani libertatis diſpendium; nihilominus tamen non facilè cogendus quisquam, qui gravatè admodum humeros ſubdit oneri ſpecioſo, dum juſta eſt excuſatio, & metus periculi fortaſſis emerſuri. Quodſi verò prætextus etiam, & averſio ſubſit, raro *invitis bobus*, quod ajunt, *arare* optatum meſſis fructum fundabit. Ubi verò diffidentia ſui duntaxat, & modeſtia animi in nonnullis excuſationem totam faciat, juverit Principem, tales Magiſtratui præ cæteris præficere, qui deinde quàm optimè commodis Patriæ ſunt proſpecturi; ùt ſexcenta docent argumenta hiſtoriæ utriúsque.

Tertium demum eſt *rerum uſus*, & *ſcientia muneris*, ad quod quis legitur adminiſter. Hæc enim ſi deſideretur, ſtatua erit Magiſtratus, quæ careat motrice omnium animâ. Reperias ævo hoc officio ſæpe candidatos, qui tùm primùm Magiſtratûs gerendi artem diſcere cupiunt, cùm Magiſtratui præeſſe oporteret; atque adeò petentes, quod non intelligunt. Quid mirum, erroribus talium implicari Rempublicam; everſoréſque fieri Patriæ, qui Patres, & Servatores eſſe debuerant, ùt dicebantur. Hic rerum uſus, & ſcientia, cùm ferè ætatis vitio in Juvenibus deſiderari poſſit, ſenes meritò virtutis, experientiæ, & ætatis præferendos cenſet Philoſophus 7. Pol. c. 14. Senum enim, ait, eſſe imperium, juvenibus reſtare obſequium. Unde *à ſenibus nomen mite Senatus habet.* Hinc Roma antè 43. ætatis annum Conſulatum cuiquam dari vetabat. Imò Plato negotia publica juvenibus ſimpliciter vetuit committi 3. de Legib. ob temeritatem; quàm ferè in agendo exercent.

Quamquam ſi contingat in nonnullis 100. etiam annorum ſenibus, non *pueritiam*, ſed, quòd fædius, *puerilitatem* manere; contrà verò, præſipere juvenes ingenio, conſilio, dexteritate, & prudentiâ, præferendus eſt juvenis etiam Neſtori; ùt, cujus ætas non annis, ſed meritis, & maturitate judicii metienda eſt. Sic Scipio Africanus, & Pompeius ante præfinitam ætatem faſces Romanos obtinuêre. Præterea officia nonnulla, velocitatem, & robur corporis, & animi cupiunt; ùt ſunt militiæ ſtudia; quis ſapientûm cum Platone juvenes hìc excludat? ùt qui *haſtas, galeam*, & *clypeum* juveni; *conſilia*, & *Senatum* ſeni attribuit.

Hæc rerum ſcientia, & uſus ut perficiatur, conſultiùs erit in Imperio Monarchico, Magiſtratus ſummo imperio ſubordinatos, perpetuos eſſe, ſed ad Principis nutum amovibiles, ſi culpa obrepat; quæ tum patebit, ſi ad rationes munerum ſuorum dandas ſinguli adſtringantur ſeriò, & munerum acceptio ſeverâ lege tum interdicatur, cùm poteſtas confertur. Nam perennis illa mutatio levis cauſæ argumento, inconſtantiæ notam Principi, Reipublicæ accerſit incommoda; dum nullus ferè perfe-

ctam

ctam muneris ſui rationem penetrat, tum ſubitò eâdem defuncturus, cùm meliùs, & fortiùs bono publico præeſſe nôſſet, & prodeſſe. Scio Romanis tum Conſules domi, tum Provinciarum Prætores, & præfectos lege XII. tabularum latâ mutatos, & ſoli Cenſori quinquennii tempus indultum fuiſſe. Exprobratum itèm fuiſſe Tiberio, quòd Magiſtratus perpetuos ſtatuiſſet. Qui tamen ſapienter reſponderit: Hirudinem multo tempore ſanguine potatam quieſcere, recentium porro morſus eſſe acerrimos. Denique per Ariſtotelem 2. Pol. c. 3. hanc perpetuitatem Magiſtratuum ſeditionis cauſam apud illos eſſe, qui nullam poſſident dignitatem.

Pace tamen magni Philoſphi de ſola Ariſtocratica Republica, vel Politica id verum eſſe crediderim, in qua ambulatorium (ùt nominant jura) Magiſtratum ſummum, ſpes civium, ordo civitatis, & juſtitia ipſa meritò videatur exigere. *Spes civium*, ùt qui ſtimulo honoris ad virtutis ſtudium incitantur. *Ordo civitatis*, qui hoc præſcribit, & poſtulat, ut merito virtutis inter cives Magiſtratus tribuatur, & jus conſilii. *Juſtitia*, quæ ideo Reipublicæ trutinam moderatur, ut dignitates civitatis meritis tribuat, quæ non unus tantùm, ſed plures ſibi comparant. Hinc etiam Romana Reſpublica hâc lege XII. tabularum ſibi cautum voluit, & conſultum. Contrà eſt in Monarchico Imperio, in quo Magiſtratuum majorum perpetuitas ſeditionem potiùs aut ſopit, aut impedit, dum Princeps Magiſtratui â ſe conſtituto aſſiſtit; & Magiſtratus ipſo regendi uſu magis & prævertere fraudes novit, & retundere impetus audet. Quod ipſum experientia plurimum probat. Quamquam minores Magiſtratus ubique mutabiles eſſe poſſint nullo Reipublicæ incommodo. Hinc ſapientis eſt Principis, adepto imperio Magiſtratus non innovare ſinè cauſa graviori, quod ipſum æternæ laudi tributum Antonio Pio, quòd nullum ab Adriano præceſſore promotum, dignitate moverit.

Tanto Reipublicæ commodo, rerum videlicet ſcientiâ ſuos ut imbuant Nobiles Veneti, eóque Magiſtràtui gerendo reddant idoneos, Majorum conſiliis anno ætatis 25. intereſſe jam ſuſtinent. Univerſim certè proderit Nobi-

les, ingenio, & virtute præstantes absolutis literis, Legatis exteras Provincias petituris adjungere, cùm ut officii publici administrationi attendere, vitare errata, benefacta notare, iisdem liceat: tum ut hominum, & rerum naturam videndi, nutus, & verba aliena cautiùs observandi, sua prudentiùs gubernandi, iisdem copia detur. Secundò: Fas erit publicis nonnunquam adhibere consiliis, non suffragii ferendi, sed aliorum prudentiam, & consilia noscendi causâ. Ex quibus & Reipublicæ negotia penetrent, & Legatos cùm audiunt, Legatos agere discant, & dum consiliis intendunt, jam à consiliis esse incipiant. Datâ iisdem veniâ loquendi, ad excitandam industriam, non oberit quandoque eorundem sententiam, & judicium percontari. His ferè stimulis, atque principiis imbutos juvenes, lectissimos cum tempore nanciscetur Respublica Patres, & servatores.

QUÆSTIO POLITICA.

An felicius regnum, cui bonus Princeps, à consiliis mali; an è converso?

Pro Consiliariis Bonis.

Mira quæstio. Exigua est regno felicitas, quacunque problematis sorte tangatur. Quòd tamen dicenda felicitas sit, cum Principe malo, consiliis bonis est adscribenda. Sortis enim ludus est potentia quævis, ac solium, consilio non directum, tam gnaro præsentium, quàm præscio futurorum, Seipsam mole suâ conficit virtus etiam maxima, ubi caret consilio. Hoc enim effecit frequentiùs, quòd vis nè ausura quidem fuisset, nedum potuerit. Ipsum etiam Principem sua, id est regni in commoda flectit, vel nescientem, vel antè non volentem, quàm se decrevisse jam cernat. Idque feliciùs, quantò augetur usu ipso consulentium virtus, dum contrà vis aperta momento deficit. Inclinationes, & sensa Principis quia præsciunt, obicem aut remoram sapienter statuunt à consiliis, quia boni. Duo sunt Reipublicæ tempo-

pora, belli, & pacis. Utrôque, etsi malus sit Princeps, felicitati consultum est publicæ, si boni sunt consulentes. Feliciùs, quia securius bellat cerebrum, quàm dextera, & calybs. Facilè triumphat gladius, dum æmulus jacet antè consilii victima, quàm arenam subierit. Non vincere, sed suorum sinè strage, imò & commodo vincere decus est. Habet hoc Respublica, dum malo etiam vexata Principe, consulentibus bonis nititur. Prærogativa hæc solius est consilii. Ampliùs semper sunt verenda sapientûm consilia, quàm exercitus dominantis. Aut enim grande est regnum, aut modicum? Si grande? quantùm magnitudini addis corporis, tantò ampliùs destinas vulneri, quo sauciari possit, nisi præcaveant consilia. Si contrà exile sit: ubi consiliis agitur, tantò ampliùs crescunt modica, quantò leniùs serpunt. Celantur tum consilia plurimùm, nè vim amittant, ùt aquæ odoræ spiritus. Cuniculis qui agit, hostem celat. Si pacis sint tempora, ferè Princeps malus cùm agere multa ipse aut nolit, aut nequeat, paucis intendit. Tum enim vero abstracto in alia omnia Principe, securiùs Reipublicæ commoda promovent, qui à consiliis. Securior tum illis cadit fera, cùm nè vestigium patet. Rubere corallia cernimus, dum patent; quasi verò erubescant & consilia fructu irrita, si malo Principi pateant. Celant tum sensa, ùt pectus natura, cui Momus scrutando petiit fenestrellam. Nunquam nempe meliùs operatur bombyx, ac dum obvolvitur. Et meritò: terretur ampliùs, qui saucium se sentit, nec opinantem. Ampliùs torquetur hostis malo, quod non præsagit. Delectatur Princeps commodo, quod non prævidit, etsi malus sit, si deinde sentiat. Feliciùs nunquam provehitur Respublica, ac dum exteri tua verentur omnia, quia, quid timendum sit à consiliis excubantibus. non penetrant satìs. Néque modus,neq; res dum patent,cruciant singula. Ut æstimatio, sic metus sæpe major est eorum, quæ non videmus. Nunquam audaci pede vadum tentabis, cujus te fundus latet. Sic evenit Reipublicæ consiliis optimis communitæ. Hinc ea Regnorum omnium, & Regnantûm cura, ut consiliis floreant, quibus sapientia acus, Probitas sit cynosura. Radicem arboris qui

exedit, tametsi florentissima sit arbor ipsa, pessimis nunquam meliùs imminet cæptis, ut eandem evertat. Sic, qui Rempublicam tentat elidere, raró Principem ipsum petet, donec antè radices succiderit, id est consilia. Consiliis res omnis volvitur, ùt orbis polis. Infirmus ubi axis est, aut ruit, aut exitio proxima moles est. Starent imperia, pessimis etiam gubernata Principibus, si sors eadem beâsset lætior, consiliis meliorum. Magni legimus hodie nominis umbras, quia his basibus caruêre. Quàm felix Roma! dum, tametsi non auditus, vixit tamen Seneca: quia quamvis pleno non licuerit prodesse arbitrio; Sapientia tamen fecit, ut sentiret orbis, quid sapiens & probus malo etiam sub Principe possit; si velit. At quàm lugenda orbi patuit scena, ubi non aulâ duntaxat, vel aure Principis, sed vitâ caruit. Usque adeò verum est, felicitas publica major sunt proborum Consulentûm suffragia, etiam sub iniquo imperio.

Pro Bono Principe.

Felix infelicitate suâ est corpus, cui dum languent membra, caput viget. Desint officia, non deest tamen mens omnium moderatrix. Acerbior contrà pestis nulla, ac quæ ab affecto capite manat in membra. Hoc unum vigoris, vitæ, valetudinis fons est, & delicium. Calamitas, defectus, exitium certa sunt Reipublicæ, cui malus Princeps. Acerbiùs fatum nequit furere, quàm si hoc feriat fulmine. Valentissima Consulentûm membra quid agant, nisì se ut perdant, dum insanit caput? Illud est, quod cùm arbitrio utitur, non ratione, optima etiam pessumdat consilia, ut adeò corruptio optimi non nisì pessima fiat. Dum contrà, estò mala sint consilia, bonus si sit, qui imperat, aut aget ipse, cœlo ferente suppetias, aut certè effectui non dabit consilia saluti publicæ pernitiosa. Consultor ipse sibi, & anima executionis. Erret Cœlo Saturnus, Jupiter, aut Venus; rarus est, qui Planetæ minoris errorem sentiat, quia rarus est, qui observet. Erret sol unus die, Luna nocte, orbis omnis compatitur. Illustrior nulla est sors sorte

Prin-

Principum; at vel eò, in ruinam perinde, si malus, aut florem Reipublicæ, si bonus sit, gravior: quia quot stipantibus latera, tot vitæ, verborum, actionum testibus cingitur. Nunquam solus est, cujus nutus ipsi, & sensa suos habent exploratores. Potentiùs mephitis nocet, dum ex edito oritur, quia aurâ quâvis in vicinia latè dispergitur. Execrabilior est murex, & purpura vitiis squallens, quam levis etiam umbra magìs deformat, ac alium noctes integræ. Privilegium hoc, an pœna sit regnantûm, anceps esto, centum oculis ut observentur. Neutrum judico: sed calcar potiùs, quo stimuletur in honesti regulam semper, qui agere, aut loqui potest nihil, quin agat orbi. Ut âcriùs impellit pondus, quod ab alto vires sumpsit, ac impetum: sic potentius est exempli pondus malos etiam in consulentes, si bonus sit, qui clavum tenet. Cynosura hic unus est, quem remiges perinde, id est populus; ac turba cætera studiis suis prosequitur. Regiam ferè viam quisque diligimus. Aut convertuntur, aut frænantur Consulentium etsi malorum studia, dum imperantis exemplum, aut imperium est, aut frænum contrarii. Tacito semper pudoris, metûs, vel doloris agitur stimulo subditus, ubi bonitas Principis malitiam exprobrat, & vel silendo bonitatem accendit. Panthera, si fides Plinio, odore feras allicit, ut perdat: idem præstat exemplum boni Principis, suis Patriam, Patriæ suos, se utrisque ut servet. Da mala consulentûm ingenia, sequi cogentur Principem bonum. Rectè enim facere cogitur, qui in momenta docetur. Non potest non regnare in Curiis æquitas, in templis religio, in communi vita tranquillitas, ubi Princeps bonus est. Nihil enim membra sinè anima possunt. Rectè sensit: qui Ectypon Principis populum dixit, & consulentes. Reddit Echo vocem, quam accepit. Virtutes, & vitia Principis, omnis Respublica. En fundamentum felicitatis. Voluntas, & potestas, quàm distincta sunt nomina, tam diversa in Reipublicæ commodum sunt momenta. Quid, amabò, possit voluntas consulentûm, quantumvis optima. ubi dominantis potestas aut ligat, aut evertit omnia? Contrà verò, quid voluntas, pessima quantumvis, in rui-

ruinam poſſit facilè, quæ, nisì altiore libretur pondere, in auras abit? Quoties audivêre conſilia Titi, Juſtiniani, Ferdinandi, non ſervandæ, ſed evertendæ Patriæ ſin deſtinata, certè opportuna? Quàm glorioſi iisdem eliſis? Quàm felix Patria uno horum arbitrio? Caſura ſecùs, ſi conſulentûm votis ſors ſuos junxiſſet furores. Nempe ſolis lumine utut non illuminentur omnes; ſic tametſi non ſentiant lumen noctuæ, ut ſequantur, ſentiunt, ut crucientur. Sic Principis bonitas, quantùm bonos afficit, tantùm ſin trahat, cruciat æmulos, ut floreat Patriæ. Hanc præelige, quisquis Patriam diligis.

§. IV.

Virtutes, & vitia Magiſtratuum eorum, qui à conſiliis.



Remige cum Zephyris dum concordante phaſelus
  Alta petit, tumidis tum bene fertur aquis.
O quoties ires fauſto res publica curſu!
  Nî diſcors ſtudiis turba miniſtra foret.

DOCTRINA POLITICA.

DUplicem inferiorum Magiſtratuum ſortem cum Lipſio 2. Pol. c. 3. adſtruo. Conſiliis alii, & obſequiis alii, & officiis Principem, & Rempublicam juvant. Vulgus illos *Conſiliarios*, hos *Miniſtros* aulæ, vel officii nominat; Quamquam Cauſinus Diſ. 45. eos, qui officia exequuntur, *Adminiſtros* dici malit; qui verò aulæ addicti obſequiis, & Principis lateri conſtanter adhærent, *Miniſtros* dicendos putet.

Viros, qui à conſiliis Principum ſunt, *rerum peritiâ*, & *fide* præſtantes cupit omnis Reſpublica, à quibus belli & pacis conſilia in Principem manent. *Peritiam* duo conſtituunt, *morum Patriæ, hominúmque notitia*, ùt ſuprà dixi. Ad conſilium, ait Tullius de Rep. dandum, caput eſt, nôſſe Rempublicam; ſecùs de colore differet cæcus. Accedat *ſcientiarum* peritia, cumprimis *doctrinæ morum*, ut videlicet omnia non tantùm commodo, ſed æquitati, religioni, & conſcientiæ conſonent. His adde *Jurisprudentiam*, *Eloquentiam*, quæ prudenter concepta, diſertè, & fundatè exponit: *hiſtoriæ cognitionem*, ejus præſertim, quæ Principis Majores, Patriam, vicinos, hoſtes concernit: *linguarum* demum peritiam, atque *Politicam*.

Fides eorundem in virtute, & probitate ſtatuitur, ùt vult Lipſ. 3. Polit. c. 4. *optimum* enim quemque etiam *fideliſſimum* meritò aſſerit Plinius. Virtus certè regulabit virum quemque *ratione ſui*, *Patriæ*, & *Principis* ſpectatum, quàm optimè. Regulabit conſiliarium *ratione ſui*, ut caput rerum, & conſiliorum *taciturnitatem* colat. Marmori inſcripta ſint omnia, quæ coram hoc in deliberationem venerunt. Nunquam certè res magnæ ſuſtineri ab eo poſſunt, cui tacere grave, ità Curt. l. 4. Trium rerum fuga tacere te faciet. *Vino, fæminâ, pecuniâ* abſtine. Magni viri dictum, & experientia regionis cujuſdam erat, conſilia ſtatûs nôſſe omnia, generoſiore vino ſepultis domi ſuæ conſiliariis. Utebatur hic nempe, ùt dicebat Ambroſius, vino inſtar dulcis equulei;

lei; ut, quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentet bibendo, ut Patriæ statum, salutem Civium, defensionis suæ consilia hoc pacto prodant. Fit enim, quod ait Seneca ep. 48. quod onerati mero, quemadmodum non continent cibum vino redundante, ità nè secretum quidem. Dixi 2dò *fæminâ.* Blanditiæ, versutia, adulatio, forma, in hac hyæna, aurea sunt vincula ad elicienda animi arcana: quæ si vel uni detecta sint, jam triviis, & tonsoribus omnibus nota erunt, tuo sæpe exitio, ùt Samson sensit in Dalila. 3tiò *pecuniis.* Paræmiâ enim veteri vel Deos aurum fascinat. Procul ergo à consiliis ii, quorum fides alteri Principi est obstricta, quos hodie *pensionarios* dicimus.

Perficit consiliarium virtus ratione *Patriæ*, ut eidem *liberè* consulat, & *constanter.* Utrumque maximè necessarium Patriæ, & Principi. Cùm enim nullâ re magìs aulæ laborent, quàm iis, qui verum dicant, è mente Senecæ l. 6. de benef. c. 30. nihil æquè necessarium Principi, ac modesta consulentium libertas. Hi enim, cùm vi muneris *quæ optima*, non *quæ suavissima* sunt, dicere deberent, sæpius magìs cùm fortuna Principis loquuntur, quàm cum ipso, ùt habet Tacit. 1. hist. Cujus amor, vel timor dum animum obtinet, ità, ut gratum tantùm consilium adferre velint, vel consequi aliquid sperant, multa sæpe dicenda tacent, verùm sensum suum celantes, suspensa, & quò inclinatura videntur, respondent, ità quandoque ambiguè, ùt opposita velle, & loqui videantur. Liberè ergò loquendum cum Principe (quanquam modestè) nunquam tamen de Principe. Sermone puro, dilucido, plenóque ponderis, non prolixo, aut affectato.

Constanter consulere virum decet. Meritò Carolo V. in Consiliariis vacillatio invisa, quos ùt maturè deliberare, ità seriò statuere semper decet. Quid enim boni speres à mutabili consilio, quod (ùt bene culpat Salustius) ex aliena libidine huc, illuc fluctuans, interdum alia, deinde alia decernit; ùt eorum, qui dominantur, simultas, aut arrogantia fert, ità bonum, malúmve publicum existimat? Ut nihil dicam de solius inconstantiæ nota merito suo omnibus invisa. *Morum gravitate*, quam vir-

tus suprà dicta ingenerat, si consiliarius emineat, constantiâ consulendi non carebit.

Perficit demum virtus ratione *Principis*. In quem cum inviolata fide *Modestiam* indit consiliario. Hinc *liberè* loquendum Principi, *modestè* tamen suprà monui. In Principem quidem modestiæ specimen Hephæstion dederit; cui cùm à Magno Macedone jus datum fuisset liberè Principem admonendi, libertate hâc sic usus Hephæstion est, ut Curtio teste, magìs permissum à Rege, quàm à se vindicatum crederetur. Offendit contrà Calisthenès, qui tametsi Regi eidem diceret, quæ oportebat, non eo tamen modo, quo decebat, asperitatis censuram non evasit. Ad eandem modestiam referenda est modestia in alios, quæ patienter collegarum sententias audiat.

Quatuor consiliariis pestes vitandæ. 1. *Affectus*: omnes quippe homines, ait Salustius in Catil. *qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet.* Præsertim verò moderanda est *ira,* cum qua nihil rectè fieri potest; ùt suprà fusiùs dixi Qu. & §. ultimo Ethicæ. Item scopulus maximus *avaritia,* quæ Salustio omnia venalia habere dicitur. Hanc suam cujusque utilitatem, allegat causam Arist. 7. Pol. c. 9. cur mercatores à consiliis sint removendi, vel hoc ipso parum magnanimi, & splendidi, & sententiâ affectibus excæcatâ. Sapienter tamen advertit Lipsius, posse consiliis quoque adlegi mercatores, ùt Batavi, Veneti, Genuenses hodie, dum videlicet famulorum operâ; non se ipsis ea munera exercent curarum vacui magìs.

Vitanda 2do *discordia.* Sæpe enim, quod observat Tac. 1. hist. *stimulat privati odii pertinacia in publicum exitium*, quod consequi necesse est, cùm Plutarchi sensu: *infirmum reddatur, quidquid inter se diffidet.* Unde Aristides, & Themistocles: ante pugnam cum Persis ad Salaminem tentandam, privatas, quas inter se inimicitias foverunt aliquo tempore, Patriæ in finibus posuerunt. Hâc ipsâ causâ sapienter Alphonsus ante Senatûs cujusvis propylæum Fanum concordiæ se arbitro censuit erigendum, in quo senatores consultaturi, privatas simultates,

&

& odia ponerent, in Reipublicæ ſolius commodum depurato animo conſilium adituri, ùt ſuprà indicavi.

Vitanda 3tiò eſt *celeritas*, nisì conſilium in arena, ùt dicitur, caſu ſic ferente ſumendum ſit. Nihil enim magni diſcriminis conſiliis tam inimicum, quàm celeritas, ait Liv. l, 31. ut quæ ferè improvida, & cæca eſt. Sapiens erat Leonis Imperatoris monitum ex Philoſopho 6. Eth. c. 9. ad filium ſuum: *delibera tardè, nisì aliqua neceſſitas* (ùt ſuprà dixi, rei occaſionis, vel temporis) *celeritatem requirat, at ubi conſulueris, feſtinanter exequere.*

Vitanda demum ultimò eſt *pervicacia*. Etſi enim celebrârim ſuprà conſtantiam conſilii, nolim tamen ità contumacem ſemper conſulentem, ut quidvis patiatur potiùs, quàm ſententiam mutet. Meliùs enim eſt cum Luciano è medio curſu recurrere, quàm malè currere. Néque inconſtantis eſt (ùt habet Cicero pro Balbo) ſententiam tanquam aliquod navigium è Reipublicæ tempeſtate moderari. Alii porro ità naturâ ſuâ pugnaces ſunt, ut ſolis aliorum ſententiis contradicant. Bis ſtulti Lipſio meritò; ſive, quod omnes ſapere cupiant ab ore ſuo; ſive, ſi quid authoritatis in ipſis eſt, quòd crebris contradictionibus deſtruant.

QUÆSTIO POLITICA.

Utrum conſultius Reipublicæ, concordia, an diſcordia eſſe conſilia?

PRO DISCORDIA.

NOn ſemper diſcordia peſtem genuit. Pace ipsâ meliores ſæpe orbis ex hac radice fructus legit. Quò ampliùs à ſole luna ſejungitur, orbem illuminat ampliùs, quia clarior; lucem minuit, quo propinquat magìs. Minùs coquit ſol fructus terræ, cùm vicinior. Urit acriùs, dum altior imminet. Nihil oblectaret aures muſica; nihil concentus, organíque concordia, nisì diſcors foret. Raò felix eſt bonum publicum, ubi nimio inter ſe nectuntur glutine Optimates. Urbi & orbi ſervando utiliùs nihil diffidentiâ prudente. Mater hujus

jus diſcordia eſt ſententiarum. Sapientior in ſalutem corporis medicus nullus, ac qui damna dividit, quæ conjuncta cor opprimerent. Quid agat Princeps, ubi omnes unum excubant Argi? quia una in omnibus mens & ſtudium. Tum ſcrutandi, veſtigandíque mentes eſt animus, ubi alteri nemo, aut rarus ſuſpectus; quia nemo, aut rarus non æmulus alteri. Ac proinde, ùt duplici ſemper acie cernit animus parum pronus; nodum etiam in Scirpo, quod dicimus, quærit, ut error minimus obſervetur. Acutiùs ferè luſtrantur, & liberantur eorum ſingula, quos novimus ſtudiis diſſentire. & quia minimi ſic patent nævi, dum ſinguli placere ſtudent Principi, patent eidem latentia omnia; quo frctu? ut Reſpublica floreat. Opprimunt juncta pondera vires ſæpius. Æquilibrium diviſio fundat. Funambulus Politicæ eſt imago, ſi dexteram ſolam pondus gravet, quia prægravat, labi neceſſe eſt. Servandum æquilibrium Reipublicæ ſemper, nè violentiam patiatur. Donec æquali niſu aut aër, aut unda premit, violenta non ſunt; patitur corpus, dum æqualitas niſûs tollitur. Fornices ſummi potentiſſimè molem ſuſtinent ſuam, quia ſinguli lapides ſingulis obſiſtunt. Væ Reipublicæ concordes tantùm animos habenti! Colluſio eſt facilis, ubi par eſt ſenſus. Cedit unito robori, quod ſingulorum vim eluſiſſet. Facilis comes eſt junctis ſtudiis aut temeritas, aut audacia. Præſidit facilè, qui comitem ſenſûs ſui ſe novit habere. Diſcrepabat Romæ plebs, & Nobilitas, Tribuni, & Conſules, & regna ſubegit. Diſcordia ipſa hydræ virus latens ſæpe præfocat. Tolerant nonnihil medicorum placita febrim in corpore, donec noxius conſumatur humor. Sic noxia Reipublicæ adimuntur ſtudia, dum nihil regem latuerit. Latebit nihil, ſi diſcordes tantiſper ſint Optimates, ſciſſis námque partium ſtudiis ſinguli ſingulorum actis & verbis, ùt Rhadamanti intendent. Elementa ipſa niſi forent diſcordia, ſibi orbis non conſtaret.

Pro Concordia.

Regni ſalus concordia eſt conſulentûm. Hoc munita præſidio tuta ſunt vaſtis etiam regionibus diſſita im-

peria; quæ ſi conjuncta locis forent, vix ſecuritati ſuæ ſat conſuluerint. Faciliùs multò præpeditur exitium à catenatis, quàm diviſis. Prunas junge, ſe mutuis fovebunt præſidiis; quas ſi dividas, vim omnem ammittunt. Corona rumpitur, dum grana mali punici ſe cernuntur. Non urit per cauſticum vitrum ignis noſter, quia radios quaquaverſum ſpargit. Ureret non ſecus, ac ſol, ſi concentraret in focum. Nunquam excidio vicinior eſt Patria, ac dum inteſtinis lacereatur diſſidiis; armorum fomitem habes, ubi diſcordia eſt animorum. Quæ in hoſtem æmulum, aut publicum commodum acui, & intendi oportuiſſet, germano cuduntur ſanguini tela, ruinæ mutuæ intentantur. Actum eſt de ſalute publica, dum pax privata non colitur conſulendo. Quos ſumma junxit poteſtas, pudeat privatâ ſimultate diſtendi. Raró centrum idem diſcordes reſpiciunt animi, Patriæ nempe felicitatem. Valent membra, dum pacem ſervant qualitates concordes. Confundi valetudinem pronum eſt, ubi hæc valetudinis elementa diſſentiunt. Confuſionem omnis trahit diſſenſus, ruinam porro confuſio. Callidis machinis ſubvertuntur conſilia, dum anima diſſident, jámque ipſum Patriæ diſplicet commodum, quia ab inviſa mente promotum. In herba felicitatis ſpes omnis eliditur, dum aut ſemen præfocatur, aut morâ res omnis evertitur, aut retardatur ùt minùs, quò Respublica ipſa non nisì mutilâ ſibi plaudere poſſit felicitate. Et quantum, oro, tormentum Principi diſcordes conciliare ſententias? ignem antè aquis conjunxeris, quàm diſcordium terminos conſiliorum; quæque connecti eſt impoſſibilitas, alterutrius ſequendo placitum, alterius emendi odii eſt acerba ſemper neceſſitas. Invicta ſtetit Numantia etiam in illum Heroëm, quem Africa tremuit, donec ſibi concors. Cecidit hoſti victima, dum præda ſuorum antè diſcordiæ cecidit. Néque mirum: ſeipsâ majór ſemper eſt virtus concordiæ. Nervus adeſt conſilio, & executioni robur, dum una omnibus eſt teſſera. Divide, ſi quem imbecillem volueris. Ut amicitia aut ſervat, aut firmat omnia, ſic perdit diſſidium.

§. V.

§. V.

Virtutes & vitia Ministrorum, & Administrorum.



Tutus fune super tenso ut funambulus erres,
Armat utrimque gravis pertica longa manus.
Lubrica res regnum est; si vis stabilire, memento:
Ensis ut indè manus, & liber indè gravet.

DOCTRINA POLITICA.

Ministrorum, quorum via, & vita quò magìs cum Lipsio 3. Pol. c. 11. lubrica est, eò magìs unà *prudenti cautelâ* virtus definitur; nè, ùt habet Augustinus, per pericula ad grandius periculum perveniant. Diverbio enim veteri: *aula omnes laqueis plenæ.* Nec Malæa ulla tot scopulis, & periculis fallax, quot infamis est aula naufragiis, per ipsas sæpe blanditias, & honores exitium struens vel maximè caventi. Calumniantium non caret insidiis, quibus criminatione subdolâ, & latente infametur ignarus, imò palam laudatus laudem ferat ideo, ut incautiùs decipiatur. *Prudentem* tamen velim esse *cautelam*, non umbris quibusvis, & insidiis animi bicordis innixam, quæ omnia etiam

tuta vereatur, sui ipsius & hostis, & tortor. Cautelæ comes erit *modestia*, quæ scilicet, è mente Plinii, non Principis, sed suâ se fortunâ metiatur. Certè populo perinde, ac Principi suspectus is jure est, qui suprà statûs decentiam, comitatûs splendore, vestium, & conviviorum luxu diffluit, inertiæ magìs, quàm industriæ, & ministerii ostentator. Habendus ergo dignus statu cultus, sed quasi is ipse admissus duntaxat, non studiosè curatus. Absint universim ministro pestes geminæ, *simulatio*, & *adulatio*, suprà Qu. 1ᵃ jam damnatæ.

In Principem *fides*, *ac reverentia*, ùt suprà jam dixi, clavum omnium virtutum teneat cum *probitate*. Voluntatem Principis, ùt vehementem, sic mobilem, sæpe sibi ipsi adversam vereatur minister, & revereatur. Quantùm proinde in omnia Principis obsequia semper intentus est, tam indagandis curiosè Principis arcanis abstineat, nec nisì moderatione summâ, sibi credita gratiæ in vicem excipiat. Denique accedat frequens, insinuet comis, amet fidus, ut amari mereatur. Sed & nimiùm vereatur amari. Plerumque enim nimiùm felices successus exitus habent præcipites, quia summa diu stare loco nesciunt. Testis Sejanus, qui par propè Tiberio, ejusdem imperio trucidatus. Petrus de Vinea Friderico II. summus, occulis demum orbatus. Görczium ævo nostro Suecia, alium Hispania, plures regna plura non nesciunt. Ferè námque felicitas nimia aut arrogantiam, aut invidiam æmulantûm ut pariat, est necesse

Administrandi denique præter integerrimam in Principem fidem, fines operum suorum eosdem statuant, & inviolatè custodiant, quos Princeps in Reipublicæ solius salutem constituit. Fons enim ille est, hi canales salutis sunt publicæ. Hujus obtinendi causâ, cùm adversa evenire ferè necessum sit in exequendis imperiis, *magnanimâ patientiâ* firmari animum oportet. Hæc regula est magna agendi, & ætatem (quod in aula est rarius) provectam consequendi è Romano Philosopho l. 2. de Ira. c. 33. *injurias ferre, & gratias agere.* Rectè porro agendo neminem vereatur Administer. Tametsi enim

non

non contumacem, firmam tamen frontem desiderant negotia publica, inquit Seneca de tranquillitate.

Obsequii promptitudinem sic muneri cuivis promptam impendat, ut scopulum duplicem Jactantiæ caveat. Primus est præfidentia, quà ceu pluribus par, multa nimis humeris imponit, quibus cùm distrahitur, aut, succumbere cogitur, aut ingenti Reipublicæ detrimento obiter & confusè peragendis se potest impendere. Integrum magna quæque negotia, ùt dicere solemus, sibi hominem deposcunt. Fatiscit Atlas sub pondere geminato. *Jactantia* alterum caput est, quod de Heraclide ille apud Philippum Macedonem, & Pisone legimus. qui cùm otium diligerent, negotiis se sufficere jactitabant, omnia agere se posse censentes sinè cura, non alio, quàm ostentationis noxiæ fructu, quo Principi, & aliis invisi effecti sunt. Nolim tamen exhinc vel sollicitudine nimiâ anxios teneri administros, vel minora sapientiâ, dexteritatéque suâ sibi assumere: sed universim, *quid valeant humeri*, spectare. Hæc qui agit Administer, ùt non obvius fortè est, ità auro, cedróque dignissimus: dignus certè, quem vel Roma lapideum inter populum colossis suis accenseat.

QUÆSTIO POLITICA.

An armis, an consiliis magìs servetur Respublica.

PRO ARMIS.

PUdet comparari armis consilium, & consilio arma. Ardua sibi semper deligit virtus. Gloriatur sentibus; & quia arduis pascitur, non nisì per decumanos obices palmas legit, & coronam. Sudore, & labore diffluit, ac pene fatiscit armorum contentio, dum inglorio squallet otio, & torpescit consilium. Meditabitur, vel somniabit potiùs belli, pacísque fructus Respublica, ubi operantium armorum fragor consiliis pondus non dederit. Fugitiva semper est regnis felicitas, arma fugam impediunt, vias omnes prævertunt. Noverint modum, se-

riem, eventum Curiæ; quid felicitatis fundabit notitia, si virtus cum Hercule desideretur? Nisi manum admoveas remo, nunquam navis insidias evadet malaciæ. At hic labor, hoc opus armorum est, non consiliorum. Gloria, & securitas sementis prædulcis est, alteri non cedit falci, quàm executioni. Servatur utroque, & augetur Respublica, unà & armorum tutelâ. Lustremus imperia; quot reperias mentes, quibus ùt nihil grande nimis, aut horridum, sic speculationi modus, via, moles omnis quàm perspectissima sunt, Grandia sunt consiliorum oracula! at simul, ac admovenda clavo fuerit dextera; ubi audendum, agendum, languent, concidunt omnia. Nempe diversæ est aleæ speculari grandia, & conficere. Rarus, qui aut velit, quia arduum; aut possit, quia decorum istud: speculatio plurium decus est. Bella, & arenas etiam inter pocula crepant multi, tentânt pauci. Quantùm generosi mero, tantùm metuentes sanguine. Aliud est in conclavi, vel inter pocula, aliud in stadio, & virtute hostem fundere. Audent id multi, quia temeritatis: possunt hoc pauci, quia solius est dos, & cos virtutis. Quâ num servetur Respublica? Politicorum dubitat nemo. Facilè de summa rerum, de sanguinis gurgite decernitur, ubi tuta omnia, & pax pleno annuit risu. At cujus hic fructus? nisì armorum. Discepta de præliorum eventibus: periculis bellorum, quantum libet: nisì arma rem statuant, ages nihil. Audendo, & agendo, non segnibus consiliis servata sunt cum Roma imperia. Nunquam tormentum bellicum hostem aut proteret, aut arcendum terret, nisì igne tonet admoto. Difficilior semper sors est, virum viro opponere, quàm consulere. Multi de rebus gestis perinde, ac gerendis dicunt sententiam, quas gerere vel nôssent, vel ausuri nunquam. Rivales habet sexcentos securitas Reipublicæ semper, at solo consilii illicio non capitur. Virtute opus est, ut teneatur. Viros amat ausuum, non ingeniorum duntaxat. Millena consilia acue, executionem deme; tantùm egisti, ac si colossum, cui pondus innititur, ademreris. Tolle arma, ægyde carebit Provincia, quæ armis fulta, cruore hostico, lactis vice pasta terminos produxisset.

Ener-

Enervis, & ludibrio eſt, vel audaciæ, vel arrogantiæ, vel proterviæ etiam ſapientiſſima ratio, ubi vires arma non fulciunt.

Pro Consiliis

INfelix publicum, ubi futuris non præcavetur periculis, non proſpicitur momentis. Nihil in orbe inſidiis magìs obnoxium, quàm Respublica. Felix, qui huic operam locat. Divinitatis teſſeram poſſidet, qui communi bono cùm poſſit, & conſulit. Meritò Deorum cenſui adlegit eos antiquitas. Hoc uno námque nomine nihil in orbe divinius. Actis, & agendis illuſtratur, creſcit, & ſervatur omnis Respublica; quid agat pro decore, nè dicam pro commodo, quod conſilio non fundatur? Tolle cerebrum capiti; ſibi dedecus, orbi probrum erit, parvum orbis compendium, homo. Tolle conſilium, ſibi gravis, ludibrium orbi erit Respublica. Vis metiri gloriam, felicitatem, robur? conſilia dimetire; menſura conſiliorum, plenitudo eſt omnium. Malè cohærent inter ſe ſingula, dum hæc amuſſis non diſpeſcit ordinem, cauſas librat, caſus amolitur. Mole ſuâ ludibrium concidit, quod fundamento hoc caret. Turbo primus ſuæ ſtatuit protervìæ, aut temeritatis exemplum. Futura proſpicere, moderari præſentia, aſtum aſtu prævertere, legibus ſancire omnia, ſolius eſt conſulentis Jovis, aut Palladis decus: & his parta ſervatur felicitas imperiorum. Opere contrà explere ſtatuta, conſummare ſancita, minoris res ponderis eſt, & momenti. Ut ictum duntaxat fortuitò librare aut arcu, aut baliſtâ, res eſt facilis admodum, dura econtra, certiorem in perniciem deſignare centrum: ſic elumbis eſt ipſa etiam fortitudo ſi vivat, dum conſilii animâ caret. Non terrori, non gloriæ, ſed direptioni deſtinatum eſt regnum, pro quo vigil non excubat oculus. Hebes eſt, qui rei librandæ immemor ſolo armorum fremitu rem confici omnem exiſtimat. Sexcenta non potuit vis, quæ prudens moderatio præſtitit. Tutiùs, & feliciùs feris hoſtem conſilio, quàm calybe. Tempus hodie vivimus, ſi Tacito credas, quò plura conſiliis, quàm

telis gerenda, & manibus sunt. Victoriæ non quæruntur, sed sponte fluunt ad arbitrium, Provinciæ lauri locô properant ad cingendum triumphatorem, ubi caput gladii oculus est consilii. Quod ausus tentavit Abderita, cui non plus erat oculi prospicientis; quàm dexteræ armis instructæ? Non solum jam caput oculus obtinere debet, sed & manum, dum pro Patria est agendum. Rarus hodie, qui agenda lance acri vestiget. Quàm multa, etiam vilissima quæque promovet servile obsequium; rebus magnis mens necessaria est. Epibatarum sudore promovetur triremis, sternitur gregarii militis furore æmulus. At ignotas ex astris per maria vias legere, latentes scrutari rerum fines, periculis & prævenire venturis, & venientibus obviare, animi res est altioris, quàm sola sit dextera. Sæpe acies mentis viam pandit, quò mucro non potuit, Præcurrit ad lauros consilium, sequitur gladius.

Consummat iste duntaxat, quæ sapiens illius diphtera jam confecit.



QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Momenta ſervantia Reſpublicas.

§. I.

Authoritas, & benevolentia, ſalus Principis.



Ut ſol, ſic nimios radiorum temperat ignes
Ut foveat pluviis, non ut inundet aquis.
Præmia ſic Princeps tribuat; nè quem obruat illis,
Sed magè ad officium provocet, atque fidem.

DOCTRINA POLITICA.

A Magiſtratibus variis ad momenta tranſeo Rempublicam ſervantia, de quibus, ut cum Ariſtotele 5. Pol. c. 9. ſentiam, tria præ cæteris ſunt. Magiſtratuum *in ſubditos amor. Potentia* ad exequenda ſtatuta. *Virtus*, atque *Juſtitia*. Hæc ſi adſint in Principe, duo illa, quibus Lipſius, Cauſinus, & cum his omnis Politicorum torrens ſervari, & firmari cenſent Rempublicam, adeſſe neceſſarium eſt. *Authoritatem* ſcilicet, & *benevolentiam*. *Authoritas* enim *virtute*, & *po-*

tentiâ, benevolentiâ, subditorum in Principem, Principis in subditos *amore, & justitiâ* conciliabitur. Pauca de singulis delibabo.

Authoritas Lipsio 4. Polit. 8. est *impressa subditis, aut exteris opinio reverens de Rege, ejúsque statu.* Nihil, vel certè parum admodum sinè hac Princeps domi, forísque. Tria, per eundem Politicorum Principem, parant authoritatem, *forma imperii, potentia imperii, mores imperantis.* Primum est *forma imperii*, quam severam, constantem, & adstrictam esse oportet. *Severam*, cùm sapienter advertat Cicero pro Mil. maxima peccandi illecebra, spes sit impunitatis. Unde certus Principis contemptus sequitur. Severitas hæc tamen sic adhibenda, ùt quæst. priori §. 2. de justitia dixi, scilicet ut clementiâ in tempore mitigetur. *Si* enim canit Vates: *quoties peccant homines, sua fulmina mittat Jupiter, exiguo tempore inermis erit.* Multos fragor terret, paucos fulmen sternit. Quodsi tamen pervicacia sint vitia, illud Publii certum sit: *crudelem medicum intemperans æger facit.* Solum enim hic pietatis genus est, esse crudelem. 2dò Constantem esse oportet, ut inviolabilia semper velit, quæ semel sapienter constituit Princeps. Procul ergo novatores, Religionis præsertim, & legum, qui ferè *etiam recta commutant*, novitatis adducti libidine, *ut aliquid de suo videantur adferre*, ùt ait Quintil. Nunquam ergo mutanda vetera, nè quidem consuetudines, aut ritus gentium, nisì aut summa necessitas, aut summa, & certa utilitas suadeat. Velut, cùm lex *noxia*, aut *inutilis* per tempora, & circumstantias esse incipit; quemadmodum exponit Aristoteles ipse. Et tum quoque *leniter* absque strepitu, gradatim, & lentè mutatio facienda est; quo solo, Dione teste, sibi Augustus firmavit imperium, non omnia simul exequendo, quæ volebat; in quo Julius vehementer peccaverat. 3tiò *Adstricta* sit imperii forma, ut præcipua vis, & honor non solùm à Principe, sed etiam in Principem sit. *A Principe*, ut res maximas omnes ipse aut agat, aut lustratas confirmet: ut innotescat omnibus, ab eo omnia expectari tanquam arbitro, re, ac nomine Regio. Sed & *apud Principem* honor maneat, nemi-

nemini aulicorum ſe inſtar Macedonis erga Clitum & Hephestionem facilem nimis exhibendo; præſertim, ſi quis audax, de vili, rerum non ſatis peritus, vel in deteriora propendens; ùt bene obſervat Contzen. l. 8. c. 4. Quia per Philoſophum 5. Pol. c. 11. communis Principatûs cuſtodia eſt, neminem unum nimis magnum facere.

Secundùm authoritatis parandæ medium eſt *potentia Imperii*, quæ propriè eſt *facultas, propria ſervandi per media idonea, & aliena obtinendi cum jure.* Parum enim videmus dominatûs inter animantia obtinere ea, quæ imbellia ſunt viribus. Sed de hoc breviter agam, cùm de bello; cùm iisdem potentia paretur mediis, quibus bellum geritur, & promovetur.

Tertia ad authoritatem via ſunt *mores imperantis.* Hi ſunt duplices, *interni*, qui in animo; *externi*, qui in corpore reſident. Illi ſunt virtutes, præſertim providentia, ac pietas, & religio, quæ vinculum eſt fidei, & humanæ ſocietatis; hæc enim ſaneit fædera, & nectit animos. Ubi contrà religionis eſt diverſitas, alii alios velut impios adverſantur, Et quæ ſit, amabò, ſocietas, aut amicitia inter cives? obſervantia in Principem inter ſubditos? Merito Lipſius: *religionem evertit, quisquis libertatem inducit, ex qua confuſio, & contemptus.* Potentiſſimus nempe eſt religionis affectus ad audendum, cùm adverſarius adeſt. Et quæ hìc Majeſtatis ſecuritas? cuicunque enim faveat, adverſantem partem ſentiet alteram. 2dò Providentiæ comes eſt induſtria Principis, & Magiſtratuum; quæ ſi ſapientiâ nixa ſit, ſalus adeſt Reipublicæ; ſi vigilantiâ fulciatur, ſecuritate beat cives, terrore hoſtes exarmat. Externos mores, ſpecies corporis, Majeſtas frontis, non acerba, vel affusâ, ſed maturâ comitate gravis efficit; quam cum velocitate ingenii, & naturæ dotibus non vereantur ſubditi, ſed revereantur,

Benevolentia definitur à Lipſio 4. Pol. 8. ſubditorum in Regem, ejusque ſtatum prompta inclinatio, & amor. Hunc Civium amorem inexpugnabile Principis munimentum nominat Sav. Symb. 38. Tria eandem Reipublicæ comparant: *lenitas, beneficentia, indulgentia.* Lenitatem facta, & verba probent, omnia velut ſereni cœli, & riden-

ridentis solis faciem exhibentia: hoc enim Senecæ consilio fit, ut juxta Tacitum, & meliùs, & fideliùs pereatur à subditis. Omnia tamen temperanda sunt. Huc revocaverim curam Principis, ut facilis sit subditis ad eum accessus, exemplo Rudolphi I. satellitibus suis dicentis: *per Deum sinite homines ad me venire, non enim ad imperium ideo sum vocatus, ut in arcula includar. 2dum* est *beneficentia*, quia per Senecam beneficiis meliùs custoditur imperium, quàm armis. Sed & hìc vitandus est scopulus prodigalitatis; cui, quâ causâ, & quantum tribuatur, ut spectet Princeps. Nam ùt observat Tacitus 2. annal. modò simplicitas ac liberalitas, nisì modus adsit, in exitium vertuntur. *3tium* est *indulgentia*, id enim est hodie ferè ingenium hominum, ut *nec totam servitutem pati possint, nec totam libertatem*, Tac. 1. hist. c. 16. Quare curandum, ut quantùm sinè luxu, vitæque licentia, & morum corruptela fieri potest. populus affluenter, & jucundè habeatur. *affluenter*, quod victum, & commoda attinet; cùm Tulii monito omnes, qui Rempublicam gubernant, consulere debeant, ut earum rerum copia sit, quæ sunt necessariæ. *Jucundè* habebitur, ludis videlicet, & voluptatibus æquis, qui hilaritatem foveant, non lasciviam fundent. Quamquam amorem hunc subditorum in Principem naturalis eorundem sæpe inclinatio vectigalem faciat. Præsertim si se à religionis ejusdem, virtutis præsertim æquitatis, & sui amante non tantum audiant, sed experiantur, & sentiant gubernari. De religione satìs dixi. De æquitate per judicia, & amorem in subditos pauca privatim.

QUÆSTIO POLITICA.

An expediat Reipublicæ multas dari immunitates?

Affirmatur.

NIhil tam divinum homini, quàm bene mereri de aliis. Hâc largitate potentiâ pariter, & affectu diis

diis par eſt Princeps. Nemo parere non gaudet ei, cujus pondus, quantùm gravat, tantùm ſpes recreat, merces etiam, ut expetatur; oblectat. Nullum potentius dominandi eſt genus, aut ſublimior ſervitus, ac immunitatibus parta. Vincula ipſa gaudens tolerat, quæ injecit gratia. Felicem namque cenſet ſe omnis, cùm ſubeſt ei, per quem felix eſt redditus. Optimum ſecuritatis genus eſt, benefactis rapientibus animos ſe munire. Rapit nihil magis, quàm immunitas collata. Securitas certa eſt, dum præſidio ſunt gratiæ. Tot pro ſe mænia fundat, quot immunitate quis dotat. Feliciter expugnatur animus, ubi hâc liberalitate certatur. Nîl ſeritur irritò, quod ſic profunditur. Circumſtant benignum læti oculi, candor, fiducia, ſequitur memoria ſempiterna. Parcum contrà moroſi, ſimulatio, dolus, oblivio. Tam ferè neſcitur, qui non vixerit. Amore munitur ſolium; non amari non poteſt, pro quo beneficia linguæ ſunt, ut ametur. Hac de cauſa Princeps, ut firmamenta regnorum, amorem, & honorem referrent, tot in aulis munera, & dignitatum gradus excogitârunt, ut inſonti profuſione, dum immunes reddunt plures oneribus, publicam ſecuritatem fundent, Majeſtatem ornent. Reſpublica nulla eſt, quæ togâ perinde, ac ſago illuſtria non cenſeat nomina, horum meritis ſæpe etiam populo immunitas ſit ſolatio. Principis, Reipublicæ, remuneratorum causâ. Hoc uno munere par diis eſt Princeps. Auro privata etiam penus munerari virtutem poteſt, at immunitate Princeps ſolus. Reſpublica immunitate donata quantùm creſcit affectu, tantùm virtute in Principem; ſibi decora, exteris formidanda. Nunquam indignus videri populus hoc munere debet. Etiam Piratis mare, idololatris terra eſt libera, ſol idem eſt omnibus. Tyrannis ipſa tolerabilis vulgo creditur, ubi immunitas aliqua liberalem populo Principem probat. Tam enim hæc in illo amabilis, ut ſi deſint cætera, ametur ex una; ùt contrà odio ſit ex uno rigore conſtanti, ſi cætera adſint omnia. Remunerati porro immunitatibus provocati ſe Patriæ, ſibi Patriam probant. Torpere ardor neſcit, cui hoc calcar ſubdideris. Larva ſæpe perſonata eſt diſcrimen, umbrâ non merito ſuo terrens.

Has

Has adde gratias invitantes, nihil metûs obtendet larva periculi. Hanc metam præfige ſtadio, præcipitia ipſa erunt amanti compendia. Eſtò, ars & natura nocendi artibus ſudet, invia belli, pacíſque artibus nulla eſt via, cùm bravium immunitas eſt. Malo immunitatum prodigum, quàm tenacem. Sibi prior nocens prodeſt aliis; hic bonus nemini, ſibi peſſimus, dum felicem reddit neminem, odia omnium nundinatur. Non horreo condenda ſementis eſt, ùt tumulo, ſed ùt penui. Reſerandum in tempore, credenda auræ in tempore, legetur fructus cum tempore. Munificum perinde; ac magnificum nihil magìs, quàm Roma, & Græcia, quo fructu? ſtetit, crevit, floruit orbi utriusque imperium. Obſit privatis immunitas, non obeſt publicis. Virtuti calcar eſt, cui nullum ſatìs pretioſum adamantem natura, magnetem protulit gratia.

NEGATUR.

PErnicioſius corpori virus nullum, ac quod viſcera: Reipublicæ, quod adoritur leges. Ut corpori pro illis, ſic Principi pro his magìs ſemper pugnandum, quàm pro focis. Aperta vis eſt, quæ petit mænia; occulta, quæ leges incidit. Pernicioſior hoſtis, qui cuniculis agit, quam qui palàm claſſicum intonat, & flammas loquitur. Serpit ille, & nervos exedit, fundamenta convellit; hic eminus ferè, & incerto vulnere ſauciat. Tuti ſemper ſunt finibus limites, ubi ſuum legi robur conſtat, & vigor. Hæc ſanguis publici eſt corporis, quantùm vel vitias, vel adimis ſanguinis, tantùm roboris, tantùm vitæ ademiſti. Si porro lex quælibet uniformitate, ut ordo ſtat concordiâ civium: immunitate pereat, oportet. Inviſus paſſim redditur publico, qui exemptus; ſuſpectus eximens; temeritatis hic, adulationis ille ſin meritum, cenſuram certè vix, ac nè vix quidem evadit. Plebem tangit invidia, pares æmulatio, ſæpe eximentis perinde ac exempti diſcrimine; pari certè contemptu, & quod ſequitur, odio. Diſſolutionis nutrix immunitas eſt, dum, quia communi ferè pondere premitur populus, tantùm ſibi plaudit exemptus, quantùm inter myricas cupreſſus. Quid, quod &

beno-

beneficium desinat esse gratia . quæ traduce sive in populum, sive in familiam duntaxat gradu ducitur. Temporum lapsu fons esse vix creditur Princeps., à quo constanti alveo derivatur. Acuit fidem, amorem. virtutem immunitas. O pulchra nomina! amatur principio, labente tempore proterviam stimulat. Fomentum exitii tempus efficit, quod gratitudinis esse fomitem oportebat. Rarò respondet populus muneri, quia rarò gratiam assequitur Principis. Oneris penè tædere jam incipit, cùm immunitas libertatis virus palato offundit. At si immunitatem hanc non multitudinis, sed personæ malis; Objectum mutatur, non periculum. Raris si conferas, æmulantes acuis; víxque sentitur dulcor, qui guttas aliquot torrentis afficit. Pluribus commune si facias; vilescit, quod passim confertur. Impetûs namque censetur profusio, non virtutis præmium. Credas multiplicato munere semen ingratitudinis multiplicari. Utimur immunitate, dum incipimus; abutimur ferè, dum tempus fluit. Ampliora cancrenæ instar sibi semper deposcit jura libertas. Spernitur contrà lex, quæ non omnes, vel non pari pondere gravat. Gravatur ferè alienæ cervicis jugum, quod adimitur suæ. Ut nihil exempli vim referam. Naturâ ipsâ semper faciliùs trahit libertatis, quàm observantiæ semita. Regna consule. Rarum cernas, cui, immunitas seditionum, aut pestium aliarum semen non fuerit. Utinam non sensisset Bizantium, Græcia, Roma, Germania! dum in periculis Patriæ immunitas sola, sera navium, æris, annonæ, militis subsidia sistens, exitium Patriæ maturavit.



§. II.

§. II.

Judiciorum ratio, & disciplina Civium.



En mucro, pro meritis usum est ad utrumque paratus;
Vulnera ferre malis, munera ferre bonis.
Cernat ô hoc utinam gens subdita, & experiatur!
Nec mora: qui ferrum est, aureus orbis erit.

DOCTRINA POLITICA.

JUdiciorum æquitas fundatam servat Rempublicam; quâ neglectâ, cùm jaceat observantia legum; marcere Rempublicam consequens est. Sceleratos reperiri ubique mortalis facit conditio, puniri ratio dictat: cùm nimia in sceleratos bonitas, extema sit ferarum crudelitas. Judicibus ergo tanquam animato jure, ùt eos nominat Contzen l. 7. Pol. c. 22. consulendum Reipublicæ, qui mediatores sint, partes æqualitate juncturi; sed & arbitri sint, lites scissuri, vindices scelera multaturi, quorum causâ fasces & secures Consuli Roma constituit.

Quamquam pro varietate causarum, delictorum, & eventuum, imò etiam multitudine, multos variarum li-

tium

tium Judices à Principe ſtatuendos Rerum publicarum uſus nos doceat. In omnibus tamen hæc cumprimis obſervanda ſunt paucis. I. Judicium omne eſſe adminiſtrationem juſtitiæ in cauſa cognita per judicem. Hinc duas judicii cujusvis partes conſtituo: primam cognitionem cauſæ; & ſecundam pronuntiationem ſententiæ. Perſonis tribus definitur: *actore*, qui litem intendit; *reo*, cui lis, vel dies dicitur: *Judice*, qui auditis partium momentis ſententiâ ſuâ litem terminat. Dotes in eo has præcipue petit publicum bonum. *Imò* timorem Domini, qui ſanguinem, qui per judicia vel funditur, vel ſugitur inter partes, de manu judiciis requiret. *2dò* Potentiam, quæ audaciæ, & temeritati protervæ frænum injiciat. *3tiò.* Fidem, & candorem non modò malo, ſed nè ſuſpicione quidem mali laborantem. *4tò.* Contemptum pecuniarum. & munerum: quâ causâ Turcarum, & Sinarum patiuntur imperia; & Thebæ ſinè manibus judices effigiabant. *5tò.* Legum, & conſuetudinum peritiam exactam. *6tò.* Sedulitatem, & ſolertiam in litibus cognoſcendis, & terminandis, quas Juſtinianus quidem de judiciis loquens, ultra triennium nunquam voluit producendas; ſed, quæ ſors temporum noſtrorum eſt, ut optare quidem id liceat nonnunquam, vix, ac nè vix quidem ſperare.

Litibus promovendis hæc ferè idonea ſunt. *Imò.* Sinè judiciis ſententia tentanda unio partium. Melior enim eſt ſemper macra concordia, quàm pinguis ſententia. *2dò.* Supervacanea, præſertim dilationes in jure tollenda; & malitia litigantium, vel provocandi licentia (quæ ſola ſæpe litium cauſa eſt) caſtiganda. *3tiò,* Pauperibus ſtatuantur Advocati, per quos ſi dubia cauſa ſit, potiſſimùm faveatur egenis, viduis, & pupillis, quorum hoc caſu eſt æquior cauſa.

Quatuor Judicum animos à recti ſententia amovere poſſunt. *Imò.* Timor præſertim Potentûm, aries vehemens animis infirmandis, nisì potentioris, Dei videlicet timor dominatum cordis obtineat. *2dò.* Cupiditas, ſeu lucri, & commodorum aviditas. *Quid* enim *non mortalia cogit pectora auri-ſacra fames?* *3tiò.* Amor, quo

consanguineos, affines, vel amicos suos complectuntur. Hinc velata Themis figurabatur veteribus, quam néque auri fulgor, & personarum delectus fascinet; aut miseratio potiùs à recti tramite possit dimovere. *4tò.* Odium, quod veneno suo & livore etiam æquissima quæque vitio laborare existimat. Interpidum proinde, cupiditatis, amoris, & odii expertem judicia arbitrum poscunt; quibus Reipublicæ salus nititur. Judiciorum porro regula semper sit *Lex*, quàm meritò litium rete nominat Contzen 5. Pol. 11.

Lex hìc cum D. Thoma accipitur, non pro pæcepto tantùm, quod ad tempus imponitur, sed pro constanti *ordinatione rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Dico: *constanti,* quia perseverat, & successores quóque ac pósteros obligat. Dico *2dò. ordinatio rationis*, cùm enim lex non tyranni, sed Patris in morem imperet, bonum publicum spectare debet; iniqua lex ratione caret. Dico *3tiò: ab eo, qui curam communitatis habet;* nam legem condere, mutare, vel abrogare summæ tantùm est potestatis. Leges nulla non ætas, & Provincia habuit, ut meritò salutem civitatum Arist. 1. Rhet. c. 4. eas nominet, cùm videlicet ad pacem inter cives servandam ùt necessariæ sunt, ità plurimùm faciant. Peccata enim cùm evenire oporteat, leges quóque condi oportuit, quarum regulâ etsi peccata non tollantur penitus, servantur multi, & qui perituri sunt, leniùs cadunt. Legis virtus per Modest. l. 7. de legib. est imperare, vetare, permittere, punire, & præmio afficere. Tria in his considero: primum est universale, & cumprimis curandum, videlicet, ut leges optimæ sint, quæ mores fundent, non quæ affluentiam rerum curent.

Optimæ, & justitiæ consonæ erunt, si paucæ, breviùs conceptæ, tametsi etiam ad minora extensæ, à Principe statuantur. *Paucas* volo, ùt enim multitudinem morborum pharmaca, sic corruptissimam Rempublicam, & perditos mores legum multitudo indicat. Erant tempora, quibus legum copiâ laborabatur: ex quibus, cùm una sæpe alteri esset contraria, confusionem multitudo gigneret

ret ipsa, hirudines quondam non Advocati partium emerserunt, quibus lites in immensum excrescerent, dum demum universas Justinianus arctaret. Olim lex tota erat moderantis arbitrium. Hodie paucæ sint leges, optima erit Respublica. *Breviùs*, & *clariùs conceptas* cupio, quia cùm observandæ sint omnibus, obscuritas inexcusabilis esse debet; hæc enim sola est, quæ disputandi, & errandi sufficit causam. Verbo: legum pugna, Causidicorum præda; dum videlicet legibus munita Respublica legibus ipsis per eosdem evertitur, dum huc, illúcque non ratione, sed libidine leges trahuntur. Denique ad minora etiam sic extensas velim, ut cum frænum luxui spectaculorum, vestium, ludorum, & conviviorum statuitur (quorum luxuriam *ægræ civitatis indicia* nominat Seneca Epist. 114.) sua quóque lex sit ponderibus, mensuris, & modis quibusvis, pecuniæ cum æquitate lucrandæ, ex quorum neglectu scelera, & turbas in Republica oriri necesse est.

Alterum, quod in legibus curandum, est, ut non omni genti lex eadem imperet. Ut enim diversæ sunt inclinationes populorum, ferventium, mansuetorum, servilis animi, ità legis variæ, & severioris, aut minùs asperæ cura esse debet. Diverso jure gaudet Germania sola. ut cætera sileam; Belgium, Saxonia, Austria testes sunt, singulæ diverso jure utuntur. Quæcunque verò lex lata fuerit sapienti consilio, nunquam omnino mutanda est, & abroganda è mente Cleonis, nisi è mutatione legis ingens utilitas certa sit, & nullum Reipublicæ obventurum incommodum cognoscatur.

Tertium est: quòd, cùm *plurimi homines sint*, ùt observat Dio, *qui nec benignitate, nec beneficiis in officio contineantur*; atque adeò pænales quóque leges esse oporteat, quibus plectantur, qui peccaverunt, non tam ipsi ut pereant, quàm ut ipsi alios pereundo deterreant. Tria in pænalibus his legibus præ cæteris notanda sunt. Primùm delictis gravibus gravia statuantur supplicia, ut mitigatio ipsa gratia esse possit. *2dò*. Pœnæ pro ratione personarum temperentur. *3tiò*. Nemo ab hac exemptus sit.

Unde tametsi Principem; legis authorem, à lege ipsa plecti congruum non videatur, cùm superiorem sua in Republica se Princeps non habeat; tamen si suis leges cordi esse cupiat Princeps, se ipsum iisdem regi, & gubernari ostendat, faciens ipse, quæ præcipit, conformia præceptis subditorum facta exemplo magis, quàm lege impetraturus. *Patere* aiebat Cato, *legem, quam ipse tuleris.* Certè si Platoni l. 5. de legib. fides sit: paratum exitium illi civitati est, in qua non lex magistratibus, sed magistratus legi præsunt. Hinc ævo digna vox illa Trajani, electo Prætorii Præfecto, cùm eidem gladium in manus daret, dicentis: *hunc cape ensem, & si bonus fuero, pro me: sin malus, contra me utitor.* Manlius certè filio, lauream ab hoste quantumvis cæso reportaret, non pepercit, eò quòd contra legem prælium inivisset. At illustriùs longè est Seleuci, qui, cùm filius adulterii reus in jus vocaretur, nè legi labem inureret, ejusdem servandæ causâ sibi unum, filio alterum oculum effodi nìl pensi habuit. Claudat Aristoteles 3. Pol. c. 12. si quos præesse oportet, ità suis præesse oportet, ità sunt præficiendi; ut sint custodes legum, & ministri.

Postremum, quo se amari sentiant cives, atque adeò amorem Princeps extorqueat, est cura ejusdem solers, ut artium quarumvis, liberalium vel maximè disciplinarum studio liberi eorum excolantur. Injurius est Reipublicæ, & hoste quovis deterior, cui juventutis institutio cordi non est. Ut enim in semente spes messis, sic in liberorum educatione est spes civitatis, & Reipublicæ. Pallas Principi in amoribus semper sit, non ea duntaxat, quæ armis, ùt sequenti videbimus sectione; verùm ea magìs, quæ pacis studiis Rempublicam decorat, & conservat. Stabat Græciæ pro foribus bubo signaturus Athenas, non secus, ac Gorgonis caput Martis sacrarium indicabat. Bove, non Jove imperii digna erat vox illa. omnia sapientûm scripta; & scientias omnes dignas esse flammis, & oblivione. Quid enim obganniunt caudices ejusmodi? hebetari optimarum mentium ad alta natam indolem; emasculari robur heroicum; ad lucernam, & pluteum contabescere animos; solitudinis, non illustris facino-

noris patrandi, aut Patriæ tuendæ causâ reddi idoneos, & quæ furfuris ejsdem sunt vetera. At verò retundunt ruditum istum sexcenta lectissimarum mentium exempla, quæ sic utrâque Pallade claruerunt, ut testimonium orbis tulerint, usque adeò se claros orbi futuros nunquam fuisse, nisì, quæ dextera literis digna gessisset, dextera eadem perenni memoriæ consecrâsset. Convincit quotidiana experientia, multum ruditatis, feritatis, & barbaræ truculentiæ iis inesse gentibus, quarum Provinciis Minervæ sacris est interdictum. Quid felix ea in Republica, amabo, cùm stolo in purpura leges rogat, dum Arcades in consiliis, & judiciis sententiam dicunt, indolati trunci, & stipites moderantur omnia? Speciosum cadaver sinè anima. Turcicum testetur imperium, cujus sapientia, & nobilitas omnis uno in calybe. Monstra dicas immanitatis, non decora furtitudinis, quæ celebrant ipsi Amurathes, Mahometes cum reliquis. Quàm longè sibi ipsi dissimilis Russia, ex quo artium variarum studiis gens illa Magni sui Principis curâ excollitur? Adde literas, Russiam in Russia propediem desiderabis. Quid enim Musis antiquiùs, quàm ut cultu faciant mansuescere gentes, & è rudi marmore Memnonis miracula renovent? Convincit denique Europæ cultioris tot regnorum, & Principum concors sententia, quâ nîl Reipublicæ gloriæ, & utilitati duxerunt congruentiùs, quàm Academiis, & literatorum cætibus ornare Provincias, laborem improbum incitare stipendiis, reditibus levare tædia, & privilegiis grandibus stimulare, fundare, & dotare Gymnasia: eâ quidem contentione, & studio, ut quiritari jam non nullis visum sit digniùs, quòd abundent, quàm quòd antè caruerint Athenæis. Quamquam momento unico quiritationi causam adimas, si non copia, sed delectus, quem in milite legendo omnes commendant, in Musarum quoque Alumnis imperio Principis observetur. Néque enim omnibus doctam datum est penetrare Corinthum. Quid verò proderit Reipublicæ numerus? fruges consumere natus, non parare. Onerabit, non ornabit; evertet, aut turbabit potiùs, quàm servabit.

QUÆSTIO POLITICA.

An consultius Reipublicæ, jus dici ab exteris?

AFFIRMATUR.

REgnorum basis Themis est. Dum ordo Reipublicæ esse desinit anima, latrocinium est, non civitas. Infirmâ basi nititur, quod ad Justitiæ libellam non est fundatum. Salus una Reipublicæ æquitas, æquitatis porro interest Judicum delectus. Alienos prætulerim jure, quorum jus ferè feliciùs. Quid enim necessarium magìs jura dictanti, ac libertas affectuum? Hâc ferè præ cive triumphat exterus. Solem Ideam statue, Judex esse si cupias. Radius ejus inæqualis est nulli. Procul Judicem, qui amicus est. Arbitrum fora cupiunt, non Patronum. Veletur oculus, stringatur dextera, nulli pateat odii vel amoris illicio. Causam námque, & momenta discerni, non sanguinem, formam, originem, petunt Curiæ. Alieni hæc dos certa est judicis, non domestici. Puriùs videt oculus, quem glaucoma non vitiat. Glaucoma porro obscurius nullum est, ac quod terræ plurimùm vehit. Non movetur sanguine, quem aliena tulit regio. Sinceriori liberatur, & triumphat pondere veritas, cùm patrocinio caret originis, merito tantùm suo fidens. Felicitas judiciorum puritas sensuum est, & libertas. Nihil affectum flectit, aut laqueat; dum familiarium nemo, qui clientelam sumat, est coràm. Raró omni caret labe domesticus. Natura ipsa pronum causæ dum facit, si non fascinat, dubia certè reddit ejusdem pondera. Par quidem in omnes fulmen contulit dignitas, sæpe tamen in columbas sævit acriùs, mitiùs in aquilarum pullos, quantumvis nocentes, sin prorsus prætereat. Graviùs premit pondus, quod, quia destinatum omnibus, in paucos cadit. Facilem patitur lex, quamvis stricta, exceptionem, ubi sanguinis jus præcellit. Hinc ea mens Principum plurium, exteros rerum arbitros legere Curiis, Provinciis statuere. Clarior Apollodorus Athenis, Apollodo-

lodoro Athenæ › quia exterus Athenis fasces gessit. Nunquam Genuenses tanto sibi plauderent flore, nisi in lustra singula exteros litium arbitros adsciscerent. Divinum enim vrrò consilium! Peregrina nempe, ùt cibos aromata, sic condiunt, aut asperando prædulcia, aut temperando calida, aut animando frigida, atque adeò valetudinem firmando, vitam servando. Consulitur Patriæ, dum indefessa exterorum industria quietem nescit. Ad hæc circumspectiùs longè, quia omnium oculis in se intentis; cordatiùs, tanquam ignotis: impensiùs, qui æmulantum impulsa studio agit plurima, dum aut otio langueret domesticus, aut affectu illectus torpesceret. Quo minùs spei à subsidio est alieno, tantò acriùs virtutem exserit, quæ sola extero patrocinatur. Confidentià ferè est in judicio indigenæ. Terror contrà ab extero, quia cùm alienum ùt solo, sic moribus nôrint, vindicem pavent, quem sola causæ gravitas in vindictam exacuet, re nullâ in patrocinium perorante, nedum inclinante.

N e g a t u r.

POtentius nihil natura tulit, & gratia amore. Vinculum hujus adamantinum & orbi, & menti, ubi sedem fixerit firmam. Saccharo condit fructus ars, ut ætatem ferant inoxii, & dulcescant. Dulcorat, & servat amor omnia pari naturæ ludentis miraculo. Triumphat amor, dum domesticus est, qui jura dictat. Hâc causâ præ exteris domesticos adlegi consortes imperii, moriens Cyrus jusserat filium. Ut enim odiorum, sic ferè motuum fomes est potestas exteri jus dicentis. Æacum execratur populus, Astræam diligit. Sola illis lancem librat severitas, quia ùt animorum, sic & morum discors est sensus, atque adeò factorum perinde, ac consiliorum. Quantùm linguâ, tantùm ferè diffident studiis gentes. Non sterilis adeó aut mentis, aut virtutis ulla est regio, quæ suppares curiæ non gignat arbitros Themidis. Et cur domesticis exteri palmam eripiant, livore æmulos, turbine Patriam repleturi? quos Lycurgus nè Lacædemone quidem, nedum curiâ dignos censuerat,

Scrutare fora. Ubi nationum colluvies, aut discordiæ, aut odia dominatum tenent. Et has flammas jungat prætorium? Nunquam quos dissidia cives lacerant, in idem consilium Patrum nectet Senatus. Invisus Romanis Julius; Macedonibus Alexander, quod Persis hic aurem, ille Gallis curiam & senatûs munera fecisset obnoxia. Præsignavit vetustati discrimen Græcia. Causa erat, quam dudum Alcibiades arma movens prædixerat; quòd neglectis indigenis togâ & sago jura exteri dicerent, concordibus nunquam studiis Patriæ commodo consulturi. Cui néque seritur, néque metitur fundo in peregrino; vespillo magìs est sæpe felicitatis Patriæ, quàm arbiter. Dicis fascinari amore domesticum judicem. An acriùs fascinet odium? problema esto. Felix, qui faventem causæ nanciscitur Judicem, dimidium litis obtinet, si in Prætorio Prætor faveat. At nunquam favet, qui exterus. Roris in morem fæcundat alter, hic pruinæ acrimoniâ cuncta concoquit. Non causæ merito, sed præjudicio mentis, vel non maturâ satis deliberatione definiens, vel suis sæpe commodis studens. Unicus ferè, vel calamus piscatorius est exterus Judéx, in eam se inclinat voraginem, ubi præda adhæserit. Injice auri pondera, æquilibrium rupisti. Nunquam illius gladius oleâ cingitur. Districtus semper, non præscindendis, aut vindicandis sceleribus, sed frugibus metendis. Adde judiciorum caput præcipuum, jurium Reipublicæ notitiam. Horum ignarus ferè est exterus. Placent peregrini soli, ùt origo, sic instituta. Et quanta novitas, quæ Reipublicæ pestis est, tum verenda? Displicent námque alieni ferè partus. Et audacter tentat leges rogare, ubi alienus à gente est animus, cui jus dictatur. Consilium id quondam Mecænatis Augusto datum, Romanos curiis deligeret arbitros, tum quia Patriæ institutorum conscios ampliùs, tum nè Rempublicam innovarent. Quid, quòd jacentibus domesticis semen futurus sit exterus, cujus exemplo pares ambiant gradus: donec Regnum ipsum in regno sero quidem, sed non mutando eventu requiras.

§. III.

§. III.

Belli ſtudia, & conatus.



Hinc aquila, indè leo dum regna tuentur, & ornant,
Illa minax triplici fulmine, hic enſe minax.
Parce timere ullum, ſit quamlibèt efferus, hoſtem:
Eminus hæc feriet: cominus ille petet.

DOCTRINA POLITICA.

Dixi de communibus Reipublicæ ſervandæ momentis. Supereſt ultimum, quod ſui & ſuorum potentem ſic reddit Principem, ut ſine eo regnare diu vix poſſit; cùm temporum vitio parùm tuta ferè Majeſtas ſit ſinè viribus. Vires has, ſeu potentiam Principi opes, arma conſilia, fædera, & fortuna parabunt. Hæc in pace Principem tutum, in bello victorem conſtituunt, non tuendæ tantùm, ſed & amplificandæ Reipublicæ parem. Sæpe enim Reipublicæ ſervandæ causâ Principi in arenam eſt deſcendendum.

Bellum Lipſio 5. Pol. 3. eſt, vis & arma in Principem, aut populum alienum. Duplex quidem id eſſe ait Plato: *internum* ſeu *civile*, & *externum*, ſeu *peregrinum*. Ve-

rùm civile bellum, quamquam magìs nocivum ſit Reipublicæ, eò quòd proprias vires atterat, non tam bellum dicendum eſt, quàm potiùs poteſtatis executio. Aliud eſt *defenſivum*, quod tuendo; aliud *offenſivum*, quod invadendo alterum geritur. Bellum, quamquam cum Manichæis Hæretici oblatrent multa, ſecundùm ſe licitum eſſe, ſcripturæ teſtimoniis, exemplis ſacris, & ratione certum eſt. Nam ſi quævis perfecta Reſpublica ſibi ad beatè vivendum debet ſufficere, quomodo, amabo, ſufficiet Reſpublica, quæ ſui ab hoſtibus tuendi eſt impotens, nequit ulciſci injurias, neque per vim rapta ſibi poteſt aſſerere?

Tria proinde in bello omni conſidero. Principium, proſecutionem, & terminum; ſingula erroribus ſexcentis obnoxia ſunt. In Principio requiro *Juſtitiam*. Hæc habebitur Imò ſi à legitima poteſtate, qualis eſt Regia, vel ſummi Magiſtratûs, ſuſcipiatur. *2dò*. Si cauſa juſta adſit; id eſt, ùt habet Auguſtinus l. 22. contra Fauſtum c. 74. tom. 6. v. g. ultio injuriarum: ſi, quia gens vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt; vel reddere, quod per injuriam ablatum eſt. *3tiò*. Ut ſervetur debitus modus in illius proſecutione, & victoria, cui recta intentio ad commune bonum addatur. Sæpe enim fit, ut bellum juſtè, & pacis, ac tranquillitatis ſtudio cæptum, ſucceſſu temporis nocendi cupiditate, ulciſcendi crudelitate, feritate rebellandi, libidine dominandi vitietur.

Dixi ſuprà juſtam belli cauſam eſſe *injuriam illatam*; hanc *gravem* eſſe oportet, ſeu illatam, ſeu certò inferendam, niſi bello præoccupetur: nam *levis* ad excuſanda tam gravia damna, quæ bellum infert, non ſufficit. Juſtum ergo univerſim eſt, cùm ab æmulo injuſtum bellum infertur, quia naturalis juris eſt & ſe, & ſua tueri. *2dò*. Ad graves ſuas, vel fæderatorum injurias vindicandas, & repetendas res ab aliis detentas. *3tiò*. Cùm Religio Orthodoxa impetitur; quia quæ religioni, eadem infertur DEO injuria, ac proinde vindex illius cauſæ DEI eſt vindex. *4tò*. Ad plectendos complices, & adjutores belli injuſti. *5tò*. Cùm fæderati injuſto bello

lo petiti, aut innocentes oppressi opem implorant. *6tò.* Cùm Princeps exterus seditionem movet domesticam. *7mò.* Si violentur Legati, quos Jura Gentium, tanquam pacis, & conciliationis fæciales, esse volunt sanctos atque immunes.

Injustum porro est bellum, ditionis tantùm amplificandæ causâ susceptum. Quamquam Machiavellus, Latronum magìs, quàm Principum institutor, nil pensi habeat, imò laudi summæ id tribuat, si fraude, vel Marte orbem omnem sanguine, flammis, & turbinibus impleat, gloriæ, & triumphi cupidine, ambitu, & dominandi libidine, nocendi rabie, luxu, felicitate, & inquietudine mentis insaniens Princeps.

Quare, si aliàs unquam, ad bellum cauto opus consilio. Carò sæpe stetit belli temeritas præcipiti animo. Facilè enim, ùt observat Salustius, bellum omne suscipitur, sed ægerrimè desinit; nec in ejusdem potestate initium, & finis est. Unde nunquam suscipiendum videtur, ùt bene Augustus apud Suetonium, nisi major emolumenti spes, quàm damni metus ostendatur. Id fiet tribus, à Lipsio constitutis, ante bellum curatis: *Apparatu*, *Viris*, *Consiliis*.

Nomine *apparatûs* intelligo res necesiarias ad usum belli, ùt sunt pecunia, comeatus, arma. Opes enim, seu pecunia belli nervus sunt, & quemadmodum in animos hominum, ità in loca, & munimenta, vel adamante obsessa dominatum exercent. Argentangina Demosthenem olim; Philippici, vel aureæ, & argenteæ hastæ etiam magnanimos tributarios reddunt. Hoc de alienis. De propriis porro sic intelligendum est; quòd miles proprius leonino more in hostem ruat, cùm stipendiis ritè acceptis suis sibi prospectum videt pactis à Principe. Neque enim timet miles, quando vestitus, armatus, calceatus, satur, & habens aliquid in zonula, ità Lampadius in Alex. c. 25. Aderunt cætera ferè omnia, &, quod caput est, amor in Principem, & ardor bellandi in milite, si hâc rerum animâ, & dominâ pecuniâ sustentetur. Non libet ire per multa. Hollandia verticem tum cæpit altiùs tollere, cùm nervum Hispano sustulit, addidit sibi, interceptis opibus Orientis. Ludovicus XIV. orbem quoties

ties circumegit? hoc uno potens in omnes, & omnia. Felix ergo Respublica, quæ Aristotelis placito 2. Pol. c. 7. ærarium sic semper conservat paratum, ut publicis belli sumptibus impendia suppetant. Quod si enim eâ causâ utilitati publicæ consulendum non foret per ærarium pinguius, quia hosti in prædam cedere potest, nemo mortalium opibus pro dignitate parandis posthac det operam, quia lavernionum, aut belli periculis pariter omnia sunt exposita. Sic suis rebus Veneti, imò & Turcæ consulunt, thesaurum Reipublicæ communem annuis incrementis augentes, belli usibus serviturum. Fecisset id olim Sparta, meritò ab Aristotele reprehensa, non hodie nominis tanti umbra foret. Durum enim est admodum bella grandia gerere, & tum primùm viritim à civibus impendia corrogare. Duo tamen hìc cavenda à Principe: alterum nè jactantiæ, aut ostentationi opulentia hæc serviat, præsertim advenis eadem obtrudendo, cujus gloriæ apud Assyriorum legatos quæsitæ causâ Ezechiam plexum cælitus legimus. Alterum, nè avaritiæ ansam prebeat ærarium; dum (quod facile evenit) auri amore capta mens exitium Reipublicæ minùs curat, quàm ut æraria recludat. Quod ipsum excidii in Imperio Græco Bizantii causa fuit. Sentiat ergo civis à Principe, non suâ, aut gloriæ, sed Reipublicæ causâ opes augeri. Sentiet, si in pace res bello aptas adornet, bello orto conservet, quæ felicitati ejusdem serviunt.

Opibus *commeatus annonæ*, *arma*, & *præsidia* juncta sint. Unde enim vires militi, imò vita, nisì ab annona? Pauperies summa rabiem, desperationem, & defectionem causat. Arma non ea, quæ veterum, sed quæ hodierni Martis aut disciplina, exercitui curanda. Præsidia benevolo inter subditos metui, potentiæ & terrori in exteros serviunt. Arces, & castra, nisì naturâ loci opportunis admodum sita sint terminis, unde ob inaccessos aditus, & angustias itineris, aut fluminis, dominantur, frænum exiguum sunt in grandibus Reipublicæ motibus, etsi in modicis spernenda non sint. Præsidiis in meditullio Provinciarum, Belgium, & Hungaria, illustria bellorum theatra, præ cæteris triumphant. Sunt, qui pro-

probent, ingentes hostis cujuscunque obices; sunt alii, qui Galliæ, Turcarúmque exemplo in finibus duntax eadem cupiant. Quamquam sapienti illo Carolo 5ti monito, quo equo grandi (Gandavum intellexit) frænum necessarium esse dicebat: magnis etiam urbibus castra in præsidium ab hoste, frænum à cive addi posse existiment. Sic Neapolis cumprimis cum aliis Italiæ, & Germaniæ urbibus se tuetur.

Viri bello appti sunt, multitudo armata apta impugnare, & repupnare. In hac Dux alius, alius miles est. Rursus miles hic pedes, ille eques est. Dux caput est omnium; quinque in hoc universi exercitûs velut corporis spiritu requirit Lipsius: *Imò.* Multo bellandi usu scientiam, seu peritiam comparatam. Cujus fidit imperio, ruit miles, non tam pugnæ, quàm victoriæ certus. *2dò.* Virtutem generosam, sèu corporis & mentis vigorem intrepidum; ut qui de se dicat: *facta, non dicta, sequi te, miles, volo.* Leone tali duce, vel cervi palmam ferent, quam cervo Duce leones amitterent. *3tiò.* Providentiam, id est, cautus ut sit Dux. Piaculum enim est Plutarcho, bis in bello errare. *4tò.* Felicitatem, quam quidem solius DEI munus agnoscit Cicero pro lege Manil. Felicior nemo illo, qui dicebat: *veni, vidi, vici.* Tremit hostis congressurus cum tali, ùt Solimanus de Carolo 5to: *Fortunam Caroli timeo.* Idem recenter hostis Ottomannus de Eugenio, ævi nostri Camillo. *5tò.* Auctoritatem, quam præter dicta fama universi, & Nobilitas comparabit. Complexus hæc omnia sapienter est Cæsar, qui cùm adversus Legatos Pompeji Hispaniam peteret, ajebat: *vado ad exercitum sinè Duce.* Thessaliam contrà dum petiit adversus Pompeium, ait: *vado ad Ducem sinè exercitu.* Indicare volens, hìc milites tyrones sub præstanti Duce; ibi legiones præstantes sinè Duce illustri se reperturum.

Miles pedes equiti an præstet, vel è contrà pediti eques? Pollitici certant. Polybio eques præferendus videtur; meliùs alii, si de bello universim sit sermo, præferunt peditem. Cùm in oppugnandis, vel impugnandis urbibus non magnus sit equitum usus, nisì obsidentibus tegen-

tegendis. Præterea neque montanis, & impeditis in locis, quod ipſum Helvetii hodiéque obſervant. Unde & Tacitus de morib. German. omne, ait, in pedite robur. Lipſius ſapienter definit: ubicunque bona, & compoſita militia, pedes prævalet, apud rudes, & barbaros contrà, ait ille.

Militem non tam multitudo, quàm virtus hoſti formidabilem reddat. Duo ad hanc ſunt neceſſaria, *delectus*, & *diſciplina*. Delectus primùm eſt, nè videlicet purgamenta Urbium, ùt notat Curtius, eò confluant; videndum idcirco, unde, quo robore, & quàm patientes laborum centurientur? Deligendus idcirco domeſticus præ externo; & auxiliari. Externus enim miles ærario gravis, quia majori mercede conducitur; duci moleſtus, quia alienus, refractarius, infidus, in pugna frigidus, & ſinè pudore flagitii profugus; & *quid mirum?* ajo cum Tac. 4. hiſt. c. 76. *Non fide, non affectu regitur.* Dum domeſticus miles fidus magìs, atque obediens; acrior in pugna, quem Patriæ, & Principis amor accendit; par denique huic fides eſt, & fortitudo. Expertus id eſt Chriſtianus exercitus non uno damno ſuo vel noſtrâ ætate, majora longè emolumenta belli laturus, ſi proprio ſemper milite Cæſari pugnare licuiſſet. Cui malo ut ſapientia Caroli bello ultimo Turcico, annis 1715to, & 6to mederetur, ſuis militem omnem viventem ſtipendiis, ſui unius & belli Principis obſequentem imperiis ab exteris quóque Provinciis ſummens, eos legit biennio triumphos, quos luſtra bina vix datura credi poſſent. Atque hoc pacto militem exterum nunquam rejecerim; ſic enim non tam exterus, quàm domeſticus dici poteſt. Quamquam ſi neceſſitas poſcat auxiliari quoque militi locus ſit, modò corpus & robur è domeſticis ſit.

Cæterùm in delectu militis 5. ſpectanda: *Imò Patria*, bello aptiores una præ alia fert regio. Durabiles belli arduis Bohemi, ignibus cumprimis; non item Provinciæ adjacentes. Velitationi aptior Ungarus, par ratio de cæteris. *2dò. Ætas.* Regnorum regula ab anno 17mo, aut paulò ſuprâ militem ſcripſit. *3tiò. Corpus*, in quo Vegetii ſenſu, non tam ſtaturæ, quàm roboris habenda

eſt

eſt ratio. *4tò- Animus*, videlicet, ut audaces, & gloriæ cupidi, quibus cum Catone: ſerpens, ſitis, ardor, arenæ dulcia ſint ſemper. Vel, ùt meliùs Saluſtius, quibus ſudor, pulvis, & alia talia epulis ſint jucundiora. *5tò. Vita,* ſeu quo genere quæſtûs ſe ſuſtentârint; mirum enim quantum ad mollitiem, vel duritiem, ignaviam, vel ferociam iſta conducunt. Hinc lanionum turba ſanguini aſſueta præ cæteris.

Delectui *diſciplina* jungatur, cujus neceſſitas, & utilitas tanta, ut meritò tenaciſſimum vinculum & robur exercitûs dicatur Valerio l. 2. c. 7. Munus hujus primum eſt *exercitium*, quo videlicet miles in armis, & labore exerceatur aſſiduè; ut juxta Vegetium diſcat laborare, decurrere, pondus portare, & ſolem, pulverémque ferre; hæc militem indurant, qui cæteroquin otio conſeneſcit. *2dum* eſt *ordo*; miles ſinè ordine, latro magìs, quam cuſtos eſt Reipublicæ per Dionem. Neque utilius, neque decorum magìs homini quidpiam ordine. *3tium.* Cenſet Lipſius *coërcitionem*, quâ frænentur militium mores. Certè indomitum illum, & invictum nivibus, alpibúsque animum fomenta olim Campaniæ enervârunt, Armis vicit Hannibal, vitiis victus eſt. Continentia præ cæteris, moleſtia, & abſtinentia militem commendat. Continentia in cibo, potu, & venere. *2dò.* Modeſtia in verbis, nè videlicet jactabundi ſint; factis porro, Ducis ſui non tam ſigna, quàm nutus ſequantur. *3tiò.* Abſtinentiam, quâ à rapinis, & vi omni abſtineat. Denique diſciplinam mirum quantum ſervabit exemplum, quod in præmiis, pro merito decernendis exhibetur; robur, & virtutem militum utraque vehementer accendunt.

Conſilium denique bello neceſſarium ità eſſe exiſtimo, ut ſinè hoc exitium ſibi bellator certiſſimum accerſat, velut quod Matri temperamentum eſt optimum. Hoc *1mò.* occaſionem obſervat, & arripit, quæ fronte capillata, tergo clava eſſe conſuevit. *2dò.* Servit non nunquam famæ. *3tiò.* Securitatem nimiam, fiduciam, & hoſtium contemptum fugit; cùm ſæpe hoſtis, quem contempſeris, ipſo contemptu valentior fiat. Teſtes huius eſſe poſſunt ultimi motus Ungariæ, nunquam adeo funeſtos, & diu-

diuturnos ſumpturi progreſſus, nisì principia quorundam conſiliis viſa fuiſſent ſpernenda. *4tò.* Hoc inquirit in omnia: eámque ſibi magni Hannibalis laudem propriam facit, quòd omnia ei hoſtium, non ſecùs, ac ſua comperta ſint. Præſertim verò Ducis ingenium, & hoſtium mores, quàm optimè perſpectos habet. *5tò.* Videndum, quando pugnandum ſit, & quomodo. Celeritas enim nonnunquam rem omnem conficit, rurſus cunctatio expedit magìs, An vi apertâ hoſtis tentandus, an potiùs ſtratagemate? quod non licitum modò eſt, & tum ſacris Joſue, Davidis, Gedeonis &c. tum gentium profanis exemplis receptum, ſed & laude, commendatione digniſſimum. Cùm enim juſtum bellum ſuſcipitur, Auguſtino teſte, an apertè pugnet quis, aut ex inſidiis, nihil ad juſtitiam intereſt; cùm eum ſimpliciter perdere fas ſit. Fædera, & pacta fallere injuſtum; hoſtem, ſuave eſt, & fructuoſum. Melior enim eſt ingeniorum victoria, quàm cruenta. Ut ſimulare fugam cum Pæno, vel paucitatem militum; aliò iter vel tranſitum palam oſtendere, aliorſum reipsâ moliri; neque enim id facti mendacium eſt, quod hoſtis providus obſervare & potuiſſet, & debuiſſet. Abſint tamen univerſim crudelitas, & dolus ejusmodi, qui ex ſe malus ſit, ùt veneno puteos inficere, aut arma &c. Stratagema Duce digniſſimum, & optimum, cavere, & vincere ſtragemata adverſariorum.

Conſilii ejusdem poſt pugnam eſt, ut ſi eam clades excipiat, prælii unius aleâ non illico haſtam, clypeum abjiciat, & conclamatum eſſe pronuntiet. Cùm Mars communis ſæpe palmam victis, victori herbam porrigendam decernat. Novi tum igitur habendi delectus, nova auxilia quærenda; quorum ſi deſit copia, & poteſtas vires inſtaurandi, pax utilis, & honeſta, vel cum virtute, & dignitate mors reſtat expetenda. Quodſi verò victoria prælium comitetur, cautela, lenitas, & modeſtia eſt curanda. *Cautela,* ut à præda miles arceatur, donec planè vicerit; nè vel obruatur incautus, vel nimiùm cupidè inſequens, circumveniatur. *Leniter,* nè hoſtis deſperatione adactus in rabiem contra victorem reſumptis viribus violentus aſſurgat. *Modeſtia* denique, quia felicitas fragilis eſt, &

quos

quos diu prosecuta ùt sponsa est, repente velut fatigata destituit. Sunt, qui Romanorum veterum more, colonias in gentium victarum Provincias ducendas existiment, à quibus vereantur incolæ, & quæ motus secuturos compescant instar fræni. Verùm experientia testis contrarii est, colonias has sæpe magìs nocuisse, quàm profuisse victoribus; cùm coloniæ hæ ferè in mores eorum transeant, ad quos ducuntur, imò iisdem sæpe deteriores evadant.

Denique ad consilium revoca *fœdera*, quæ sunt pacta Principum, vel Rerumpublicarum, mutuæ amicitiæ in re quapiam societatis. His crevit olim orbis domina, Romana potentia; sinè quibus Reipublicæ, aut Principi diu præesse ferè impossibile est, quia æmulis nunquam carent imperia. Nocent fædera, quæ cum remotis nimiùm, aut miseris, quia juvare non possint, sanciuntur. Nec tuta sunt contra potentem cum nimis potentibus, qui scilicet, ùt habet Tacit. l. 12. nec vincere, nec vinci sinè tuo periculo possunt. Quid ergo tam ancipiti duorum in bivio agendum, si duo inter se dissentiant, quorum tu in medio sis? Utri adhærendum, nè videlicet unius ruina tuam pariter trahat? Neutralitatem experientia aliquorum commendat. Savedra, exemplo Isthmi eleganter adducto, improbat; eò quòd hæc via media nulla sit, cùm utriúsque te ambientis procellæ tam diu feriant, donec vel alterutra, vel utraque penitus obruat. Lipsius medium tenet, videlicet, si adhærendum sit, in causa palam dispari *melioris*, in ambigua *fortioris* partes amplectendas esse. Neque propria solùm spectanda sunt; sæpe enim quem fortuna deperiit prospera. mutato ordine inimica persequetur.

Cæterùm ut dicta hæc feliciùs cedant Reipublicæ commodis, belli studia pacis tempore tractanda constanter sunt; cùm exigua. aut nulla belli sit æconomia, tum primùm agitare consilia, arma parare, ærarium ditare, dum Mars classicum intonat. Cùm vires, & valetudo suppetunt, præveniuntur morbi aptissimè, & tela prævisa ùt plurimùm feriunt minùs. Contrà celeriùs opprimitur nemo, quàm qui metuit. Hinc sapienter Maximilianus I.

 omnia

omnia cum cautione agenda monebat. Cneus Marius è contrà, quàm bello laudem meruit, in pace perdidit; cùm enim in præliis vigil esset, adeò in pace sui degebat securus, quasi nunquam ad bella vigilandum foret belli duci.

Sunt, qui neque fæminas bello arcendas existiment, exemplo Amazonum, & fæminarum illustrium, quæ bella gesserunt felicia, ùt Becuina Anglorum, Semiramis Assyriorum, & Tomyris cum pluribus aliis, præsertim cùm & regni capaces sint nostrâ ipsorum sententiâ. Verum congruum magìs censeo: bella viri tractent, imbellem fæmina lanam. Quòd enim imperio pares sint, & una nonnunquam felicior numeretur, hirundo una ver non efficit, & Phænicem sæcula pariunt. Cùm interim bellum exercitus requirat; exercitus porro fortitudinem Herculeam, & impavidos petit animos; cùm fæminæ sexu ipso infirmæ, imbecilles corpore, instabiles animo, minùs cautè agendo, ob bilem temerariæ, paventes ingenio, consilii fluctuantes, prolibus, ùt observat Philosophus, pariendis, nutriendis, instituendis, non armis aptæ sint. Amazonum bella etsi fabulis multi annumerent, si tamen & vera credantur, sexui, decoro, & ordini civitatis sanè repugnant, hinc nec longam lusêre fabulam hæc monstra Bellonæ.

QUÆSTIO POLITICA:

Utrum gloriosiùs, fundare, vel augere, an tueri fines Imperii?

AUGERE.

QUæ rerum in orbe omnium, Regnorum eadem est vicissitudo. Moriuntur alia, ut oriri alia possint. Nisì generatio unius corruptio foret alterius, & vicissim, natura nec tam fæcunda foret, nec tam benefica. Ruunt regna, ùt sæcula; ut eorundem è cinere Phænices redivivi consurgant. Res alia est longè fundari, vel augeri, alia servari imperia. Primum consensus, & unio repen-

repentina facit non rarò, aut collisio gentium, quæ fieri inter mortales aut furor, aut virtus, & æquitas temporum jussit. At rei naturâ suâ instabili perennitatis addere robur, id enim verò virtutis res est Divinæ. Sunt sua rebus singulis crescendi tempora, & se augendi, est & regnorum limes. Sua exedit teredo arborem, rubigo ferrum; sua est regnis ærugo. Decus omne, vel eò, quòd grande sit, admirationem primùm, tum etiam invidiam ciet; hanc æmulantûm ungui prædam eripere, ardui, mihi credito, res est laboris. Amplioris res tamen facinoris, vel fundare sceptra, vel augere fundata. Non pacis hic fructus, vel otii est, sed bellici fulminis. Id qui ausit, nedum possit, auro dignus & lauro est animus, vírque viro major. Profunduntur namque Provinciarum æraria, dum pari fluxu, quo impendia fundator erogat, compendia relegat. Devorandæ sunt tempestatum iliades, fulmina vertenda in pastum, in delicium sanguis. Et hæc omnia tam incertâ semper Martis aleâ, & sorte, ut sæpe qui alienis terrori futurus creditur, vix ipse suis auspiciis satisdet. Principi omnia ipso ferè initio periculi plena sunt. Tum quòd radices nondum altas fixerit planta; tum quòd acriores ferè in primitias sint æmulantûm insidiæ: seu quia tenella ferè præplacent, seu quia faciliùs credit se furor triumphare posse principio, quàm dum morâ temporis moles vires auxerit suas. Suspecta nebula, pruina, venti floribus primis. Dies una periculorum fundat noctes, ut, quas sæpe numero lauros anni tulêre, in spinas turbo convertat momento. Consiliis solis opus est, ut tuearis parta, aucta, vel fundata imperia; ut fundes vel augeas, jungenda insuper est Providentiæ Imperantûm industria, cui fortitudo ipsa vix, quanta quanta est, sufficit. Nutant enim in momenta singula initia. Cadit frequentiùs spe suâ industriâ, palmam alienam cernens, quam suam esse, vel fore credebat. Jurant in perniciem fata, & cladibus nunquam suavioribus, quàm primitiarum triumphant. Quæ multo vix sanguine parit miles, negotio nullo tuetur civis. Manipulus intra mænia sui securus ridet sistítque exercitum, dum decas in unum palàm luctari cum morte; nec nisi cum virtute potest

M 2 trium-

triumphare. In otio fortunas fundat & ruricola; at heros duntaxat, aut rex pugnam ſerit ex pugna, ut augeat ſuos virtute.

Tueri.

Diadema diadema manet ſemper, ſive fundes, ſive augeas, ſive tuearis. Quid refert igitur, an fundes, an fundatum conſerves? par diverſo in nomine cura, & ſtudium, par virtutis, & periculorum eſt gloria. Vetus eſt illud: *non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.* Sunt ſua principiis æmulantûm, & ſortis diſcrimina fateor. At nunquid par regit caſus imperia etiam fundata, vel auɛta, quia mortalia omnia. Quò ampliùs ſeu tempore, ſeu finibus fortunæ filum protenditur, faciliùs rumpitur, quia diuturnitate ipsâ tenuatur ferè. Junge regna, provincias uni, gentes adjice; ipſum conjungi, eſt extenuari. Terminum magnitudinis, & gloriæ nanciſcuntur; ut ipſum creſcere, nisì providentia fulciat, principium penè ſit decrementi. Par, mihi crede, ſin major, ſeu conſilii, ſeu virtutis eſt gloria, vetera perenni ſtabilitate, vel flore munire, quàm gentes gentibus, regna regnis adjicere. Bellorum hic perfrequens, & communis eventus; illud non nisì mentis & ampliſſimi eſt conſilii gloria. Perſidem hodiernam conſule, quàm facilè Miriweiſius invaſor ſolii inundavit omnia: at, quàm ancipiti ſorte triplicem inter Ruſſiæ, Bizantii, & hæredis Principis exercitum fluɛtuans veritate ſuâ firmabit præmium: *citiùs fortunam invenis magnam, quàm retines.* Facilè namque propenſa ſceptra cuduntur in calybem, & quod ſplendorem dedit fulgetrum, momento pari fulmen librat; quo dum perimit, cunabula, & tumulum ſtruat. Parùm, vel nihil contulit ſæpe diademati parando juſtitia. Crevêre multa ambitu, furore, æmulatione. Teſtantur faſti, me tacente. Stabilitum nullum, nisì ingenio, conſilio. Alienis quæri poſſunt impendiis, virtute, potentiâ; ſervari non itèm, nisì eo, quod tuum eſt. Mens ſola conſervat, quæ peperit gladius. Furore aut calybe & vulgus eminet, non item mente. Momento ſæpe fundata ſunt, quæ vis invaſit; at torrentis more dilapſa, quia mentis, & conſilii pondere

re

se caruêre. Fines ſeu gladii, ſeu animi cum natura partitus eſt ille, qui è Macedonia fulminis ritu ortus, Perſidem, Africam, Indósque domuit, et pari ſui ipſius lapſu omnia tumulavit. Faciliùs eſt multa vincere, quàm ſervare. Multorum dos prima, paucorum eſt ſecunda. Ipſa ſæpe felicitas Reipublicæ peſtis, & exitium fuit. In pus namque, & ulcera degenerat fortuna nimia, dum magnitudine ſuâ laborant regna. Quantò majora, tantò ſibi ipſi graviora, dum conſtans fortunæ ardor, aut arrogantiâ, aut præſidentiâ facit diffluere. Pax ipſa ſi nimia, non adeò ſervat, ac peſſumdat imperia. Non quo pacto fundanda, ſed quî ſervanda ſit felix Reſpublica, ſcrutatur Philoſophia; argumento certiſſimo, augeri eandem, vol fundari faciliùs, quàm immunem ſervari. Tam enim præcavendis internis, quàm amoliendis externis peſtibus locanda eſt opera, ut ſibi felix hæc conſtet.



QUÆSTIO VII.

Momenta Rempublicam evertentia.

§. I.

Tyrannis.



In ſibi ſubjectos, qui ſic furit usque, ſuorum
Nunquam ſincerâ nititur ille fide.
Dúmque timent omnes unum, timet unicus omnes.
Scilicet hoc lucrum triſte tyrannis habet.

DOCTRINA POLITICA.



CUm de momentis Rempublicam ſervantibus agerem, de modis eandem amplifiandi agere conſultò diſtuli, ut contraria juxta ſe poſita magìs eluceſcant; videlicet boni Principis Rempublicam amplificantis conatus, ex ſtudiis Tyranni eandem perdentis. Duplex bono Principi eſt Reipublicæ amplificandæ modus, *internus*, & *externus*. Internus conſtat induſtriâ, & naturâ, cùm ſcilicet induſtriâ terras excolit, aut loca antè ſterilia feracia reddit, publicas & priva-

privatas opes, & dignitatem auget, & naturâ ſeſe in liberis multiplicat, ac propagat; vel dum cives colonias ducunt, opibus, libertate, religione, vel aliâ causâ allecti, quæ omnia ad dignitatem, & incrementum Reipublicæ faciunt.

Externus eſt, cùm Principis operâ Provinciæ, civitates, aut fundi Reipublicæ adjiciuntur, ſive id fiat bello, aut deditione ſpontaneâ; ſive coloniis, & ædificiis, ùt faciebant Romani, cùm victa regna in Provinciam redigentes, Romanis coloniis ductis, Prætori Romano ſubeſſe juſſerunt: ſive demum fiat emptione, ac unione.

Alius Rempublicam augendi modus eſt, ſi Princeps Provinciam colat amænitate loci, arti vel naturæ auctâ; ſi commoda & utilitatem advenis proponat, advehendi opportunitate conſtitutâ, rerum abundantiâ iisdem curatâ, eſcâ quodammodo, & illicio iisdem poſito per libertatem, immunitates, & privilegia artibus, & mercaturæ propoſita, quibus quantùm creverit Ruſſia, Angelorum, & Hollandorum advenarum accurſu, ævum noſtrum teſtatur. Accedunt artium, & ſtudiorum emporia, & Athenæa, ad quæ frequentiſſimus Nationum, & Nobilitatis eſſe ſolet concurſus. Principum item, ac Cæſarum ſedes, vel certe Provinciæ Præſidum conſilium, ubi jus ſummum dicatur; aulam enim, & poteſtatem ſummam ſequi quàm plurimos cùm oporteat; ſeu officii, ſeu neceſſitatis causâ, creſcere Provinciam opibus neceſſarium eſt, tot advenarum concurſu. Vienna teſtis ſit, vel unius ſæculi curſu, tam ſibi magnificentiâ, & opulentiâ ſuâ diſſimilis reddita, non alio magìs ſtudio, quàm quia conſtans Auguſtiſſimorum Cæſarum ſedes.

His, inquam, momentis ſervandæ, & amplificandæ Reipublicæ ſuam boni Principes locent operam, ùt quibus ſola *boni publici* ratio cordi & curæ eſt. Aliter Tyrannis, quæ ſibi tantùm ſtudet, & factis non privatim duntaxat malis, ſed & publico nocivis & noxiis Rempublicam perdit. Hæc illa eſt vipera, quæ ſinu Reipublicæ concepta lucem priùs non videt, quàm ſicut vipera Matris alvo diſruptâ, ſic Reipublicæ excidio Tyrannis graſſatur. Amor Principem, crudelitas tyrannum conſtituit; unde,

quid nisì oppressio subditorum, effusio sanguinis, cædes, rapinæ, legum convulsio, & summa rerum omnium perturbatio oriatur? víxque lacrimis ipsis, quod deterrimum est certissimo Patriæ exitio, bonis civibus liceat parentare.

Tria communiter Tyrannidem in Principibus causârunt. *Imum.* Erat virtutum, & morum mutatio. Ferè enim arriserat aurora imperii cujusvis, sed torrebat meridies in ruinam cives. *Mitissima nempe*, Lucano teste, *sors est regnorum sub Rege novo.* Principio imperii nemo Principum horum erat, qui amari non voluerit, qui mansuetus, liberalis, clemens, & providus dici non ambiverit; ubi tempore firmatum imperium est, simulatam animo virtutem exuêre, & vulpes animo latens detecta est. Hinc non raró metamorphosi tristi pro mansueto, & provido Principe Tiberium, simulandi, & dissimulandi architectum, sibi doluêre obvenisse Respublicæ. Qui cùm ambiret diadema, virtutis causâ simulabat se abnuere, quíppe imparem se mentiebatur, re ipsâ postmodum exhibuit, dum Reipublicæ incurius, deliciarum, & scortorum mancipium, tantâ desæviit tyrannide, ut Magistratus ejusdem nîl nisì Nobilium carnificina audierint. Pro liberali Principe, Cajum sæpe expertæ sunt fortunarum raptorem, & expilatorem magìs, quàm Principem, qui unus dum voce eâ sibi plauderet: *oderint, dum metuant*, non moderando, sed perdendo imperio genitus videbatur. Pro clementi denique Domino, Neronem crudelitatis belluinæ portentum potiùs, quàm hominem preæsse lacrimatæ, ùt cujus vitia vix ullius vita superavit.

Causa mutationis hujus in Principe sæpe erat Princeps ipse, sæpe etiam populus, qui seditionibus, dicteriis, & conspirationibus Principem invadens, alienum esse coëgit, & diffidentem suis, velut suspectis, tametsi fuerint optimi, atque adeò prætextu cavendi fecit esse crudelem. Suasêre Romæ non pauci, ut mediocria principio imperii Neronis vitia civiliter ferat, atque dissimulet; sic enim benignum servatum iri. At dum spreto consilio importunè eundem carpere ausa, adeò ad frugem non reduxit, ut instar vulneris vexati deteriorem longè effecerit.

Secun-

Secundum erat ignavia, & indulgentia Principum, dum adulatores veriùs, quàm amicos, ſic opibus, honoribus, & officiis cumulârunt, ut pares ferè fuerint Principi, vel certè caſum ſuum Principi formidandum effecerint. Potentia à Principibus accepta, in plurimis Romanorum cum Sejano illo Tiberii adulatore, Tyrannidis ſementis fuit, cujus propagine perirent ii, qui beneficia in caput ingratum contulerunt. Quare, cùm nimius favor & potentia in unum collata authori ſi non pernicioſa, certè periculoſa ſint, ſervet monitum id Princeps: *divide*, *& impera.* Favores ſuos ſic partiatur in plures, ut ab unius metu pendeant univerſi; quod ſi neceſſitas poſtulet unum præ cæteris evehi, ſic moderetur potentiam, ut plus honoris, quàm virium ex eo redundet in clientem.

Tertium erat ex illo Ariſtotelis 5. Pol. c. 10. ubi ait: *Tyranni ùt plurimùm facti ſunt ex ductoribus populorum, fidem adepti ab initio propter calumnias contra nobilitatem jactas.* Hi enim vulgi Duces cùm deceptum populum habeant, tyrannidem, non dominatum ſui impotentes exercent, & pro hac dominatione nihil pravitatis omittunt. Optantes cum illo apud Tacitum 6. Annal. c. 6. Neroni dicente: totum ſenatum unâ voce deleri poſſe.

Ex his ſigna Tyranni conjicies facilè. *Imum* eſt, virtutum, præſertim clementiæ, & juſtitiæ ſimulatio. Quæ patet, dum impunè non nullis licet, quod libet; aliis minora vitia cæde, & ſanguine ſunt expianda. *2dum* ex Ariſtotele 5. Pol. c. 10, Nobilitatem ſupprimmere, viros eminentes minuere, & prudentes, & magni ſpiritûs homines tolere. *3tium.* Animos civibus protervâ ſævitie ſic tollere, nè quis de aſſerenda libertate vel cogitet; ſed in horas ſingulas vitæ mortíſque incertus ſervituti, & abjectioni ſe dedat. *4tò.* Cives, amicos, Principes diſſidentes, & ſibi mutuò ſuſpectos ſi reddat. *5tò.* Si crudelitate barbarâ potentiam ſuis ſic adimat, ut vix vivendi, nedum agendi, vel moliendi quidpiam adſit facultas. Ut quondam Pharao Iſraëli divinâ teſte paginâ. Hæc enim ſumma eſt Tyrannorum ſecuritas, ſi nemo quidquam agere aut velit, aut poſſit. *6tò.* Superbos, crudeles, & avaros Magiſtratibus præficere. ut eosdem locupletatos è

medio tollat, instar spongiæ, quam arentem sanguini, & divitiis Provinciarum mergat, ut plenam prædari, & exprimere impunè possit.

QUÆSTIO POLITICA.

Utrum viro publico periculosius, Principis, an populi furor?

PRINCIPIS.

QUidquid altiore natura gradu constituit, majori premit impetu, graviori opprimit lapsu. Jovi propior, vicinior si non lapsui, certè lapsûs periculo est, quia vicinior fulmini. Mensura dignitatis, mensura ferè potentiæ est, & furoris. Quia vanæ, risu dignæ sunt sinè viribus iræ. Dum coronato furori nunquam parentatur satìs, nisì inter busta, & rudera Provinciarum. Exiguos movet cardines, quia limite cingitur modico vulgaris furor; orbem succutit, qui Regium invadit pectus. Longas regibus esse manus, cecinit quondam Vates, acerbiores sunt animis iræ, fulminis ritu & pernices, & potentes. Væ orbi! si quantùm ira suaserit, tantùm permittat fortuna purpuræ. Ut animo vulgus non careat, caret potestate. Famulatur hæc Principi, quæ igitur metuenda excidia, ubi fædus armorum jungitur, & animorum? Par illi meta sunt Regum solia, palatia nobilium, & mapalia, vel tesqua ferarum. Ipsi obices, & exercitus vindictam acuunt, non morantur. Nîl tardant lamenta hos fluctus, neque subsidit procella, dum cadat victima, quæ destinatur exitio. Sublimitas ipsa ùt arrogantiam, sic flecti nesciam addit constantiam, & cedere, vel moveri nescium pectus. Quasi verò flecti, aut non vicisse par fuerit probrum. Palam ferè sævit, qui facilem aut reperit obicem, aut admittit. Eliditur vulgi impetus; & quia, ùt simplex, sic credulum est; ùt furens simia luditur, donec astutiæ in casses ruat. Majestatis furor quantò latentior, tantò potentior. Subterraneum æmulatur ignem, cui pila, & ludus montes sunt integri; Provinciæ victima.

ma. Valentiùs sævit hic impetus quia fundamenta convellit, quibus stratis ruere omnia oportet. Non eo tempore dignitatis, non probitatis, non meriti est ratio, ubi furere ardor cæperit. Donec ambitio æmulum simulat, vel suspicio perduellem colorat, gaudet exitio. Cælum & terram fractis antè cardinibus subrui, vel Acheronta petenda sint, videas, dùm rivalis, aut ingratus, furori non cedat modò bacchanti, sed occidat. Credunt Philosophorum pars, ignes nonnullos alimento non alio pasci, quàm quòd flammas ipsas in alimentum rursus convertant. Idem censent argumentum potentiæ Principes. Quantùm furunt, tantùm ipsum furoris remedium seu flammas in pabulum vertunt, ut eâdem consummantur pariter & nutriantur. Vaporibus minimis quoties cogitur in nubes cælum, in fulmina coquitur? sic iræ potentûm; Fit quandoque, vix ut sibi satisdari posse existiment, nisì vindicta terminum petat. Nunquam senex, semper juvenis est furor Principum; eóque nonnunquam vicinior insaniæ, quia subtilior nobilitate ipsâ est flamma. Quantùm interest inter conum ignis, & ignem ipsum, inter pyrium pulverem, & aurum fulminans, tantùm inter vulgi: & Principis iras. Impetu nocent cæteræ, sed suis duntaxat viribus, hæ etiam exemplis, quibus in consortium rapiunt flammas vectigales minorum. Nescio enim, quo fato, ruere gestit populus in furorem, cùm Herculem nactus est Principem in Orchestra furentem. Quasi verò non errare modò, sed & perire sit volupe, dum communis error est ei, quem diadema cæteris prætulit. Patrocinium sibi semper quærit iniquitas; nunquam reperit majus, ac dum ducem in furores eum nanciscitur, per quem quies & salus stare publica debet. Æquum, sanctum, probatúmque creditur, ad quod coronatus ducit. Quid jam torrente Reipublicæ obrutus aget vir publicus? Sacrum inter & Saxum hæret, an populi, an Principis furorem præeligat? Oderit hic, par fatum à populo vel verente, vel Principi blandiente experietur. At estò, unus oderit sinè plebe Princeps, sibi unus sufficit, qui jura dat omnibus. Fulmineâ vi potentior nulla est. Sentiuntur damna nec præsignata. Declinari po-

poteſt furor plebis, quia indice tumultu proditus; non item Principis, qui dum jacet obrutus æmulus, tum primùm notatur.

PLEBIS.

TRia ſunt, quæ furorem omnem potentem reddunt, atque adeò metuendum. Cræcitas, impetus, vis. Cæcam pinxêre nonnulli Furiam unâ, parte alterâ oculatam; quàm ſcilicet in damna aliena vigilem, tam cæcam nullo diſcrimine vel perſonarum, vel damnorum admiſſo. Pro mentis tamen furentis indole excæcata magìs eſt una, quàm altera; quódque acerbiùs, eò minùs flecti, quò minùs rationis veſtigandæ capax, quæ innocentiam ſuadeat; errorem, ſi quis datus, excuſet. Hæc plebis furentis eſt indoles. Ardeat quantumvis Princeps, mitiùs æſtuat, quia mente majori fertur oculus, tametſi glaucoma aliquod ira offundat. Nunquam plebis æquat ferociam nobilior animus. Si nativa meretur cæcitatem indoles, morantur Majorum veſtigia. Pudet communione furoris magnanimos profundere ſpiritus. Dum generoſa mens nullâ magìs gaudet victoriâ, quàm ſui ipſius. In extrema non proruit mens, nisi via medelæ ſuperſit nulla, præter furorem. Arma gerit in fronte Rhinoceros, à latere tauri: oculum nempe ducem furori præfixit natura, quem etſi nolit, ſequi debeat nobilius animal; ut noverit, ubi, & quando ſæviendum. En ideam Principum. Indignum eſt Magnos furere ſinè mente. Quàm cæco greſſu rapitur, tam vehementi ruit impetu plebs. Dum Principem etſi præceps ſibi quaſi eripuerit Ardor, innatâ nobilitate reducas faciliùs, ubi tot ſunt duces, quod conſiliorum participes. Uno licet aquæ fluxu flamma, quamvis grandis, non ceſſerit, mitigatur iterato. Nam & duriſſima cavari cernimus marmora, dum gutta non vi, ſed ſæpe cadit. Sæpe, quæ ſuis non cernit, at diſcernit oculis Princeps, his præſtat abunde. Surda è contrà conſiliorum quorumvis eſt rabies civium, atque adeò crudelior, quia ſinè termino imputûs. Ceſſare neſcit, niſì dum unà ſe, & æmulum conſumpſerit. Quid enim tulerit, aut laturum ſit ævum, neque memoria recoquit,

neque

neque intellectu assequitur, ritu belluæ, & ignis, non grassatur, sed proruit. Furentis Principis impetus tonitru est, auditum eminus terret; fulmen contrà est rabies populi, nunquam apta dignoscere, nisì dum sternit; túmque solùm audens, cùm reperit obluctantem. Quasi verò crudelis satiari vorago nequeat, nisì universi ruinâ. Ignis in morem, qui tum satiatur, cùm caruerit pabulo, quod absumat, atque adeò pereat ipse. Vis denique minor est Regia, quia oculo non caret. Cùm seditionum straverit Principes, residet. Modico satiari sustinet. Pænam nempe petit, non vindictam; aut si hanc necessitas imperet, non nisi moderatam. Dii sunt coronati vertices. Unius exitio terrorem omnium, reverentiam, & amorem fundant. Non libet, nec vacat ire per fastos. Quoties sprevit mens magnanima, quæ simplicitas temeraria, aut simplex vulgi temeritas non nisi ferro & sanguine expiâsset? Romam vide; Tribunorum & plebis tempestatibus dum succussa, perê semper nutabat. Nempe, ùt agendis, sic ferendis grandibus solium ipsum Principem format. Si sapientia, virtus, æquitas iras imperet: scelus ferè odit, non scelestum; hoc sæpe indemni, illud persequitur. Venia datur non merentibus, sæpe certò nec sperantibus. Dum contrà plebs quantùm sui impos sæpe in insontes furit, non antè erroris doceri patiens, quàm dum ingratam Patriam ante portas Coriolanus aut Alcibiades Græciæ infestus doceat; quàm longè periculosius sit populi, quàm unius Principis iras non tam mereri, quàm pati.



§. II.

§. II.

Causæ remotæ aut mutandi, aut evertendi Rempublicam.



Alcyonea mihi ſuſpecta malacia ponti eſt,
Nam coquit atroces tum maris ira minas.
Et timeo regnis nimium, fera damna, quietis?
Nec diuturna mihi pax, neque bella placent.

DOCTRINA POLITICA.



ORiri, & perire Reſpublicas, celeberrimæ orbis Monarchiæ cum omni teſtantur hiſtoria, neque id tamen aut fluxo ſiderum curſu, nec fatalium annorum fit termino, ſed ejus in mortalibus rebus ludendis Providentiâ evenit, qui mutat tempora, & ætates, transfert regna, & conſtituit. Daniel. 12. Digno rerum potentibus, & ſubditis documento, ut hi videlicet diſcant eos quóque Principes venerari, & velut vaſis iræ DEI ſubeſſe, quos caſtigandis Provinciarum culpis rerum omnium arbiter DEUS conſtituit; quales olim experti Aſſyri in Sennacherib, Nabuchodonoſore &c. Illi verò, qui moderantur imperia, noverint ſe in ſtatera Divinæ potentiæ appenſos, quâ transferri regnum poſſit, dum ipſa velit. Prin-

Principum, populíque vitiis everti Respublicas, cum pagina ſacra ratio, & experientia nos docent. Sapientiſſimè Eccleſiaſticus c. 10. Regnum, ait; à gente in gentem transfertur propter *injuſtias*, & *injurias*, & *contumelias*, & *dolos*. Vocibus quatuor elegantiſſimè Regum ſapientiſſimus cauſas omnes, quibus turbantur, & convelluntur imperia, complectitur. Duplices aliàs communiter aſſignant Politici, *externas*, dum ſcilicet externo hoſtilium bellorum incurſu evertitur Respublica, de hoc dixi ultimo quæſtionis prioris §. *Internæ* ſunt reliquæ, quæ ſcilicet ex ipſis Reipublicæ membris naſcuntur. Et harum aliæ eſſe poſſunt à Principe ſubditis anſam dante, quas Daniel *injuſtitias* nominat. Aliæ à Miniſtris, & hæ ſunt *injuriæ*. Reliquæ à ſubditis, ſeu plebe, quæ communiter, ùt eſt genus humanum querulum, facilè quemque peſſimum provocat ad murmurandum; unde ſequitur cauſa proxima, & executiva, videlicet *conſpiratio*, *ſeditio*, & *factio*, quæ nomine *contumeliæ*, & *doli* veniunt in ſcriptura. De ſingulis pauca.

In Principibus duo notat Ariſtoteles 5. Pol. c. 3. everſioni anſam præbentia: ſuperbia, & avaritia (inquit dicto loco) illorum, qui gubernant, incitant homines contra ſe, & contra ſtatum ejus Reipublicæ, quæ iſta fieri patiatur. Ex ſuperbia enim contemptus ſubditorum, & dominandi abuſus, quem ægerrimè ferunt ſubditi, ortum ducunt. Sequitur arrogantiam ira præceps in exequendo, & in plectendo crudelitas, quæ omnia primis Romanorum Cæſaribus Tiberio, Caligulæ, Domitiano exitium attulerunt. Accedit, ſi luxum, & projectorum morum licentiam ſubditi in Principe videant; fit, ut æſtimatione & amore amiſſo facilè perditum velint, quem animo ſpernunt. vel metuunt etiam probis iniquum, vel facinoroſis ipſis nimis crudelem oderunt. Infinitis hiſtoria exemplis abundat. Sic Tarquinius Regiam, Sardanapalus Aſſyriam, Heliogabalus Cæſaream purpuram amiſerunt; primus mutandæ è Regia in Conſularem; auferendæ 2dus ab Aſſyriis in Medos per Arbacem, 3tius de Principe in Principem transferendæ dignitatis per mulieroſitatem cauſa fuerunt. Avaritia porro injuſtorum, aut gravium nimis

mis onerum, & tributorum civibus imponendorum origo eſt: unde animorum commotio, & ſe vindicandi ſtudia, exitium Principis; rarum certè lucrum, nisi officialium ipſorum.

In Miniſtris occaſio ſcandali populo eſt, ſi, ut hi facultatibus ſeſe per licentiam omnem ingurgitent, ut corruptelis ſuis, & luxui ad inſaniam velificari poſſint, per invidiam cives deprimi, per vim & injuriam exſugi, patrimonia minui impunè videat, ex quibus odia in Principem hæc tolerantem redundare conſequens eſt. Non eſſet neceſſarium ſcrutari veterum monumenta ad hoc teſtandum exemplis, non admodum longæ ætatis ſuppeterent. Sola Helvetia, ùt ſuprà memoravi, teſtis ſit, quàm rectè Lipſius 4. Pol. c. 14. judicaverit: quòd Europa tot motibus agitetur, quòd Reges, & regna ardeant ſeditionum flammis, & bellorum, vera fortâſſe cauſa eſt, administratio parùm vera. Neque mirum horum injuriis incitari plebem, cùm videlicet in horum velut ſibi proximorum officia & mores, magìs oculos, & mentem intendat, quàm in Principis ipſius, quem velut in ſpeculo, & edito locatum eminus quodammodo, eôque faciliùs intuetur. Minùs enim ferit oculum vis, quantumvis acuta, ſi longè, quàm ſi vicina ſit ſenſui.

Ad hæc tum Principibus, tum Miniſtris viam ſternunt duo. Primum eſt, nimia Reipublicæ felicitas. Cujus causâ ſuis tantùm rebus, & commodis intenti Principes, & Miniſtri, Reipublicæ malis obrepentibus velut lethargo non nunquam preſſi indormiunt; civium cauſis cognoſcendis, diſcernendis, & componendis nihil, aut parum admodum intendunt; affectui, cupiditati, & genio habenas omnes laxant. Divinus Plato 5. de leg. rectè monet, tametſi felicitas ratione rectâ temperari poſſit, nimias tamen divitias Reipublicæ noxias eſſe; tum ſuâ, tum plebis causâ: ſuâ quidem; nam naturâ ſuâ inſolentiæ domeſticæ, diſcordiarum inter cives, in voluptates effuſionis; & invidiæ apud exteros cauſa ſunt. Plebis verò causâ, quia cùm his plebs abundat, futuri immemor, contemptrix aliorum, veterno quaſi indormit, tam nihil periculi ſollicita, quantò difficilius eſt nimiùm felicem, quàm in-

infelicem finè vertigine ferre poſſe fortunam. Sic, Livio teſte, plebs Romana non miſeriis, ſed licentiâ concivit turbas, & laſciviebat magìs ſæpe, quàm ſæviebat. Unde concludit idem Legum Magiſter: optimè conſervandæ Reipublicæ tum eſſe conſultum, ſi non nimiâ felicitate lætetur.

Cauſa altera eſt: Imperii negotiorum nimia moles, & multitudo, quâ fit, ut creſcentibus ſupra facultatem rerum conſtituendarum conſiliis, & cauſis domeſticis, & externis, Princeps, & Miniſtri profpicere cum dignitate etſi velint, non poſſint, aut mole territi non velint; aut ſi poſſint, & velint, ſuccumbant. Quod ipſum in Imperio Trajani (cui par nulla ætas vidit) feliciſſimi, ſapienter obſervavit ille, qui dixit: magìs magnitudine ſuâ, quàm hoſtium aut multitudine, aut feritate, atque potentiâ laboraſſe Rempublicam Romanam. Sive enim naturæ curſum ſpectes, ſive Providentiam Omnipotentis, utrobique ſtatutum molis ſuæ terminum habent: ſic corpora poſt conſiſtentiæ ſuæ ſtatum inclinantur, & roſæ, quò ſæpe odoris ſpargunt, eò ſæpe perniciùs extinguuntur. Denique ferè: *in ſe magna ruunt, lætis hunc Numina rebus creſcendi poſuêre modum.*

Poſtrema, imò prima ferè motuum ejusmodi cauſa eſt plebs. Nam cùm vulgus indoctum, & rude, impetu, non conſilio, opinione, non prudenti ſenſu, utilitate, non decoro ducatur; ad hæc inter vulgus commune ſceleſtos, & pœnâ dignos reperiri neceſſum ſit, fieri nequit, quin turbas & novitates moliantur nonnulli. Qui ſceleſti ſunt, licentiæ, & libertatis amore ducuntur; & cùm aliunde præſens imperium ſubditis ſemper grave ſit, fit, ut peſſimus quisque Rectorem aſperrimè patiatur; quia caret obſequio, quo mitigantur imperia, ùt ait Curt. l. 8. Hi, qui in pænam vindictam Principis meriti ſunt, prævenire conantur, & ſuo à capite diſcrimen quoquo pacto amoliri. Neque pertinacior facilè ira eſt, quàm quæ ex tali deſperatione gignitur. Quibus utilitas cordi eſt, adeò veritatem cordi non habent, ut hæc illis potiùs offendiculum pariat. Utilitatis enim amor, mentem & oculum animi faſcinat, & cæcitatem, ac inertiam offun-

offundit. Universim verò impetum quemvis sequitur populus, quia cùm naturâ suâ instar fluctuum instabilis sit, & ferè eò rapiatur, quo vel potentiorem quemque inclinare cernit, vel certè, quò plures sese convertunt, velut cùm ovis ovem sequi solet; fit, ut deinde opinione præconceptâ mordicus imbutus, torrentis instar grassetur, inundet omnia, frænari impotens sit, seu spe, seu metu ultra modum provectus, non ante dominari superbè desistens, quàm cùm ademptis viribus, & capite proculcato coactum se sentit, ut hilariter serviat. Quod, quanto steterit sanguine ipsis sæpe Principibus, quanto Provinciarum impendio, Angliæ, Galliæ, & Germaniæ rustica bella docuerunt, centenis millibus vix restincta. Florebit omnis cum Spartanis Respublica, si ritè imperare Magistratus didicerint; magìs verò, si cives discant obedire. Tolerari namque ingenia oportet, quæ cùm mutare non liceat subdito, instar vulneris contactu exulcerati exasperant. Quid si multa in plebe Principi sæpe ferenda sint, cur non ferat plebs pauca in Principe? cùm certissimum sit illud Lipsii: Regum, Ducúmque clementiam non in ipsorum modò, sed & in illorum, qui parent, ingeniis sitam esse.

QUÆSTIO POLITICA:

Quæ aptior regendi dos, amor, an timor?

Pro Timore.

SAturnus est, qui semper fulminat, non Jupiter. Tyrannus ille, ut perdat, & inimicos; Pater iste, ut servet, & amantes augeat. Ut desperationem sævities, sic metum salutarem causat severitas. Hanc habe, quisquis regis. Tam crudelis es omnibus, ac nemini parcendo; támque perdis Rempublicam in neminem, quàm in omnes animadvertendo. Id unum difficiliùs, quod perniciosior sit error clementiæ, quàm rigoris. Si peccandum alterutro, secundum elige. Nunquam acriùs insolescit vulgus, ac dum perenni palpatur benevolentiâ.

Vi-

Vibrandus eſt calybs, ſinè quo nulla eſt orbi æquitas. Peccat, tam qui errat, quàm qui, cùm poteſt, non plectit. Hic pænâ tamen dignior, cùm pænam diſſimulat, quia crudelis parcendo, qui clemens fuiſſet iraſcendo. Delicti duplicis, conniventiæ ſcilicet, & peccati ipſius reus. Impunitas perennis fomentum ſcelerum eſt factorum, faciendorum illicium. Petulcit populus liber, libertatis incapax, nisì frænum metus adigat. Audax ferè eſt, cui ùt facilis, ſic certa ſemper eſt venia. Jacet ſpreta authoritas ſolii, reverentia legum, Magiſtratûs imperium, ubi pro libidine impunitas quæ ſuaſerit, perſuadet omnia. Certior nulla peccandi illecebra, quam impunitas certa. Cancræna vitium eſt, nisì ferro, & igne ſtatuatur obex diſcrimini. Præſidium fidei, & Majeſtatis potentius nullum eſt metu. Præſtat nihil, quàm omnia indulgere cum Nerva. Nunquam conſilia Numinis pænarum reperiſſent, & ſanxiſſent genera, nisì tutelam Majeſtatis, limitem malitiæ credidiſſent. Natura ipſa feritati aut proterviæ multorum cohibendæ non ſufficit; evincunt id, quia arcent, ſupplicia. Inculta erunt dumeta, vites, & horti, nisì raſtrum, aut forfex multa amputet. Rigor terminus eſt, qui lubrica in ſemita fallentia ſiſtit veſtigia. Nunquam ſanaret hirudo, nisì morderet. Aptandus eſt vulneri calybs. Jovis aquila ſunt Regentes. Minis librant fulmina, ut probos rigor ſervet, improbos frænet. Nemo cerebro tam eſt protervo, qui nihil penſi habeat legem, ſi ſemper ultor inſtet à tergo DEUS. Rariora forent mundo ſcelera, ſi certa ſemper comes foret vindicta. Nam acrior eſſet metus pænæ in fugam, ac ſit illicium ſperata impunitas, ubi vindicta eſt rarior. Terret unius exitium gentes. Dúmque terret, & erudit, ac ſervat ampliùs, quàm clementia. Cautè prætervehitur Scyllam quilibet, ubi naufragos novit plures. Qui in ſalo graditur lubrico, fallentibus aliorum veſtigiis providentiæ admonetur. Fundamentum vis regni perenne? Inviolatum ſerva rigorem. Reverentia, & adoratio comes erit perennis. Metus ipſe amoris erit principium. Amatur, cujus gratiæ jactura metuitur. Ubi porro jactura eſt facilis, nullius non intenditur oculus. Ubi dome-

ſtica eſt ſeveritas, probi amando, quod metuant, improbi metuendo, quod diligant, ſemper habent.

Pro Amore.

AMor cæli faſcinum, orbis illicium, magnes omnium. Nil tutelâ hac fortius orbi toti eſt. Exercitus ipſe diſcrimini eſt majori, ubi amor eum non animat. Præſidia nitratus pulvis, & ignes inexpugnabilia non ſuſtinent ætate noſtrâ. Natura & ars furori horum nihil habet impervium. Amor unus præſidium utrique eſt, ſaxo omni durius. Aut enim agetur inſidiis? tum enimvero *non eſt, ſi non ſit*, ùt *litigioſus*, ſic *ingenioſus amor*. Et quia ſuſpicax tuta omnia timet, in omnes vigil excubat Argus. Aut vi certatur apertâ, & tum potentiâ ſuâ proterit omnia, qui cælum terris fecerat vectigale. Hoc gluten elementa, & cum his temperat univerſum. Mænium locô devincit pectora Principi ſuo. Amatur namque dominatus, dum leges rogantur mitiùs; & quamvis metus ſit cuſtos ſolii acerbus, firmius tamen, quia tutiùs præeſt, quisquis amatur à ſuis. Exercitu ſtipante non eget, cui quivis pro mille aſſiſtit. Durabile nunquam eſt, quod rigore metûs ſervatur, quia ferè violentum. Hinc illud: violenta nunquam durant. Nativa acrimonia metûs, ùt viſcera humor exedit, & conſtantiæ ſuccum adimit. Adamantis è contrà ritu quia duratur indies amor, durat, & durare facit, quæ nectit. Aut lictor, aut carnifex, non rector auriga eſt, ſi feriat ſemper. Virgam aut oſtendat, aut ſimulet, ut ducat. At peſtis publica remedium poſcit. Bene habet. Tortor, non medicus eſt, cui ſola in deliciis ſint aconita, flammæ, ferrum. Infirmum vinculum metus eſt. Odit animus, cùm metus deſierit. Quódque comes, perire cupimus, quem oderimus. Furentis bruti fuit, non hominis vox: *oderint, dum metuant;* mortem namque, & exitium ſibi, ſuíſque inconſulto hoc modo fundavit. Nero, Diocletianus, Caligula, & cætera imperii abortiva ſint teſtes. Miles ipſe non cuſtos, ſed hoſtis eſt lateris, ubi metus jura dictat Reipublicæ. Nemo unus amoris unquam, ſexcenti è contra metûs causâ necati ſunt. Obruit, & peſſum-

dat


dat torrens, vel imber agros, quos pluvia, vel rivus rigat, atque adeò fæcundat. In herba ſementis cadit furori, & ſpes ipſa eliditur. Mitiora ſemper tentanda ſunt, tum agatur acerbiùs. Cùm deſperatum de cæteris eſt, ſecures expediendæ, & flammæ. Perimit, quisquis deproperat pharmaca. Si ullibi conſulendum tempori, id in medicinis tenendum. Pæna omnis languori publico pharmacum eſt. Alieno vulnere ſibi mortem accerſit, qui metui cupit ampliùs, quàm amari. Raró cuſtodia ipſa Tyrannorum ſat tuta, carnifices metus domi creavit, quos furor alibi metuit. Vitam odio eripuêre, quos metûs alieni cauſa præſidio ſibi Princeps, timore regens, conſtituit. Pæna profectò æquiſſimâ, ùt qui metui mavult omnibus, omnes metuat. Quique Pater diligi, aut amicus non vult, ùt peſtis publica nemini non inviſus, à nemine poſſit eſſe ſecurus. Feras regat, ùt quibus natura ſola, non ratio jura dictat, qui metui tantùm cupit. Hominum jura, jura ſunt filiorum. Hæc una felicitatis certæ ſemita perinde, ac teſſera eſt: amari à ſuis. Finem brevem metus ſin habeat, quærit. Iniquus gregi paſtor eſt, qui tondere duntaxat novit. & verbera. Tutelæ, non ſervitio credita eſt à cælo Respublica Principi. Reipublicæ ipſe, non Respublica ejus eſt. Metu hoſtes, amore triumphet ſubjectos, nisì non tam animorum, quàm corporum dici cupiat Princeps. Secus enim, quid amabò Tyrannum inter ac Principem intererit, ſi tam hujus quàm illius poteſtatis ſit & teſtis & index vetus illud:

Hic ferus eſt, hunc tu Ramane caveto.



§. III.

Causæ proximæ mutandi, & evertendi Rempublicam.



Si furat unda maris, medios, age, divide fluctus,
Sicque per infestas tutior ibis aquas.
Si populi furat ira, globum, qui proximus instat,
Frange, cadet reliquum, si cadat iste, malum.

DOCTRINA POLITICA.

His è fontibus, causæ, seu potiùs modi tres oriuntur in subditis, quibus omnis evertitur, aut mutatur Respublica, ùt suprà insinuavi, *Conjuratio*, *Proditio*, & *Seditio*; *Seditio*, quàm Lipsius 6. Pol. 4. multitudinis, aut Magistratûs subitum, aut *violentum* motum nominat, ipso nomine quasi *secessio*, & *seitio* est, undæ publicæ quietis perturbatio semper est. Quæ si à subditis in Dominum moto civili bello oriatur, *rebellio* dicitur; si subditorum inter se paucorum sit communicatio, & dissensus, dicitur *factio*. Universim nota, *Rebellis* est, qui subditus, vel fidei sacramento obstrictus debitam Principi obedientiam negat, & jugum excutit violentè. Hæc verò obedientia cùm in

in tribus consistat, Imò. In audienda Principis sententia, & sequendo judicio, 2dò. In exhibenda reverentia, & honore debito Principi. 3tiò. In suscipiendis, & exequendis ejus mandatis; *Rebellis* dicitur, qui judicium Principis respuit, imperio resistit, fidem, submissionem, & observantiam negat Principi.

Seditionem nonnulli cum Machiavello Principum seductore in Republica aliquando non modò tolerari, sed etiam procurari debere contendunt, & suadent; eò quòd distractis in factiones varias cautior sit Rempublicam moderantis oculus, majori consilio, & providentiâ Magistratus prospicit universi commodis, & cùm periculi qualitatem, & quantitatem ex hostis ipsius cognitione prospiciat, fortioribus mediis civitatem laborantem communit. Sed, ut alia præteream, cum Aristotele sentire cogor, conversionum in civitate seminarium esse seditionem. Quæ enim, amabò, ex periculo ipso securitas speretur, cùm Magistratui civis, civi Magistratus diffidit, & uterque supplantat? Quæ Reipublicæ salus, cùm hostes ipsa suis gerit visceribus? acerbior pestis, & venenum est nullum, quàm quod visceribus ipsis jam receptum grassatur: certa tum corpori ruina est. Sic florentissimas Respublicas periclitari necesse est, si seditionum faces ardeant inter cives, quas amoliri faciliùs, & tutiùs est, si immineant eminus, quàm si cominus, & in aditis jam grassentur.

Neque Nobilium factiones cum Machiavello eodem probare sapiens poterit. Quas enim tempestates Gibellini olim, & Guelffii Romæ; quas albæ & rubræ rosæ quondam Equites, Angliæ veteri sæpe conciverint, quis ignoret? Sanè si Philosopho 5. Polit. 4. testante, excellentium virorum discordiæ totam post se trahunt civitatem; ex horum divisione Reipublicæ ruina, & dissolutio non oriri non potest. Quod si enim nervi corporis malè affecti sint, tremore succuti corpus totum videmus; sic nobilibus in factionem dissectis, Principes suos omnes civitatis ordines sequuntur; & cùm Ducem quisque suum, affectu, spe inductus sequitur, in æmulum cudi consilia, privato familiarum, & publico Reipublicæ detrimento

ſentimus. Scintilla proinde leviſſima reprimenda confeſtim eſt Principi, cùm è mente Tulii, non alius facilè inter claros, & potentes viros diſcordiarum eſſe ſoleat finis, nisì aut univerſus interitus, aut dominatus, & regnum.

Duplicia ſunt ſeditionum remedia: alia Princeps in ſe, & Miniſtris curet, alia univerſim. *Imò.* Virtutem in ſe præ cæteris foveat; injurias & contumelias præſertim potentûm devitet, qui in omnem ulciſcendi copiam intenti ſunt, injuriarum eò minùs patientes, quo per dignitatem ſuam minùs aſſueti. *2dò.* Nullius potentiam firmet nimiùm. Excellentia enim cujuspiam ſi ſit nimia, Principi, & Reipublicæ ſi non exitio, certè damno eſt populi libertati, & Principis Majeſtati. *3tiò.* Nulli facilè præcipiti nimiùm & inconſulto abreptus impetu minetur potenti. Tutiùs fuiſſet multis plectere nocentes, quàm nimis exterritos in ultionem movere. Vitia ſuprà dicta evitet, tot enim ferè ſunt cauſæ ſeditionum, quot vitia; hinc tot earundem remedia, quot vitiorum cautela, & fuga.

Cæterùm initiis occurrere juvat præ omnibus. Omne malum naſcens, obſervat ſapienter Cicero, facilè opprimitur, inveteratum fit plerúmque robuſtius; neque ſinè damno, & luctu unquam avertitur. Quia in civili bello cùm luctuoſa ſint omnia victoriâ ipsâ luctuoſius nihil eſt. Facundus interpres, cui authoritas, & vulgus mulcendi ſunt artes, deliniendo populo mittatur, cauto conſilio, non impetu perſuaſurus. Quodſi mali vis medelam benignitate non admittat, decernendum eſt armis: neque id tamen continuò, ſed datâ pænitentiæ veniâ. Ac tum quoque, cùm gladio agitur, dare ſe aliquid ſubditis Princeps oſtendat, juſtitiæ, & clementiæ, non verò timoris causâ; imò ſe libens indulturum exhibeat, nec petitum, nec rogatum, Per artes interim, ſpe veniæ propoſitâ, divellendi, & diſſipandi ſunt ſeditioſi. Quosdam allicient præmia, alios conſilia non nullorum, authoritate inter eos pollentium, magìs convertent. Illud ſemper cavendum, nè deſperatio iis injiciatur; & nè fucatâ fide à Principe agi ſecum credant. Compreſsâ ſeditione, &

par-

partâ victoriâ, authores seditionis si sanguine luant, sufficit. Et horum ipsorum pœnam ex optima mente proficisci intelligat populus. Neque in complices anxiè proinde inquirendum, neque in plures Principi sæviendum, monet Livius; & tum velut sanato corpori de medela, sic de legibus prospiciendum. Præsertim milite firma semper servanda est Respublica; hoc uno enim pacto tria illa incèntiva seditionum comprimenda in semente experientia docebit, quæ temporibus variis evenisse doctus est orbis. Videlicet Principum virorum in Republica discordiam, quæ inter familias privatim exorta, serpit, & gliscit, dum Regnum flamma involvat. *2dò.* Speciosum libertatis aut asserendæ, aut retinendæ; juvandi populi, tollendorum abusuum, & boni publici prætextum. *3tiò.* Religionem, vel sub religionis larva licentiam, & temeritatem.

Et quamquam suprà dixerim, malitiâ, & injuriis Principum occasionem seditionum præberi subditis, nolim tamen exinde quisquam arbitretur, justam Reipublicæ causam esse rebellandi, si Princeps vitâ, & moribus liber sit, pactis non stet, mores non servet receptos. Clara enim est vox Doctoris Gentium, subditos ad obedientiam hortantis in Dominos suos, non tantùm probos, sed etiam discolos, id est, perversos. Nam tametsi vita perversa sit, cùm tamen Majestatis jus, & proinde fidelitatis vinculum maneat indemne, obedire subditum oportet; secus enim, cùm, ùt aliàs jam dixi, potestas omnis DEI vicaria sit, & à DEO sit, utente Principibus sive ùt legis suæ vindicibus, sive ùt ministris iræ suæ ad castigandam gentem, quisquis potestati huic resistit, DEI ordinationi resistit. Nunquam proinde in Sanctum Domini arma stringenda, nunquam consilia ejusdem, mores, & facta à subditis aut vestiganda, aut culpanda; sed si quid divinis manifestè injurium legibus, aut Religioni imperet, majori tum potestati, id est, DEO magìs est obediendum; quodsi verò crudeliter sæviat, patientiæ gloria restat, aut licet etiam per fugam saluti consulere, armis se vindicare nunquam licet. Testes sint horum prima nascentis Ecclesiæ tempora, quibus propagata per orbem

Christiana pietas crudelitatis omnis & scelerum portentis Diocletianis, Domitianis, Maximinianis, cum reliquis, subesse, & vel sanguine libens fuso Christiana Sacra vindicare maluit, quàm armorum fragore.

QUÆSTIO POLITICA:

An celeritas, an cunctatio in seditionibus præhabenda?

Pro Cunctatione.

QUuantum Reipublicæ malum seditio, tam necessaria est providentia, medela vulneri ut feratur accommoda. Nulla providentia sinè cautela, cautela sinè cunctatione. Neque calore solo, nec frigore stat Reipublicæ compages. Calorem fove, calcaris vice; sed frigore tempera, ùt fræno agendorum. Dissipat, & rumpit quidem celeritas, & furor, sed non emendat: tantò majore sin damno, certè periculo, quod integratis ausibus furor redeat. Cunctatio, quæ non negligit, aut contemnit, sed pacatè negotia transigit, utiliùs semper sedat discrimen. Non momento recedit noctis obscuritas, sed successivè triumphat lux; sic cauta periculi depulsio serenitatis constantis est prodromus. Repentina nimis mutatio valetudinis è morbo, Medicis ipsis ferè suspecta, quia periculosa. Rarum Principem sic fovit fortuna, quem casibus non nullis non presserit. Aureum in his malim, quàm lignenm. quem flamma persequens dum tentat, neque strepit, neque absumitur, sed flecti nescius durando rumpit; vel, si ferreus sit, scoriam absumat flamma periculi, non substantiam. Fatiscunt sæpius mala, si in mollem incidant; hebetat impetum globi, & celat terra, vel lana, quem durior obex ignes ignibus reddens sui ruinâ auxisset. Exasperat ampliùs indignatio præcox vulgus asperum; ùt auget incendium agitatio, quod sopivisset neglectus. Sæpe languescit ardor æmuli cunctatione sapienti perinde, ac cordata. Triumphat hostis, dum metuentem videt æmulum. Celerat ferè,

qui

qui metuit. Impavidus esto Princeps, durando amplius, quàm repugnando celeriter, injuriam minues; contemptus cordatus vindicta, risus seditionis erit victoria. Reluctatur plebs fræno tantisper, ùt sonipes; at labente tempore, dùm obsequatur, quid refert arenam calce ejusdem turbari nonnihil? Furorem sensim frangit sessor, non festinatione præcoci; cedit suo etiam juri, ut cum fænore deinceps augeat. Paret tempore, & plebs, cùm impetum fregit. Vim qui celeritate tentat, frangit, non flectit. Nolim tamen colluvioni Majestatem principis objici. Dissimulanda non nihil sereno vultu sunt vulnera. Tum quòd congenitum vulgo gelu solvatur, ubi hic sol arridet, ut jam delectet parere, cui obluctari pudet. Tum quod risui æmulis, dolori sibi majori; & malum jam duplex sit, ferre nonnihil malum nec scire, nec velle. Dandum ingeniis est aliquid, præcipuâ regnantûm dote, dissimulando. Cedunt sereno frequentiùs, quæ turbido vix cessissent. Pacis gratiâ indulgendum non nihil temporis; nam mora ipsa periculi remedium eò sæpe certiùs fuit, quò certiùs benevolentiæ, & providentiæ indicium: Euripo æmula dum rapitur plebs, irruere, quò providum minùs eo sapiens miniùs est. Gladiatorum est consilium in arena & capessere, & exequi, non Principum. Juventutis hic scopulus non virtutis, quam experientia, ratio, consilium & format, & firmat. Quisquis nimis citò sopire febrim cupit, auget. Ignis fatuus celeritas est, comites cum ignominia in felicitas, cum dedecore error, sinè miseratione dolor. Emendari enim vix possunt præcipitata, quia ex alto rapitur impetus. Gressus lentior contrà quia regressui spatium præbet, malo tutiùs cicatricem obducit. Non vincere duntaxat, quod novit & bellua; sed sinè vel discrimine, vel sanguine vincere, laudi dandum est Principi. Cunctationis hæc dos est, & stratagema, non celeritatis. Gladius dicebatur Romæ Marcellus, scutum cunctator Fabius, meritò præplacuit iste. Periculosius iter nullum, ac seditionis; lentè cum testudine gradiendum, ubicunque cunctatio adfuerit, sub scuto Princeps erit. Tentat celeritas frequentiùs plura, quæ nisì consilio pondus habeant, inconstantiâ pari dilabuntur. Non

lan-

languet qui providè, cautè, ſapienter differt. Cauta magìs, quàm felicia ex eventu Principem decent. Cauta facit cunctatio. Deliberet phlegma, dum executio ferveat inſtar ignis, id eſt *feſtina*, ſed *lentè* cum Auguſto. Lentè diſcute, celeriter age.

Pro Celeritate.

O Quàm bellum nomen providentia, conſilium, cautela! At, quàm ſinè omine omnia, dum ſermo eſt de ſeditione. Scintilla, quam niſì ſedes principio, incendia vomet, quorum furori ſolis Patriæ buſtis parentetur. Cancræna, & peſtis, quæ niſì præcidantur in ſemine, non niſì exitium voragini ſuæ limitem ſtatuunt. Et hoc malum benevolentiâ, diſſimulatione, morâ Princeps toleret? Nunquam in Patriam impius magìs, quàm, cúm in ſuos ſic pius eſſe cupit: nunquam magìs improvidus, quàm cùm taliter providus. Diſſimula latentis mali initia, tuba æmulis erit oſcitantia, dum alii metum, alii ignorantiam, vecordiam, & torporem alii arbitrantur, & vel ideo, tâm ſui incurium, quàm Patriæ iniquum, ignavum Principem ſpernunt. Nunquam acriùs furit plebs, ac dum primos cernit impetus è ſententia cedere. Nunquam contrà domatur faciliùs, atque ſecuriùs, quàm dum primis ſe cernit auſibus luſam. Tum enim verò audaciæ, furoris, temeritatis trophæum momento ſtatuitur. Quàm prona ad audendum ſunt vulgi ſtudia, ſi initia faveant, tam ſui ipſius impos, & ignavus eſt furor ubi primos virtus Principis vitales ſpiritus, quaſi florem pruina, decoxerit. Facit hæc omnia celeritas tempeſtati imminens, cùm primùm inaudiit: hæc una felicitatis arbitra, ſpei, & votorum, & cedentium in commoda Patriæ eventuum eſt corona. Rumpes namque facilè, quæ rapueris conſilia: Tum quia improviſa, tum quia eò acerbiùs mordent, quò prima hebetant guſtum ampliùs, vel obtundunt. Roſa in orbem donec convolvitur, ſucco plena eſt, explicata marceſcit. Qui in unum congeſtus Ægyptum omnem navigabilem reddit Nilus, leniter defluit in rivulos ſubteraneos ſparſus. Sic ſeditio in ſemine oppreſſa, quia vim aut diviſam, aut florentem duntaxat

taxat nanciſcitur, momento perit. Peſſimè Reipublicæ conſulit, qui ſeria quamvis cupiat, ſera magìs ſuadet auxilia vel eò, quia ſic magìs proficua. At, quis ſera præferat, oro, dum in cuſpide, quod dicimus, Patriæ libratur felicitas, gloria, vita? Ubi litigare apes incipiunt, ſolvi Rempublicam: ubi ſcindi tabulas, triremem Urbi ſupparem mergi oportet. Ubi diſſidet Magiſtratus, ac populus, exitium prope domeſticum in momenta expectes. Quod converſiones Gentium, Regnorum, Urbium non ſpectâſſet orbis; hæc ſi principia cordi magìs fuiſſent. At eſto, ſanctiſſima vitæ ſtudia vigore careant, & ſanguine, belli fortuna invìſa ferè, & amiſſa defluát, ſi cunctentur; ſanè veris primitias agricola ſi negligat, ſpem ſuccidit; ſic ſecuritas, quies, felicitas ſecutura concidit cum prima occaſione neglecta. Utinam Reipublicæ excidio hanc non docuiſſet Principes veritatem eventus lugubris! Quæ gliſcentia in ictu præfocas, & configis conſilia, ùt invaluerint tempore, vires ſumentia non nisì excidio reſtinguis. Langueat ardor alius diuturnitate, non ſedito, quæ torrentis more, quò dilatatur ampliùs, hoc graſſatur impuniùs. Quoties ſervârunt Patriam ſuſcepta in arena conſilia! Raró enim ſerium, quidquid ſerum. Cudantur conſilia in curiis, rapi oportet unà & calybem ſeu pænæ, ſeu terrori, dum ſeditio viſcera rimatur. Remedia omnia, aut ſegnes Medicos natura ipſa contemnit, quaſi mori celeriter malit, quàm ſerò, & cum diſcrimine valere. Victor orbis Julius ſi, ùt bello, ſic ſeditione cellerâſſet, nunquam Bruto cecidiſſet.



§. IV.

§. IV.

Conspiratio , Proditio , Earum remedia.



Divide, rivus erit, qui nuc rupto aggere torrens
Immensos vasto flumine mergit agros.
Divide; scissa perit, quæ ferret juncta ruinam,
Turba ferox, regnis seditiosa tuis.

DOCTRINA POLITICA.

Conjuratio est plurium, vel unius consilium ad summi Reipublicæ Magistratûs exitium. Hoc consilium est aliquando unius tantùm, dum videlicet unus nefando consilio in Principis personam conspirat; aliquando plurium, qui communicato consilio insidias struunt. Quod malum ùt Reipublicæ periculosissimum, ità perniciosissimum semper est, & vel à metu crudelis Principis, vel etiam ex vitiis illius, ùt dixi, in historiis duxit originem. Quamquam authores mali tanti ferè esse soleant *Imò: ambitiosi*, præsertim si iisdem dignitas & honor petitus negetur; potentes opibus, & clientelis, ac idcirco arrogantes. Hi enim omnes imperia graviter ferunt, contumeliæ vel um-

umbram execrantur, & idcirco in Principem conſpirant quàm facillimè, ùt quem, cùm ſe majorem videant, in ordinem redigere contendunt. Ferè enim cæca eſt arrogantia, ſuámque ipſa felicitatem non capit, & majora cupit, quàm mereatur, aut ferre poſſit. *2dò*: *Inopes*, præſertim Nobiles, & profligatæ malitiæ. Illi, quia in affluentia nequeunt, in egeſtate vivere nollunt, odio fortunæ rebus novandis ſtudent, malentes publico, quàm ſuo ſolius exitio perire. Hi verò, quia de vita ſua deſperant, in nefanda molimina ſæpenumero proruunt. *3tiò*: *Inquieti, & turbulenti.* Eſt enim genus hominum Sal. l. 1. hiſt. cui in ſeditionibus quies, in pace turbæ ſunt. Utpote cùm honores, Tul. 2. in Catil. quos quietâ Republicâ deſperat, perturbatâ conſequi ſe poſſe arbitratur.

Medebitur Princeps conjurationi. *Imò*: ſi providè, & cautè per fidos, & ſolertes indaget, quid ſubditi aut dicant, aut faciant? Cùm enim ferè, priusquam temeraria tententur, index conſiliorum ſermo præcedat; ii, qui criminantur, vel faciles criminantibus aures præbent, linguâ prodentur. Unde Princeps exploratorum miniſterio (quos conjurationis tempore nemo ſapiens improbare poteſt) in eorum notitiam veniat, qui, ùt notat Curt. l. 6. à temeritate linguæ ad gladios venire decernunt. *2dò.* Delatores ut fidi ſint, juverit (exemplo Regnorum complurium hoc ævo ſæpius uſurpato) præmia, & impunitatem ei decernere, qui conjuratos indicaverit. Quamquam ſummâ in credendo delatori cautelâ opus ſit; ſi enim accusâſſe criminatori ſuffecerit, quis innocens eſſe poterit? Bene ait, qui crudelitatem hanc immaturam, erroris matrem, conſilii dixit novercam. *3tiò.* Corpus cuſtodiâ militum, animum diſſimulatione, & diffidenitâ prudenti muniat Princeps. *Prudenti* dico, non enim umbra quævis inſtar corporis metuenda eſt. *4tò.* Innocentia, & virtus Principum, ex qua amor omnium in eosdem. In hac ſola vel ab hoſtibus plus eſt præſidii, quàm in cuſtodia legionum. Accedit prompta ſemper talibus adversùs inſidias omnes providentia, omnipotentis protectio. *5tò.* Etſi diſſimulare interdum juvet conjurationem intellectam eò quod ſolùm ſæpe inſidiarum remedium Tac. 14. annal.
judi-

judicet esse, si non intelligantur; quemadmodum Carthaginenses insidias Hannonis, Justin. l. 21. Eteocles militum conspirationem evasit, Xenophon. l. 2. hist. Græc. Consultius tamen est, si scelus constet, graviter punire, & quidem celeri pænâ; ùt habet Valerius Maximus. Neq; necesse est in actum semper fuisse deductum scelus. Nam scelus esse non cessat, quod tantùm cogitatum est: imò non exitus rerum in nefariis ejusmodi rebus, ut habet Cic. pro Milone, sed & consilia legibus vindicantur; quia facinus sunt impietatis meditatæ, cujus solius deliberatio, & consilium vindictam meretur.

Proditio, postremus Reipublicæ evertendæ modus, est occultum cum hostibus consilium de Provincia, Urbe, vel arce ad Principem spectante; hosti tradenda. Eò perniciosius hoc malum est Principi, quò nocet latentiùs, & uno ferè tempore annorum complurium, & dimidii etiam sæculi labores heroicos evertit. Proniores in hanc pestem Reipublicæ sunt *avari*, ùt qui commodum suum, famæ, fidei, rebúsque omnibus, præponunt, teste Salustio. 2dò. *Fraudulenti*, & *versipelles*, item *simulatores*. Nam bene Tacitus 4. annal. fidum non potest esse multiplex, & tortuosum ingenium. Incautus Princeps neminem talibus fideliorem censebit: adeò dextrè simul & subdolè fidem ostentant, & mentiuntur, ut meliores omnibus videantur, ut securitate ipsâ freti majori pretio fidem prodant, & nefaria consilia expleant. Unde omni Argo vigilantior eos Princeps observet, qui affectatè nimis amorem, & fidelitatem suam probare conantur. Ferè enim vel ad obtinendum aliquod occultum bonum, vel certè ad proditionem fraude hâ sese disponunt. Quodsi verò manifesta sit Principi proditio, nisì tyrannus esse velit in suos; & Rempúblicam Princeps, spei, & veniæ det locum nullum, sed acerbitate, & celeritate pænæ compenset gravitatem delicti, ut exemplo docti, quos sceleratos Patria cives habet, ab ejusdem quærenda, aut promovenda ruina deterreantur.

QUÆ-

QUÆSTIO POLITICA.

Uter graviùs erret, qui fidit, an qui diffidit omnibus?

Pro Eo, Qui Fidit.

NIhil damnosius fiduciâ nimiâ. Oculo credulus ejusmodi caret, & manu, quorum alter consiliis, altera negotiis si desint, anima deest. Vel ventis, vel undis credis, quæ facili nimiùm credulitate omnibus pleno arbitrio credis. Experrectus ad curas, experrectus ad sensa sit animus, ut & idoneis committas tractanda, & an tractata commissa sint, invigiles. Sexcentis dolis & fraudibus sternit viam credulitas. Nemo præsumit liberiùs, quàm qui liber suspicionis à scelere. Tuta servis ignavia est nimia securitas Domini. Sollicitudinis omnis expers fiducia vel neglectûs officii, vel interitûs lucri mater est. Cautiore etiam qui rimatur obtutu, aut cæcutit, aut fallitur sæpius; quid aget, qui vel simplicitate ductus, vel ignaviâ se communicat omnibus? Oculi & mentis studio opus est, ut discernas, quid animo, quid manui subsit alienæ: studium unum complurium ferè est adulatione placere, virtutis specie distinguendi facultatem excæcare, metus est obsequium, vis coacta veneratio, necessitas amicitia. Ipsâ veritatis larvâ sibi plaudit malitia. Et huic te, tuáque tu fidere? Cave communicare tesseram, quia consilium ipsum hoc pacto communicas. Metuendus est hostis viro publico, præsertim Principi. At, si Augusto credimus, amici ipsi ampliùs; ùt quorum laqueis plures, quàm hostibus victima ceciderunt: cùm hosti amicum, huic porro, si simulatus sit, opponere liceat neminem, arcanorum utpote conscio, ac penè arbitro. Proximus certè nocendi aditus est fides perfido data: ùt quæ cordis rimatur abdita, dum exploratis consiliis fascinet animum. Natura ipsa sinu intimo cor condidit, doctura, raris patere debere. Consilium vel uni sæpe detectum quoties domui, Urbi, Patriæ nocuit! Non

temerè quidem, neque tamen omnibus fidendum velim, quia error sinè medela. Honorandos omnes, at paucis credenda sensa, regendi regulam dedit Apollonius quondam Babiloniæ Regi. Et bene: nisì pelluceret aqua, corallia & uniones non tam facilè raperet urinator. Tutiùs thesauros conservat terra, quia omnibus opaca. Errat communis omnibus fiducia, sive dum credit cuivis munera, sive postquam credidit. Neque enim ponderi cuivis suppar lacertus est omnis, ùt gigantæo calybi dextera pumilionis. Aut si pares sint moli vires & animi: Mater indulgentiæ erit fiducia. Filia porro agendi seu incuria, seu licentia; dum & contemnitur dominus, muneris collator beneficus: & administer ejus se opibus dicat, qui curarum esse vacuus cupit. Quid? quòd & potestas ei traditur, à quo pendere pleno jure vis omnia. Fastos lege, conspirationis hæc causa erat non una, sive præfidentiâ ejus, cui fiditur; sive æmulatione aliorum, quos fiducia hæc aut premit: aut lancinat. Adjumentum regendi fiducia est, sed detrimentum, imò exitium, si nimia. Committantur virtutis merito plurima; fidatur, quos merita juvant. Ne tamen plurium jura, immunitates patiantur paucorum, vigil oculus adsit in specula. Conscium cupio & cautum, non scrutatorem. Negotia trade, non dominatum. Currum cede, non habenas. Fide deniqûe, sed cui, & quantùm, vide.

Pro Eo, Qui Diffidit.

QUamquam fidendum non facilè, ac ei, cum quo modii salis absumpti complures: Minùs tamen nocet, qui omnibus, quàm qui nemini fidit. Minùs namque nocivum non optimis fidere, quàm bonis ipsis diffidere. Uni sibi fidere videtur, qui didiffit omnibus. Et quis ventorum ac marium gnarus adeò, ut unus insanum naufragii æstum securus adeat? & tamen faciliùs tempestatis, quàm sæculi procellas evaseris. Metuere, suspicari; irasci, amare inaniter, & in sexcentis decipi oportet, quem omnibus delectat fidere, fateor. At, errat ampliùs, qui ut sapiat, vel magis sapere videatur, se unum fide di-

gnum

gnum existimat. Odio ferè censor est, æqua perinde ac iniqua dijudicans; at majori, qui fidit nemini; cùm diffiteri nequeat ultimô, se sibi ipsi diffidere. Comem in omnes, retractum unà; candidum, cautum tamen te cupio. Neque sic obscuri amantem in te, ut nemo quid sentias, dispicere; sic tamen, ut non omnis possit, sed solâ duce ratione. Seipsum diffidentia perdit, si sinè fiducia sit. Torquet suspicio mentem lanienâ semper domesticâ, cui monstra sunt omnia, & umbræ in ruinam progenitæ. Vermis illi perennis in animo, convulsum ventis pelagus, tenebræ lumini omni infestæ. Et hic felix esse possit, qui pavet semper; rigétque perenni hyeme, tametsi caleant omnes? Nunquam tutus est, qui tuta veretur omnia. Infelix animus qui pusillanimis semper, qualem esse necesse est, qui diffidit. Risit Domitianum vetustas, quód marmorea Pyrhitis cubicula incoleret, ut à tergo posita videre liceret. Sibilo dignum censûit Dionysium Sicilia, nè liberis quidem barbam tondendam credentem. Mirata cum Carolo VII. Patre, veneni semper metu afflicto, Ludovicum XI. filium Gallia, custodes ipsos vitæ æmulos existimantem. Et hi somniatores umbrarum, sibi, ac Reipublicæ exitium non accersant? Sibi inquam, quia suspicax ferè duntaxat est, qui paris reus delicti, pari omnes morbo furere existimat. Virtutis omnis vel eò inops, quòd nullius fidat virtuti. Nihil acturus, dum omnibus diffidere mavult. Jacent namque neglecta negotia, dum nec unus omnium capax, vec aliis per umbras fidens. Quid? quòd diffidenti fidat nemo; suspicio suspiciones mutuas proritet; dúmque alios credit moliri, moliri in se alios concitet; donec cadat eò faciliùs, quò ferè insidiis petitur. Verba talis suspecta sunt omnia, torquentur in pravum facta, judicantur & ficta. Amicus sit quamvis, æmulus creditur, quia caret amicitiæ glutine, fide mutuâ. Servos aspice, dum diffidit herus, pessumire sinunt omnia; ut diffidere deinde jure & possit, & debeat, qui injuriâ ante voluerat. Neque enim acriùs unquam vulneratur mens

 fida,

fida, quàm diffidentia. Reipublicæ porro nocivus. Quis enim Patriæ ſub Principe ſerviat, qui candorem non noverit? Piget litare ſanguinem; quem ſuſpicio rivalem, aut infidum credit. Via moliendi exitium non una fuerat, dum immeritò credebatur malus, quem fidum Patria eſt experta. Fides ſemper tollitur diffidenti. Ut enim amor amori, ſic fides fidei redditur, aut mutatur. Fiducia namque cauta, niſi inſanabilis jam ſit perfidia, ad obſequium, etiam perfidum revocat vel reluctantem.

FINIS
PARTIS SECUNDÆ.



PRO-



PROBLEMATUM
ET
DOCTRINÆ POLITICÆ
PARTIS SECUNDÆ.

INDEX.

IN-

INDEX
Quæstionum Problematicarum
PARTIS SECUNDÆ.

XVIII.



IDEA SAPIENTIS
THEO-POLITICI,

ID EST:

Tripartitæ Morum Philoſophiæ

PARS TERTIA

OECONOMICA.

PHILOSOPHIÆ MORUM PARS TERTIA OECONOMICA.

QUÆSTIO UNICA.

§. I.

De Patre familias.



Ut properent mandata feræ, rugîsse leonem
Est satis; atque animi signa dedisse sui.
Quid quereris, cuì cura domûs commissa regendæ est?
Subdita, vis, tibi gens pareat? esto vigil.

DOCTRINA POLITICA.



Uamquam Aristoteles pauca admodum de Oeconomia tradiderit, quæ pro varietate locorum, personarum, & temporum varia est, & ferme circa singularia tantùm versatur; cùm tamen tertiam Philosophiæ Moralis partem Oeconomia constituat,

de qua idem Philoſophus fundamenta quædam tradidit, paucis eandem expedio. Dirigit enim hominem ad domum, aulam, & rem familiarem Curandam non ſecus, ac Politica ad civitatem moderandam. Et quemadmodum varii ſunt ſtatus, & munera hominum, ſic varia dici poteſt Oeconomia. Alia eſt hominum *privatorum privata:* Alia *ſenatorum*, *Civilis* : Alia *Prætorum*, & *Magiſtratuum minorum.* Alia demum *Regia*, ſeu *Magiſtratuum ſummorum.* Quorum Majeſtati tametſi non congruat minimos redituum, & expenſarum apices veſtigare, curæ tamen eſſe cumprimis debet, ſic ſumptus aulæ, belli, & ſuæ in alios liberalitatis moderari, ut communis ille prodigalitatis ſcopulus vitetur, ſubditorum per tributa, & exactiones oppreſſio.

Oeconomus privatus is omnis eſt, qui rem curat familiarem. Oeconomia res ipſa eſt familiaris. Quæ primùm conſtat familiâ, ſeu ſocietate, unius Patris familias poteſtati naturâ vel jure ſubjecta. Cujusmodi ſunt uxor, filius, ſervus, Nepos &c. item, quæ à fortuna ſunt, ſcilicet poſſeſſiones, ſeu res poſſeſſæ, quæ vitæ commodè ſuſtentandæ neceſſariæ ſunt. Triplex in hos ſibi ſubjectos imperium habet Pater familias; *Civile* in uxorem, velut ſociam, non ancillam. *Regium* in liberos, ſalvâ naturæ, & æquitatis lege, quòd vitam iis adimere nequeat. *Herile* in ſervos, tanquam inſtrumenta vitæ ſocialis.

Omne Patris familias munus Xenophon l. 3. complexus eſt, dum ait : ejus eſſe primùm, ut ſubditos ſuos morigeros reddat, & obſequentes. 2. Singulis, quid agendum ſit, præcipiat. 3. Benevolentiam omnium comparet, etiam viciniorum. 4. Malos puniat, bonos præmiet. 5. Socios adſciſcat. 6. Sua diligenter cuſtodiat, 7. Laboris ſit tolerans, & accuratus. Addens œconomicum exemplum Ducis apum. Præſtabit hæc omnia nullo negotio, ſi certus ſit non in multorum poſſeſſione, & amplificatione opum (quæ etiam malis artibus fieri poteſt) ſed in recto partorum uſu boni œeconomi laudem conſiſtere, & providentiam. In hac enim tenere modum, ſervare ordinem, decoris, & honeſti rationem habere, hic labor, hoc opus eſt. De quo paucis infrà.

Hinc

Hinc *Imò* cum Cyro apud Xenph. l. 1. Nihil DEI cultu neglecto aggrediatur. *2dò. Providus* ſit, ut debito tempore, loco parentur alia, mutentut alia, quæ quotidiano, menſtruo, vel annuo uſui ſerviant. Alia enim vere, alia æſtate, alia autumni tempore emi convenit, pretii, & bonitatis ſuæ causâ. Multa quóque è fundo proprio leget impendia, quæ incautus negliget alius; cùm tamen oraculo teſte: nequam ille agricola ſit, qui ea emit, quæ ſuus ei fundus poteſt præſtare. *3tiò. Vigil*, & *cautus* ſit; illud ſecuritati domûs nunquam ſine cuſtode linquendæ, & ſervorum ſedulitati conducit. Hinc primus ſurgat, memor illius veteris: *ſanctificat, ditat te ſurgere manè.* Ultimus decumbat. Sic enim ſemper imperia in ſubditos manabunt à Domino. *Cautus* porro, nè famulis curam omnem ſinat, quæ ruinæ eſt cauſa. Urget fervorem, & fidelitatem ſubditorum præſentia Turni. In tabulas item referat omnia, ut accepti, & expenſi ratio conſtet. Hâc causâ M. Antonius, imò nullus Romanis frugi Pater familias eſt habitus, qui has negligeret tabulas. *4tò.* Quàm minimum impendii facere ſic curet, ut tamen avaritiæ ſordes vitet. Cato quæſitus: quis quæſtus eſſet certiſſimus? repoſuit: ſi bene paſcas. Quis proximus? ſi mediocriter paſcas, ait. Hoc utìnam ſervâſſent multi, non verum illud Senecæ experti fuiſſent: *ſera in fundo parſimonia. 5tò.* Rem ſupervacuam nullam requirat, hoc enim eſt abundantiæ; ſed rem quoque neceſſariam nullam deſiderari patiatur, ùt monebat Pittacus. Unde emax, & cupidus non ſit, nisì neceſſitas, aut utilitas urgeat. Sed parſimoniâ utatur, ùt prius dixi. O Dii immortales! monet Tullius, non intelligunt homines quàm magnum veſtigal ſit parſimonia. *6tò.* Diligens, & laborioſus conſtanter ſit. Operâ ſæpe, & diligentiâ multâ, non impenſis res creſcunt. *7mò.* Rem familiarem honeſtis tantùm artibus augeat. Secus enim laborat famâ, aut conſcientiâ. Et cùm repererit omnia, nihil ſatìs habebit. *8vò.* In emendo cautus ſit, & vigilans; non cæcâ cupiditate ſe illici oſtendat. Unde videat, quid alii ſapientes, & providi pro eodem daturi; & an decori, & utilitati ſibi ſit magìs, quàm oſtentationi.

QUÆSTIO POLITICA.

An otiosi, an negotiosi diutiùs vivant?

PRO OTIOSIS.

NOn herculeos dedit natura lacertos homini, sed limitem statuit tum mentis, tum virium. Quid futurum proinde, si constanti labore vel Argum, vel comitem laboris Patremfamilias suis velis adesse? Atteritur perenni frictu calybs, cavantur guttis marmora, cedunt stillicidiis moles vastissimæ; & viribus labem non adferat cura perennis? Non saxea est mens mortalium, sed cerea: neque immensa, ùt Philosophis loqui placet, agendi virtute ab authore omnium est donata; & hæc tamen constanti motu se indefessa circumagat, ut rem familiarem curet, liberis consulat, fortunas augeat? Vitrum aspice, fragile sit licèt, si servetur in otio, ætatem durat & sæcula, dum interim in pulverem molitur lapis, minuuntur marmora, quæ perenni gressu teruntur. Non solus hodie orcus, sed & mundus suos censet Tantalos, quorum animos auri & argenti cura dies coquit, noctésque, non secus, ac ignis paleas, donec metallo, cui ætatem omnem consecrant, reddat concolores. Quid refert sollicitudine perenni ceu fluctibus animum vellicare? quasi verò Paterfamilias esse possit nemo, nisi vulturem Titii circumferat inquilinam, quæ æterno curarum vulnere cor sauciet. Sollicitudo quælibet vultur est. Procul sollicitudine, procul curis prima egêre orbis sæcula: hinc durabilior vigor, mens, ætas; quæ quiete servantur. Liberis Pater ut consulat, quid refert Ixionis rotam volvere labore improbo, & ferè incerto? dum quod improbus ferè peperit sudor, prodiga dissipat manus & ingrata. Aliter, & meliùs consulit liberis sapiens Pater, educationis, non fortunarum thesauros impertiens. Non vacat sexcentis Patribus melioribus his gazis intendere, quia mens, animus, cura omnis in fortunas temporis rapitur, & detorquetur. Videas, & an fleas, an rideas indies, nescio: harpyæ in morem oculo & ungne in rem domesticam

ſticam parandam, ornandam intentos, neque tamen ullius minùs providos, quam ſuorum. Aliena comparant, ſua perdunt. Nihil enim tam ſuum, quàm liberi, alienum, quàm fortunæ. Etſi anguſta ſit nonnunquam ſupellex, faciliùs in egeſtate virtutem coluerint liberi, atque in affluentia rerum. Virtutum hæredes ſcribito, non facultatum; & divites ſin relinquis, facis. Ampliſſimum ſibi Patrimonium virtus eſt, & negotio nullo fortunas parat, quas hæreditas non conceſſit; fortunas ſi non ſæculi, certè animi. Hinc ſapiens id Philoſophorum quondam: conſultius mediocres, quàm immenſas habere fortunas. Ferè enim quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. Imò & vitiorum fomenta fortunarum ſunt incrementa. Quid neceſſe eſt ad metalla teipſum damnare, ut metalli glebam inferas gazis? Prodigere optimam mortalis vitæ partem, valetudinem, viresque aut frangere, aut ante tempus conſumere. Genio, dum vacat, lita. Videas per ſexcenta maris pericula inſtitorem, in arena gladiatorem ad majus periculum ruere, vitam prodigere, utrumque nundinandæ rei, quæ vitæ ipſius tuendæ, & proregandæ causâ eſt condita. O præpoſterum naturæ, & naturæ conditoris ordini ordinem? Epibatas ad tranſtra damnatos credas, non ſuo negotiantes, ſi nonnullorum vita, labor, ſtudia ſpectentur. Dies operâ, noctes curis ferè pervigiles: ut labor laboris non terminus, ſed ſemen videatur. Sibi ut vivant, conditi ſunt, & authori. Authori minimùm, ſibi parum, poſteris vivunt nihil. Authoris namque ferè immemores, ſui incurii, poſterorum aut oſores, quibus per fas & nefas corradunt, aut ludibrium, dum alienus ferè improbus ſudor alienæ eſt fomentum ſin ſocordiæ, atque licentiæ, certè paſſim ingratitudinis & contemptûs.

Pro Negotiosis

ACtum de vita mortalium, imò toto eſt orbe, ſi otium amuletum vitæ edicas. Chara pax omnibus ſemper, inviſum bellum. Errat tamen, qui negotium belli, otium pacis ſymbolum dixerit. Faceſſat humana induſtria, vitæ non dicam commoda, ſed alimenta, virtus

ipſa, ubi otium palmam tulerit. Non minuunt, ſed acuunt animos curæ, ſi moderatæ. Elidat vim & vigorem omnem conatus, ſi decumanus ſit, non tamen elidit, ſi humeris ſuppar fuerit. *Age quod agis*, inclamabat vetuſtas ſapiens, ſed addidit unà: *Ne quid nimis*? Quid quid enim moderatione, caret una durabilitate, atque adeo ætate. Horologia quiete perpetuâ obſoleſcere, rauceſcere organa, experientia artis nos docuit, ſic Paterfamilias. Nec ſibi, nec orbi, nec poſteris vivit, qui otioſus. Orbi ſi non noxius, odibilis ferè. Ut cujus torpore injuſſa ſementem arva, vites palmitem, alimenta & fomenta Cælum ferat & terra. Quid agendum aut futurum in Curiis, ſi ſybariticis tantùm diffluere viſum ſit ſtudiis? Quid ſecuritatis Patriæ; quid fructûs laurea arenæ latura eſt, ſi unum illud conſilium placeat, quod caret arduitate? Vel eò contra diſpliceat omne, quia labori junctum aut difficultati? Grandis & utilis orbi nemo, nisì de quo Vates è vero; *Multa tulit*, *fecîtque*. Neutrum fit otio tabeſcendo. At an noxius orbi magìs, an ſibi moleſtus ampliùs, dubium eſto. Otium juge, ùt rubigo calybem exedit, dum contra cote gaudet virtus quælibet. Politur exercitio ipſo ingenii acies, ùt virtus æmulo. Aqua perenni inquietudine rapta purior ferè atque Salubrior eſt; quæ ſtagnat perenni otio, inſecta gignit, atque mephitim. Sic morborum exercitus, languor, hebetudo ſenſuum quotidianus vitæ otioſæ ſunt cenſus. Poſteris demum quid condit, oro, ſeu ſolatio, ſeu documento, ſeu gloriæ? qui nunquam, quod dicimus, manum ad aratrum. Certa in fundo foret parſimonia colono, nisì æſtum & brumam & pati didiciſſet, & vellet. Sapienter ille, cui Gentilitium quondam lemma: *Laborandum*. Et bene. *Qualis Rex*, *talis grex*. Torpebunt otio omnia, ubi oculus vigil non adeſt. Languebit in Reipublica artium, literarum, virtutúmque omnium ſtudium, ſi hoc pacto liceat otio indulgere. Sanè tempeſtas nulla domui aut Reipublicæ majoris plena periculi, atque adeò majoris ferax perniciei, ac hæc malacia. Leonem vide: rugitu unius attonita ſtant animalia cætera. Eſto leo vigil in tuos, metu percellens torpentes. Unà tamen horologium, movens

vens

vens tuos, motúque tuo ſingulis agendi horas diſpeſcens. Satìs ſic vives tibi, tuis, orbi. Diutiùs profectò, quia æternitas aut labores aut fructus tuos cùm legerit, famam in fænus reddet ac gloriam: dum deſes in otio, tanquam veterno ſepultus inglorius vixdum craſtina dignus paſſim cenſebitur. Quàm rude artium, literarum, facultatum omnium ſæculum viveremus. ſi in otio duntaxat ſtertere licuiſſet majoribus. Flos artium, ſæculorum erudita tempora, ingeniorum inventa ſeduli ſunt laboris fructus, non otii, Apellem, Phidiam, Archimedem mors & gladius ſuſtilit. Potiorem, quia meliorem eorundem partem auferre non poterat, gloriam; & quod caput eſt, durantem in poſteris artem, & commendationem. Compendium hoc erat non torpentis præ deſidia aut penicilli, aut ſcalpri, ſed quotidianæ paræmiæ: *Nulla dies ſinè linea.* Neque tamen eò te ad labores Syſyphi damnatum velim. Solertem cupio, non irrequietum: navum, non turbulentum: providum & acuratum, non ſordidum & avarum, Agentem omnia, & tibi, tuíſque, imò & aliis conſulentem, nihil tamen quodammodo operantem. Magna omnia mens humana complecti, ſtatuere, & deſignare poteſt, ſuavi tamen fortíque una, quia efficaci ſilentio omnia & moderari, & promovere. Ut profundiores ferè alveos excavat amnis lenè decurrens, ac qui turbulento impetu rapitur. Superficem hic ferè radit, non fundum, Vives ſic tibi ampliùs, quia ſemper tuus. Tuis, quia nutu pendentibus. Orbi, quia non tam tuo, quàm aliorum commodo usque intentus.



§. II.

Mutua Patris, & Matris familias munera. Eorundem modi parandi fortunas.



Assidet unanimi concors cum turture turtur,
Atque obit officii munera quisque sui.
Connubium felix! si sic cum conjuge conjux
Vivat, & unanimem servet uterque fidem.

DOCTRINA POLITICA.

FElix familia, in qua vir parandis, mulier custodiendis, & augendis rebus intendit; utriusque laus digna. Neque enim *minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.* Viro cuivis, virtute, non dote; famâ, non formâ; ætatis, & conditionis æqualitate ducenda est uxor. *Virtute*, inquam, *non dote*, nam *veniunt à dote sagittæ, intolerabilius nihil est, quàm fœmina dives.* Quæ verò dos materna pulcherrima? vita pudica. Ait Bias. *Famâ non formâ; fastus* enim, ùt notat Ovidius, *inest pulchris, sequitúrque superbia formam. Æqualitate*, nam, *si qua voles cautè nubere, nube pari*

2do.

2dò. Mulier ùt tori habenda eſt ſocia, non ancilla. Fæmina, & ſervus naturâ differunt, monet Philoſophus 1. Pol. 1. hinc ſerviliter ab ea timeri nolit: leviora indulgeat, de majoribus cum ſignificatione candidæ mentis moneat: neque curiosè nimìs in acta, aut verba omnia indaget. Tum enim, ait Alphonſus Rex, tranquillum erit conjugium, ſi uxor cæca ſit, & maritus ſurdus. *3tiò.* Cum eadem blanditiis nihil agat, quod vecordiæ eſt, coram extraneis illam nunquam objurget, quod inſaniæ eſſe dicit Cleobulus. Hinc ſi vitium in ea ſit iræ, loquacitatis, prodigalitatis, luxûs: exemplo, & lege, non ferro, & ſcipione emendetur. Emendari vitium ſi nequeat, ferendum tantiſper, dum patientiâ, & exemplo, cujus vis eſt magnetica, molliatur. Allecta voluntas paret libenter, coacta contumnax eſt. Convitia (Ariſtoteles c. 4.) & injuriæ abſint ſemper. Roſa incautè tacta ſpinas intorquet. Sic mulier aſperatur duris. Familiæ tamen honori ſic conſulendum, ut flagitia, & turpitudines penitus non tolerentur.

3tiò. Ornatum pro conditione, & decoro indulgeat, exceſſum reſecet. Sæpe enim plus conſumit arrogantia, quàm acquirat induſtria: eſurit familia, & dorſo ſplendor, & ſubſtantia omnis portatur, non ſinè creditorum ipſorum damno, & lectu. *4tò.* Arcana, nè levia quidem, ei detegat, aut ſi aliquid ei dixerit, rem certè totam non manifeſtet. Cæterùm omnia ei domi ſuæ confidat, præterquam officii publici. *5tò.* In omnibus ſic ei conſulat concordiâ mutuâ, ope, auxilio, conſilio, & fidei integritate, ut neminem uxor præ ſe coli intelligat; neminem ipſa præ viro ſuo utiliorem ſibi, & meliorem, ſive præſentem, ſive abſentem exiſtimet. *6tò.* Univerſim ſi humilis ſit, faveat; ſi prudens, commiter tractet; ſi ſtolida, acriter aliquando increpet; ſi ſuperba, coërceat. Qui ſuperbæ paret, imperium amittit; humilem qui conculcat, eanden perdit: qui prudentem acriter reprehendit, deſperationem accerſit; qui ſtolidam nimis blande regit, irridetur.

Mater familias contrà his viciſſim dotibus polleat, ſi ſubſtantiam ſervare, & augere velit in rectè inſtituta familia,

milia. *Imò*. Viro pareat, ſociam, non dominam ſeſe credens. Uxor, & maritus duo ſunt Magiſtratus, ait Ariſtoteles l. 1. Pol. ille major, hæc minor: à majore pendeat, eíque obtemperet. *2dò*. Sedula in curandis domeſticis juxta mentem, & l[illegible]es viri. Studioſa providentiæ in iisdem, nè rei alicujus ſit inopia; nitoris, & honeſtatis, ne quid diſpliceat; ordinis, ne quærentem aliquid fallat; medioeritatis, & frugalitatis, ut valetudini, & rei familiari conſultum ſit. *3tiò*. In acta viri non inquirat, neque in arcana, neque in externa munia. Nam *fæminæ ſilentium, & prudentia pulcherrimum, quia rariſſimum*, ait Heraclides.

4tò. Sincerè cum viro agat, eundem æſtimet, & colat, tum ejusdem ſanguine junctos. Hinc eidem fidem integram ſervet, ejus nutibus in omnibus rectis, & æquis obſequens, adverſæ, & ſecundæ ſortis comes ſit, & adjutrix. *5tò*. Modeſtiam, & virtutem, vitæ honeſtæ, & pudicæ ſtudium curet, & ab hoc commendari potiùs quærat, quàm veſtium ſplendore, formæ ſpecie, corporis nitore, vel auro. Certa ſit, gloriam hanc omnibus aliis antecellere, & plus hæc decora ad laudem ſinceram, quàm illa ambitionis inſtrumenta conferre. Hinc rarò domo exeat, nec nisì è viri præſcripto ſumptus faciat. Parciùs ſe veſtiat, ac leges ſinant. In domum neminem, nisì viri arbitrio, inducat. *6tò*. Denique id Romanorum cordi ſumat, quibus infamiâ notabatur mulier, quæ legum harum erat contemptrix. 1. Ne inter ſpectacula fabuletur. 2. Ne cibis ſe ingurgitet. 3. Ne ſecreto cum viro colloquatur. 4. Ne oculos in fanis attollat. 5. Ne de feneſtris proſpectet. 6. Ne domo ſinè marito exeat. Quod hodie compluribus, etiam Europæ cultioris, populis in uſu eſt admodum.

Naturalis bonorum poſſeſſio alia eſt, ùt agriculturæ, aucupii, venationis, paſtionis. *Artificialis* eſt alia, ùt mercaturæ, & commutationis. Illam natura, Parens hominum, hanc induſtria reperit. In illa primam ſibi curam vendicat plurimarum, & optimarum rerum ſuis è terris copia. Convenit, & neceſſarium eſt in hoc cæli, ſoli, regionis rationem haberi, diligentiam locari. *2da*

eſt

est vini ex vinetis. Curandæ ergò per Celsum vites, dum germinant, florent, maturescunt. Sic natura ipsa juvatur ad ubertatem. *3tia* est olerum, & leguminum ex hortis pro familia. Hic olim victus erat universus. Salubris corpori, & sinè invidia parabilis. *4ta* est pomorum è pomariis reponendorum. Certum id tibi sit: Patrem familias eum censendum non esse, qui ea emit, quæ suo è fundo parare potest. Hæc humus ministrabit.

Accedat pecus omne, sive quod villa, sive quod rura alere solent. Grandia hinc impendia non privatis duntaxat, sed & regionibus. Pecuariam, & vinum Hungariæ qui novit, nervum regni quantum in annos singulos jam complectitur? Jam pecuaria pro soli, & regionum varietate varia. Camelis Asia, Elephantis India, equis, & cornutis cæteris Europa abundat. Non nostrum est ire per singula. Experientia, & generalia hæc principia, si amor adsit, quémque docebunt: ut nihil de venatione, aucupio, piscatione, & ruribus hìc dicam.

Artificialis acquirendi ratio naturæ non adversatur, sed juvat. Primas hìc obtinet *Commercium*, eorum videlicet, qui mercaturam exercent, & commutatione per nummum factâ divitias sibi comparant justas. Olim námque, Aristotele teste, res pro rebus cummutabantur; quemadmodum & hodie in barbaris Regionibus Indorum fieri, experientia docet. In cultioris orbis plaga ut faciliùs res procedat, beneficio nummi res nummulariis compensantur. Lectissima hæc est parandæ pecuniæ methodus, modò legibus infrà scribendis agatur. Imò natura ipsa hâc causâ verum id fecit: *non omnis fert omnia tellus*, ut *alter ab alterius pignore sumat opes.* Respublicas ipsas crevisse vidimus, cùm crevêre commercia, ùt Hollandicam, Genuensem, Venetámque hodiedum videre licet. Floruêre regna, florente commercio: jacere contrà est necesse, ubi jacent commercia; quid mirum proinde etiam privatas sic crescere familias?

Hæc porro mercatura exerceri potest, vel navigatione, mari, aut flumine merces advehendo; vel devectione, dum terrâ advehuntur. Aut fæneratione, cùm nummus nummum è censu parit. Huc referre licet & illud, cùm fru-

fructus fundi proprii venduntur, ùt ligna cædua ſylvæ, agri fructus, fodinæ, metalla, lapides.

Secundus modus eſt artium, ſeu artificum induſtria, cùm ſuam quis alteri pretio locet operam, ùt eſt fabrorum &c. aut eorum, qui obſequium deferunt virium, ùt qui ligna, lapides &c. indies operarii deferunt, ſed hæc ùt dura, ità difficilis eſt opum parandarum induſtria. Felix Reſpublica, quæ artificum ſic abundat numero, & delectu, ut dare magìs, quàm accipere valeat. Næ multa: hæc cauſa eſt, ut ditaretur Reſpublica, cur Gallia tot artes coluerit, vulgò *Manufacturas*. Anglia. & Hollandia cur Belgio veteri æmula. Cur ſe ſupra ſe levet Moſcovia; & Vienna flore, quem poſſidet, gaudeat.

In his omnibus laudanda eſt æqui lucri cura. Utinam tamen non id Ovidii l. 1. faſt. verum ſit, *creverunt & opes, & opum furioſa cupido; & cùm poſſideant plurima, plura petunt.* Hinc ſaluberrimum eſt, ſi legibus definiatur tum mercaturæ ratio; ne illa doli meditatio, & mendacii tritura, hominum improborum, non conditionis ſuæ vitio evadat: tum etiam opum adhibendarum uſus per leges ſumptuarias, quibus noverit civis, & nobilis, quid in ædificii ſui, ac domûs ſtructura, quid in veſtium cultu, conviviorum apparatu, ſuppellectilium delectu indultum ſit. Felix Roma, dum cenſoria floruit. Marceſcere cæpit gloria, cùm luxus cenſorum virgulam ſuperavit, & frænum excuſſit.

Paucis, priusquam manum ſumam de tabula, hæc, quisquis es, ſeu familiam, ſeu Regionem ditandi ſume principia. Juſtè, induſtriè, & ſolerter tuis rebus conſule, habitâ exactâ rerum, munerum, locorum, perſonarum, negotiorum notitiâ. Quidquid horum dempſeris, momentum grande tuliſti. Virtutes ſummorum Magiſtratuum à me poſitas conſule, & legis hujus cernes compendium. 2*dò*. Dignitati, neceſſitati, utilitati quod prodeſt, in eo Sumptui non parcat; quidquid in his, aut hæc excedit, reſecet. Hæc cauſa tot Provinciis recepti moris, exacto bello exauthorari non neceſſarium militem, pompam inutilem reſecari, munerum copiam minui, ut ſtipendiis his ſuperfluis ditari ærarium, communi utilitati

tati proſpici, creditoribus ſatisdari, & imminenti neceſſitati valeat provideri. *3tiò. Unde*, & *quo*. *Unde*, id eſt, vide, quibus è fontibus tui reditus manent, quo pacto parari, & augeri cum æquitate poſſint. *Quo*: vide, quos in uſus expendas. *Imum* te vigilantem in tuos, nemini à rationibus dandis, ut ſuprà dixi, impunitate conceſsâ, efficiet; nè Plautiani renoventur exempla, qui opibus ſuis Antonio Caracallæ ipſi formidandus, quia potentior evaſit, liber videlicet rationum dandarum: ſed & induſtrium efficiet conſiliorum, ùt quemadmodum Ferdinandus, & Iſabella Columbum novis deſtinârunt provinciis, & opibus quærendis; quemadmodum commerciis, navigationibus, & Societatibus Europam fervere conſpicimus, ſic alienis nuper, juſtè tamen per te comparatis opibus res tua abundet. *2dum* porro cautum, & ſapientem eſſe docebit. Ad hoc ipſum verò conferet commendatum ſæpius ſtudium ſolers rationum à Magiſtratu quolibet exigendarum, à quibus Philoſophus cum Platone immunem vult nullum; hæc cos eſt fidei in obſequiis, hæc anchora ſalutis, & ſecuritatis Regum, & regionum. *Ultimum* eſto: vigilantia ſumma, ne impendiis majores fiant expenſæ. Abyſſum ipſam exhauriri neceſſe eſt, & vel Cræſi divitias decoqui, ſi plus ſumatur perenni alveo, quàm ſcaturigo ſubminiſtret. Non refert exemplis firmare momentum hoc: lacrimæ, & ruinæ indies obverſantur familiarum, teſtes, & magiſtræ hujus, quam omnibus intimam cupio, veritatis.

QUÆSTIO POLITICO-OECONOMICA.

An commercia, præſertim maritima, Rempublicam felicem magìs, an fortem reddant?

PRO FELICITATE.

RAra donorum eſt trias, quæ privatis perinde rebus ac publicis germanam fundat, auget, ſtabilit felicitatem: alienis non egere, domeſticis abundare, fœdere animos ſociari. Pulcherrima felicitatis epitome, hoc fructuum è commerciis ortorum compendium. Partita eſt

pre-

providentia naturæ Provinciis, Imperiis, Regnis opes, singulis penè singulas duntaxat, rariùs plures, nulli omnes. Vincit naturam institorum industria, velis exiguis Garamantas & Indos sic Europæ nectens, ut orientem in occidentem credas migrare. Nanciscitur hoc pacto Patria quævis domi suæ omnia, quasi omnium sit mater Septemtrio, quæ orbis exterus non jam gignere, sed avara rerum vota possint, aut velint optare. *Alterius non sit, qui suus esse potest*, vetus erat Politica. Verior nullibi regula, ac in Reipublicæ felicitate. Quo enim pacto certiùs canalem hujus alienis è terris in tuas derivas, ac dum non precariò tum commoda, tum subsidia vitæ comparas, alieno non pendes aut arbitrio, aut lege, aut favore. Tantò quippe minùs aliorum indigus, quantò tibi magìs sufficiens. Vincit admirationem Gentium Hollandia, in qua cessat esse prodigium, quia indies innovatum; quòd inops ferè omnium natura soli, fæcunda tamen sit omnium per mercaturam. Orientis opibus nostras ditat Provincias, nostris suas: dum aureos non rivos, sed torrentes, atque adeò felicitatis animam, & Reipublicæ nervum sibi reddit vectigalem. Sequuntur cætera Europæ emporia, Anglia, Gallia, Lusitania, Dania, Russia: quorum cura Princeps, Orientis & Occidentis, Indiæ, Asiæ, Africæ, Americæ, & quæ sunt ejusmodi nominum Societates erigere, tueri, propugnare; quibus è mente Philosophi (l. 1. de Rep. c. 9.) ea fundetur orbi felicitas, quâ commodè sufficiat omnibus, quod avaræ aliquorum in finibus deest naturæ. Risum equidem cierent conatus Principum, & Rerumpublicarum tam improbi, nisì hoc maritimorum cumprimis commerciorum molimine felicitas Patriæ fundaretur. Felicem reddit belli nervus Rempublicam? filia est commerciorum. Succum, & sanguinem sanguisugæ rapiunt exteri, luxûs & splendoris artium reddentes inventa, nostris aurum visceribus deposcentes. Merces utilitas, aromata necessitas, exteri Cæli delicias decumano multi impendio vendicant; si primis è manibus institorum hæc vela deferant; exiguo aliena dum comparant, aureos Jovis imbres, atque adeò Saturni lustra domi suæ promovent, & conservant. Sua

non

non ſinè fænore dum partitur exteris Patria, & alienis ſe ditans ſe unà felicem reddit. Non memoro adamantinam Provinciarum conjunctionem; non alio magìs ſtabiliendam conſilio, quam mercaturæ? Quid porro felicitati optabilius unquam, eo Provinciarum fædere ſic animos vinciente, ut res & ſpes Patriæ omnes pari lance librentur. Ecquid porro ab hac felicitate metûs redundet in æmulos? Quid enim mercantium vela paveat hoſtis? Quid commodis ſuis ſtudentium conſilia vereatur Bellona? Quid Mars, ferro ac flammis armatus, imbellia mercium plauſtra, Oceano circumacta exhorreat?

Pro Fortitudine.

ILluſtre nomen felicitas, non tamen ſeparabile in Republica à fortitudine, atque adeò æmulantûm metu. Nemo felix, nisì quem vereatur tentare æmulus. Stat felicitas Patriæ commerciis præſertim maritimis, quòd domi ſuæ nacta omnia, alieni minùs egens ſubſidii, domina magìs quàm ſerva: quòd Reipublicæ ſanguine pecuniâ locuples: quòd animorum fædere ſociata. Eadem, mihi crede, metûs in æmulos, quia fortitudinis momenta quàm optima. Dotes ſunt Reipublicæ, & orbi non terrendo duntaxat, ſed frænando pares. Metuitur ferè, qui ſic affluit ſuis, ut alienis nec creſcere poſſit, nec velit emolumentis. Sic pavendi omni quondam Mediterraneo Baleares, Bononienſibus Veneti, Hetruſcis Genuates. Brittones demum Galli & Angli temeratori cuivis ſuppa res facti. Aurum animorum philtrum, belli animam, & robur nominat orbis, Habes hunc a commerciis nervum. Sed & Provinciarum concordia vel ſtabilita, vel aucta commerciis, robori, atque adeò metui ſervit ampliùs, quàm felicitati. Fæderatum cum Anglia Belgium Mediterraneo dominans dum ſpectat orbis, æmulo cuivis ſuppar veretur. Nunquam Galliam hoc ipſo ævo Anglis, Hollandis, Italiæ, Hiſpaniæ, Rheno, & Belgio non æmulam modò, ſed metuendam miratus orbis fuiſſet, nisì Preſti, Telonis Martii, & Maſſiliæ mercimoniorum ſtabilita floruiſſent commercia. Quid Mars, ferro ac flammis onuſtus imbellia mercium plauſtra Oceano cir-

cumacta exhorreat ? quæris : Vah præsidentiam! Malè hostis spernitur, cujus ruinam trahit. Imbellia non sunt, quibus potiora præsidia, Mars si vivat, sibi ipse non poscat. Vulcanias sinu devehunt, marisque ipso æmula elementa committunt. Coronatis imbellia hæc plaustra negotium facessivêre capitibus, Imperia constituêre. Novit Albuquerciorum, Vasquiorum, Mendozæ laureas Ulisyppo: Hispanorum ausus America, Gallorum Francia nova. Roma superat suis conclusa finibus, dum terris contenta; orbis imperio æmula, cùm maris mercaturam exorsa. Genuensium, Venetorum, Turcarum dominatûs initia testes sint veritatis. Hanseatici fæderis Urbes, Lubecca, Hamburgum, Dantiscum cum cæteris, Septemtrionis olim terror effectæ sunt, quarum infringendæ bellorum potentiæ par nemo, nisì quod id temporis Austriacos inter Principes major nemo, Carolus V. orbis domitor maximus. Armatas fæderati Belgii classes memora, ductos sub Philippo secundo stupuit Hispania Exercitus, fundatámque Rempublicam, non alio expeditionum nervo, atque flore commerciorum. Eo sanè felicis fortitudinis & potentiæ auctario, ut ætate quoque nostrâ Haaga Comitum, Ryswicum suis cum statûs Principibus paciscendorum fæderum, & agendorum coronatos inter vertices consiliorum monopolia videri possint effecta. Nunquam Mardikanum portum fundando in tantos obices commercio Ludovicus XIV. tam pertinaci ausu contendisset tueri ; nisì ut, qui gentes ad nutum omnes bellis vel illatis, vel ostentatis terruerat, frænum idem evaderet eâ parte Oceano dominaturus. Hoc denique germine Russiæ hodiernæ flos martius creverat, quo Princeps unus Sueciæ, Daniæ, Russiæ, Poloniæ, Orientis, Persidis etiam hodie mastyx, terror Gentium & populorum effectus, grandi nempe Portûs Archangeli in orbem omnem commercio. En felicitatem, quia fortem.

(o)

§. III.

§. III.

Patrum familias cura in liberos.



Qui rude pondus erat, deformis & embrio: nè sit
Sanguinis indecoris, cura paterna facit.
Stirpe foret quoties soboles, & digna parente,
Si quoque cura Patris digna parente foret!

DOCTRINA POLITICA.

DUplex est paterni officii in liberos genitos cura. *Ima* est educatio, *2da* institutio. Primum ex his cum Philosopho ferè definiunt omnes. 1. Lacte nutriendos esse, materno præsertim; cùm, ùt in Ethica suprà dixi, cum lacte virtutes ac vitia sumantur à liberis. Philelpho teste, gemini agrestibus nati parentibus, quorum alter porcino, alter caprino nutritus est lacte; ubi adolevêre, hic à frondosis montium jugis, ille à lutosis paludibus avelli non potuit. l. 1. c 3.

2dò. Cibis firmioribus tantùm assuefieri convenit, non tamen pharmacis, nisì ægritudo cogat. Neque facile permittendus cibi alicujus horror, nè fames deficientibus aliis toleranda sit aliquando. 3. Frigori, & calori mode-

rato aſſuefieri nihil nocet. Valetudo ſic roboratur; & bello, cæteríſque Reipublicæ commodis firmatur. 4. Vini uſus parciſſimus ſit; imò etiam parvulorum nutricibus vini uſum prohibet Ariſtoteles. Quas ſi matris debilitas nimia, vel ægritudo adhibendas eſſe cogat, probas moratas, & honeſtas, præſertim verò continentes, ſani corporis, temperantes, & plerumque bono ciborum genere utentes, ad lac melius formandum.

Inſtitutio quarto vel quinto anno ætatis eſt auſpicanda. Raſa enim tabula ætas hæc coloribus quibusvis aptiſſima eſt. Chryſoſtomi tamen, & Quintiliani è mente, ante ſeptennium intenſiore curâ ut vacet juventus, conſultum eſt. Cùm tamen tum quoque loqui, & agere nonnulla neceſſe ſit, ſuadetur quaſi luſitantibus, & aliud agentibus utilia literarum præcepta inſtillare. Quod præſertim in nobilibus commendandum, quibus per dicta, ſtatuas, luſus, Geographiæ, aut Architecturæ militaris, aut literarum fundamenta ſuggeri & commodiùs, & tenaciùs poſſunt. Experientia certè teſtis eſt, quemadmodum ii, quibus graves principio labores dantur incrementum ſumere non poſſunt; ità qui linguarum, ſcientiarum, & artium peritiâ nimis maturè inſtar præcocis fructûs imbuuntur, quia præſipiunt, tum, cùm ſapere oporteret, contentione perpetuâ fatigatis, & exhauſtis quaſi potentiarum viribus, ante tempus deſipere. Senſim igitur, & creſcentibus annis creſcere oportet & commoda inſtitutionis.

Horum alia ſunt regendis moribus, componendo ad virtutem corpori, formandis artibus, & ſcientiis ingenio. Univerſim ſapienter monet Ariſtoteles 7. Pol. 17. omnibus rebus, quibus aſſuefieri pueri poſſunt, ab ineunte ætate aſſuefaciendos. Cùm educatio ipſam ſæpe naturam immutet, & tenaciùs ſemper hæreant animis, quæ rudibus annis percepimus. In moribus formandis vitanda præprimis juveni. 1. Impudentia, ſeu protervia. 2. Iracundia, & pertinacia. 3. Otium, & deliciæ. 4. Superbia in veſtitu, inceſſu, loquela, geſtu. 5. Intemperantia: præſertim verò 6tò. improborum conſortia, & ludi non decentes. Unde & famuli arcendi, exempli, aut lin-

linguæ non castigatæ. *Verba* enim *movent animos*, *omnis lascivia pectus pulsat*, *& in venas semina mortis agit.* Imò famulantûm consortia penitus prohibenda sunt, quæ plerumque vilia sunt, & vilitatem animis ingenerant.

Curanda porro præ reliquis 1. pietas, & reverentia in Deum. 2. Ingenuitas, & candor pectoris. 3. Modesta in omnibus, & erga omnes libertas. Curiosus, & elatus fastidio, & odio est, non amori. 4. In consortio aliorum facilitatem, & suavitatem non affectatam colere discant. 5. Reverentia Majorum, præsertim sacrarum personarum. 6. Parentum cumprimis exemplum curandum, ne quid in eo spectent, nocere quid possit. Vim enim legis dicta, & facta Parentum in liberis obtinent.

Corpori formando tria sunt. I. Somnus moderatus sit. Tritum illud: *septem horas dormisse sat est, juvenique, senique.* Fas erit juventuti unam, alterámve, rariùs tamen, addere horam. Nisì verum velis id Martial. l. 13. *dormitis nimium glires, vitulique marini; nîl mirum, si vos crassa minerva premit.* Moderatus somnus humores consumit, nimius auget. 2*dò*. Labore, non otio solidentur vires. Labor moderatus sit, ætati, & statui competens. Hinc utilis commotio corporis. Aqua stagnare cogitur, si semper consistat. Sparta, & & Roma non otio, sed campo Martio vires parabat, & durabat. Juvat moderatum aliquando frigus, subinde calor: venatio, aut vigilia modica; sitis, vel fames aliqua. Levius præsertim exercitium, rerum firmiore ætate exercendarum simulacrum. Hæc valetudini, & Reipublicæ prodesse censet cum Plutarcho, Quintiliano, & Xenophonte Aristoteles. Hodie puerorum corpora & mores, utinam non nimiâ indulgentiâ, & mollitie perdantur. Qui passus nihil in pueritia est, vir in magnis quo pacto durabit?

3*tiò*. Mollis vestitus, delicatum absit nutrimentum. Sapienter Plato l. 6. de leg. *delicata, & luxuriosa educatio maxima pernicies est*, ùt quæ nervos & mentis, & corporis frangit, & ingenia depravat. Hinc miseriorem censet neminem Seneca eo, qui nunquam fuit mi-

ſer. Ubi libertas, voluptas, pecunia eſt, ibi vitiorum omnium ſedes eſt. Experientia teſtis, moliter educatos, aut infirmos eſſe corporibus, aut inobedientes parentibus, aut inſigniter flagitioſos. Vah inſaniam! tam pretiosè eos perdere, quos tanto haberi in pretio natura, & amor Parentum vult. Non indulgentia, ſed natura præſtantes liberos facit.

Inſtitutio ingenii caput eſt omnium. Sapienter enim Dio: Majorum ſepulchris prohibendos cenſuit, qui nec doctrinam didicerint, neque artem exercuerint. Nullus ergo in Republica fucus tolerandus eſt pro communi melle quaſi reluctans laborare. Artibus proinde formandum ingenium; mechanicis, ſi ſint ingenii hebetioris, conditionis vilioris, corporis validi. Liberalibus applicandi, quibus ingenium felicius obtigit. Præſertim verò nobilitas. Cui ſi ſcientiarum cognitionem adimas, alteram Nobilitatis teſſeram ademiſti, ût ſuprà in Politica dixi. Si Ariſtotelem audiam l. 8. Pol. c. 1. *Inutile quidem eſt Nobilitati, ſe totam ſcientiis immergere*, nisì aliquem peculiaris ardor incitet; cùm ſtudia ſua publico Nobilitas debeat. Ut tamen & Reipublicæ utiliter ſerviat, nôſſe oportet ſtudia literarum, & gymnaſticam: illa ingenio, hæc corpori formando mirum conducunt. Literæ intellectum illuſtrant: ſaltatoria, gladiatoria, equeſtris corpus ſolidat, quas & Plato probat. Muſicam, non eam, quæ vocúm, ſed quæ ſoni eſt, præfert Ariſtoteles; ſed & in hac Nobili ea ſolùm expetenda, quæ manſuetior; litui enim, & tubæ vehementiæ ſunt majoris. Scholas publicas etiam pro Nobilibus Ariſtoteles in Lecedæmonorum exemplo præ privatis commendat 4. Pol. c. 9. In illis enim æmulatio, & fervor; victi erubeſcunt, victores exultant, & animantur.

2dò. Omnibus tametſi mechanicæ arti addicantur, curanda ût minùs eſt legendi notitia. Vix enim tam infelix invenias ingenium, cui materna diligentia literarum notas inſtillare non poſſit. Uſas hâc ſolertiâ refert non nullas Franc. Patricius l. 4. de inſtit. Reip. dicens *teſſerulas literarum notis pingebant, vel plumbea numiſmata elementis imprimebant, pueriſque ſuis oſtendebant.*

Illi

Illi (ùt moris eſt) talia Matrem efflagitabant, hæc autem literarum nomina, notâmque docebat, ediccbâtque, ut ſibi numiſmata illa vellent, inter multa quærerent, & quæ docuiſſet, invenirent, nomina, notâſque redderent; quâ aviditate pueri commoti facilè etiam in tenera ætate literas ediſcebant. Inſtar vaſculorum igitur, quæ anguſti ſunt oris, informandi ſunt pueri; ſenſim influendo complebis ad ſummum; ſi impetu ſuperfundas, reſpuunt. Formandi ſunt, non obruendi. Memoria præſertim conſtanti uſu, & exercitio: ſenſi*m* ſinè ſenſu grandem hoc pacto cumulabis acervum.

3tiò. Severitatis lex habeatur, ſed & modus ſervetur. *Lex* ſit; nam qui parcit virgæ, odit filium. Eccl. 30. ſunt enim, qui objurgationes, & laudes reſpuunt, verba metuunt. *Modus ſervetur*, addidi, nam pueri ſolo metu ducti nihil ex animo faciunt; caveant, dum metuunt facta reſciri; ſi occulta ſint omnia, ad ingenium redeunt. Continet eos diſciplina liberalis, ratione, & admonitione conſtans, obturat ſævitia. Laudandi ergo ſubinde, cùm rectè egerunt; objurgandi, cùm perperam: caſtigandi moderatè, cùm morem gerere nolunt, & pervicaces ſunt.

4tò. Laſciva ſcripta, picturæ, ſpectacula comica moribus noxia cane pejus, & angue removenda. Utilibus contrà & honeſtis eos fabulis oblectare juvat. *5tò.* Ingenio vini uſus officit; interdicendum ætati parvæ, aut moderatiſſimè dandum. *6tò.* Ludus aleæ vetandus· Jacebit ſecus ingenium. Furti, & mendacii ſemen hi ludi ſunt. Certè inter aleatores, & teſſerarios tantum ait Ammianus differre, quantum inter fures, & latrones. Præterquam quòd libido ludi morbus ſit: qui contractus à puero, ſanari in ſene non poteſt.

Servos quod attinet, Xenophon l. 3. Memorab. Munus, & fundamentum Domini ait, ſervos obſequentes, morigeros reddere. Reddet Paterfamilias, ſi exactè *Imò.* victum, & veſtitum naturæ ſufficientem, labori, & robori congruum præbeat. *2dò.* Tametſi non nimis remiſsè; multò minùs tamen familiariter tractandi ſunt unquam: v. g. ut cum iis ludat, omnia diſſimulet, ex quo inertia,

protervia, contemptus oritur. Amari tamen magìs, quam timeri cupiat. Verbo: absit familiaritas, absit despectus. Fidi servi neque nascuntur, neque coguntur, sed benevolentiâ parantur. Sua proinde det singulis imperia herus, citra tamen austeritatem: præbeat item ea, quæ famulis propria, tum enim maximè studiosos, & laboriosos experietur. Unde compendium maximum Domino.

3tiò. Labore servus non careat. Castigatio rara sit, nec unquam sinè causa, neque sine modo. Medicina hæc malis est. Quod si verò castigetur famulus, cuì aut merces, aut victus sufficiens negatur, exulcerat animos. Nomine victûs vinum non venit nisì raró dandum; hoc enim insolentiæ fomes est famulis. *4tò.* Optima servorum genera sunt, quæ nec nimis infirma, nec fortia nimis: hæc enim præfidentiam, illa metum in omnibus præseferunt. Universim exacta det rerum gerendarum imperia, vigil adsit Argus executionis mandatorum Paterfamilias; neque rationibus dandis liber sit ullus famulantûm. Spes enim lucri, & certa impunitas occasionem præbet se ditandi, Dominum expilandi.

5tò. Habenda est meritorum ratio, augenda nonnunquam præmia in cibo, veste, mercede. *6tò.* Numerus famulantûm sit pro necessitate. Non multitudo, sed bonitas in servorum delectu spectanda. Plus sane detrimenti sumit familia, quæ ìmprobis, quam quæ nullis omnino utitur servis. Cato servos delegit disciplinæ parientes catulorum in morem. In adultis universim neque audacia immodica, neque timor nimius est probandus. Plus tamen, & frequentius illa nocuit Dominis, quam metus. Neque subtiles, & ingeniosos nimium, quia facilè protervos: neque habetes nimium, quia incurios, & ignavos, deligendos velim. Subtilitas ingenii vulpes, & harpyas sæpe gignit, ingenio feliciori destitutos natura obsequio destinat, quia imperio Domini veluti Cynosuræ intentos.

QUÆ-

QUÆSTIO POLITICA.

Uter hoſtis pernicioſior, qui Rempublicam civibus, an qui literarum ſtudio cives ſpoliat?

PRO EO, QUI REMPUBLICAM CIVIBUS SPOLIAT.

MEmbra corpori adime, & giganteam humo molem allides. Reſpublica corpus grande eſt, civis membra ejusdem. Si Philoſophis fides ſit; ſumit arbor à radice ſuccum, & ramis tribuit; at depuratum, quia excoctum magìs recipit ab iisdem. Succiſis proinde ramis omnibus mori plantam uſuvenit. En typum Reipublicæ, ac civium; his nititur, his ſervatur. Ab hoc fonte robur illius, ab his fibris vigor, & ſpiritus. Ipſo vocis Etymo, quid notet Reſpublica, vide: Civium eſt communio. Ablato corde, quid ſupererit? nisì ipſam à ſeipſa velis dividere. Exemplar quondam & decus Rerumpublicarum fortium Sparta, æternitati ſe tranſcripſit in Cynegiro atque Leonida. Meritum hoc gloriæ virtus civium genuit Patriæ. At quo pacto ſtetit tot inter æmulos, tot tamen laureis dives? mænium vice civis quilibet fuerat. Tolle præſidio mænia, palmam habes, quoties libuerit vectigalem. Senſit Roma, cùm poſt Cannenſem cladem domus penè nulla Urbi ſupererat, quam viduam Quiritûm ſanguine non luxiſſent Matres. Sublato Romani ſanguinis flore, & Civium lectiſſimo numero, quid niſi penè urna ſupererat? Quòd ſi tum confeſtim pro Portis caſtra fixiſſet Hannibal, Romanæ vespillo gloriæ in Capitolio triumphâſſet, Romæque Carthaginem intuliſſet. Pari ſorte nutabat eadem orbis Domina priùs, cùm virtus Gallica ejusdem viſcera ſcrutaretur, Romanósque ſub jugum mitti poſſe docuiſſet, nisì Tarpejam rupem, & Patriam Manlius ſervâſſet. Renovata nempe ſunt vulnera, quæ quondam ſenſit Græcia in cæde manipuli; qui par erat Exercitui, Perſidem omnem ſub Xerxe in arma ciente in montium faucibus gloriosè ſiſtenti. Mitiùs furit, qui eminus bacchatur,

& antemuralia impetit. Acriùs ſemper ſævit, & jugulo imminet, qui ſuccum ipſum tollit ac ſanguinem. Agit primum, qui literis cives: agit ſecundum, qui Rempublicam civibus ſpoliat. Hoſtis uterque, & Reipublicæ æmulus, ſed manſuetior ille, quia remotior: acerbior iſte, quia dum intimus: & crudelitate & diuturnitate mali immitior. Vulnus quodlibet eò ferè acerbius, quò diuturnius. Quid porro ſentiri poſſit acriùs, ac quod non nisì annorum impendio, imò & ſæculorum fluxu compenſes. Rapit calybs horâ unâ myriades, non tamen horâ pariter unâ cives, ùt fungos parit natura. At acerbum ſit quamvis uno carere munimine, acerbiùs longè eſt nominis una ac gloriæ poſt fata etiam vindice ſpoliari. Quàm decumanum Patriæ luxit vulnus Latium omne, cùm â Vejentibus die uno Fabios tulit fama peremptos. His enim verum illud Horatii ſemper: *O & præſidium, & dulce decus meum. Præſidium* inquam, ut ſinè hoc procellæ cuivis pila ſit poſtliminio Patria. *Decus* porro, quo viduata, ſit furori cuivis ludibrio. Nefas erat quondam amictu vel crine ſpoliare, quantò magis cive? Quo enim pacto floreant artes, potentia, opes? nisì civium affluxu. Sinè his quis fundum excolat, ſementem ſulcis credat, artes quaslibet provehat? At eſto, jaceant incultæ artes, vivat modò Civis Patriæ, ſibi conſtans, exteris ſuppar degit, & criſtas tollit. Nocet, qui literas adimit; ſed decus duntaxat tollit, non vitam. Vita bonorum compendium eſt, & corona, hæc Civis ſolus eſt.

Pro Eo, Qui Literis Cives.

Vita bonorum compendium & corona eſt, fateor, ſi vita ſit. At illúdne vita dicendum, quod eſſe ſolum dicit Philoſophus? Non hæc profecto digna homine vita eſt, nisì fuerit, quod eundem diſcernat à brutis. Ratio ſola, & excultus literarum ſtudio uſus eſt, quod altiorem brutis conſtituit. Ut meritò Mytilenæi maris potiti imperio, non aliâ perfidos ſub jugum miſſos pænâ dignos cenſuerint, atque hâc, ut literarum rudes manerent. Quaſi vero pæna morte ipsâ crudelior ſit ignorantia. Sapienter judicatum. Sic Cumanos enervavit quondam Ariſto-

ſto-


ſtodemus. Quis enim non vincat Patriam facilè, quæ conſiliis, cultu, virtute, nervo opum caruerit? caret his omnibus, ſi caruerit literis. Conſilia cupis? Solones, Perricles, Xenophontes, Themiſtocles, quanta nomina! quanta robora! Non aliter tamen, quàm literis. Mors illis per has ſperni docta, quaſi mortales non forent. Da ſinè literis pacem, ruditate & incultis artibus rigentem; confuſionem gignis, qui multitudinem otii amantem, non tam expertem conſilii, quàm impotentem imperii. Da contrà infeſtam belli aleam, temeritas duci perinde, ac militi erit domeſtica, quia ſinè providentia; unde certior ruina. Nervum demum cupis? fundatur iſte commerciis. Sic Ubi; ſapienter neminem ſuorum commerciis ſivêre addici, qui latii ſermonis, quo orbem emetiri poſſet, gnarus apprimè non fuerit. Et quid eorundem ſic provexit fortunas, atque hoc ipſum ſapiens de ſapientia conſilium? Imò verò quis non vincat Rempublicam, quæ vivens vitâ jam caret? Non vivit Civis, qui, quid hodiernum, aut craſtinum, vixdum novit; tam futuri incurius, quàm ignarus præteriti; utrumque ſolo literarum defectu. Ut meritò Romanus ſapiens mortem, & vivi hominis ſepulturam, vitam ſine literis dixerit. Imò verò Ariſtoteles docti ab indocto differentiam non aliam ſtatuerit, ac vivi a mortuo. Novi qùidem, meliùs nonnullorum ſententiâ eſſe Reipublicæ, tametſi literis non excultæ, quàm civium deſtitutæ præſidio prorſus non eſſe. Præſertim quod ſpecioſa quædam videri poſſit ſocordia literarum quies. At Arcade hanc vocem digniorem cenſuit Alphonſus quondam, quàm homine. Nam qui cum Licinio & Domitiano literarum cultum ſpernit præ civium numero, eò Reipubl. nocivus eſt magìs, quod Ladislai Ungariæ Regis è mente belluarum malit Rempublicam, quâm hominum, etſi paucorum; ut cùm ignorare literas debeat nemo, nisì homine minor. Paucis gaudeat Reſpublica Civibus, his tamen literarum ſtudio cultis, exulabit in diſcrimine puſillanimitas, fortitudo propulſabit adverſa, conſtantia retundet aſſultus. Membra tollit, qui Cives, fateor: at radicem & animam petit, qui literas adimit, ùt à quibus vigor pace, ac bello. Divinum lege oraculum:

lum: *Multitudo Sapientûm ſanitas orbis..* Hinc ea Sapientûm ſemper contentio, non antè vivendi finem ponere, quàm diſcendi. Imò per has, ut viveret Respublica, pro iis & vitam ponere. Plinium ætnæos luſtrantem vortices memorat Campania. Archimedem Syracuſæ Geometriæ intentum. Ariſtotelem Peripatus, ne ſomno quidem indulgentem, nisì pelvi æneâ cum globo ſuppoſitâ, cujus lapſu dum ſomni indiga excitatur à quiete natura, laboris literarii pariter admoneatur. Meliùs quippe, & potiori quidem ſui parte vivit Respublica, ſi per ſapientes, quia ſapiens vivat, ſibi tutelæ, orbis admirationi. Fabulam credo, jactantiam tamen ferunt nonnulli trium ſapientum Matris, Alphonſi Toſtati, Alberti Magni, & Petri Lombardi, adeò felicem ſe dicentis, quòd tantis in natis alieno quamvis toro ſuſceptis perennaret, ut pænitudine ſceleris tangi nullo modo poſſet. Quid igitur æternitati vivens Respublica non patiatur per ſapientes, ſi æternitatem per literas adimi cernat, cùm demptis civibus damna ſolùm temporis ſubeat, ſapiente vel unico ſæpe affatim compenſanda. Denique non magìs nocet hoſtis fruges omnes ſuccidens, atque is, qui incultam ſinit humum in vepres, ac ſentes ſuccreſcere.

F I N I S.



PRO-



PROBLEMATUM
ET
DOCTRINÆ
POLITICO-OECONOMICÆ
PARTIS TERTIÆ
INDEX.

Quæstio Unica.

INDEX
Quæstionum Problematicarum
INDEX.

O. A. M. D. G.





